36.14.B.9

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
ROMA
36
17 B
9

I a 36 f ae
P 10

36.17.B.9

op. un [illegible]

R. P. FR. FRANCISCI

FEV-ARDENTII,

ORDINIS FR. MINORVM,

S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PROFESSORIS PARISIENSIS,

IN

LIBRVM ESTHER,

COMMENTARII, CONcionibus Chriſtianis accommodati.

OPVS reuera inſigne, non tantùm Theologis, ſed & omnibus, hiſtorias, pietatemq́ue amantibus lectu iucundiſſimum & vtiliſſimum.

Cum INDICE Locorum Communium, qui in hoc opere tractantur, & Rerum magis memorabilium, copioſo.



COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus Arnoldi Mylij.
ANNO cIↃ. IↃ. XCV.
Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis.

36·17·B-9

AD REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM, ET ILLVSTRISS. DOM. D. CORIOLANVM, EPISCOPVM AVSſerenſem, *S. D. N. per Germaniam, Belgiumq́; Nuntium Apoſtolicum.*

MAGNAM eſſe fatentur omnes, Reuerendiſs. Pater, ac Illuſtriſs. Domine, illarum hiſtoriarum vtilitatem, quæ de rebus tam pace quàm bello à ſummis huius mundi Imperatoribus geſtis, per viros diſertos ac eloquentes ad poſteritatis memoriam ſcriptis collectæ & traditæ fuerunt. Continent enim magnorum regnorum ac Rerumpublicarũ, ſub quorum politicis legibus ſeruis Dei neceſſariò viuendum & moriendum eſt, initia, incrementa, imminutiones, varios caſus, euerſiones, commoda & incommoda: quibus, vt in communi naufragio, electi cum reprobis permixti, iactantur & probantur, donec ad fidam perpetuamq́ue ſecuritatem & ſtationem, quæ Sanctis omnibus in cælis promiſſa eſt, ſalui

Cyprian. lib. de mortalit.

peruenerint. Ex illarum ergo diligenti lectione omnis ætas, omnis ſexus, omnis hominum conditio percommoda rerum capeſſendarum aut fugiendarum exempla, huiuſque vitæ cum iuſtitia & æquitate tranſigendæ vtiliſſima præcepta decerpere, & in rem ſuam aſſumere poteſt ac debet. Illæ præſto ſunt ſemper, ſapiunt plurimum, & ad noſtram nihil loquuntur gratiam. Inſuper, bonorum virorum ſimulacra oculis noſtris ſubijciunt: improborum cupiditates & ſcelera deſcribunt: adeò vt tam illorum, quàm iſtorũ geſta & opera velut in publico totius orbis theatro ſpectanda, & imitanda vel fugienda cunctis producāt.

MAIOREM porrò ac longè copioſiorem ex hiſtoriarum Eccleſiaſticarum diligenti & accurata meditatione fructum & vtilitatem cunctis prouenire, hi mecum non inuiti confitebuntur & prædicabunt, qui ſedulò expenderint, eximiæ integritatis & doctrinæ viros Euſebium, Rufinum, Theodoritum, Sozomenum, Socratem, Euagrium, Metaphraſtem, Nicephorum, Glycam, Manaſſem, Zonaram, Gregoram, Cedrenum, ac ſimiles,

les,ingenti labore ac ſtudio primæ illius adhucq́ue purioris EccleſiæChriſtianæ viuam natiuamq́; faciem contemplandam nobis expoſuiſſe: & qui qualeſq́ue illius legitimi paſtores ac doctores,qui Apoſtolicæ dignitatis & pietatis per orbem ſucceſſores; aut è cõtrario deſertores ac impugnatores: qui cruenti perſecutores,qui verò fortiſſimi Martyres: quæ denique ſanæ doctrinæ ac fidei Catholicæ perpetua regula, quam ſequi debeant omnes, qui cum Chriſto illius ſponſo ſempiterno ac felici æuo in cælis perfrui toto pectore deſiderant, vniuerſis futuris ſeculis pateſeciſſe. Quis enim hæc ſine magna animi voluptate, alacritate,& vtilitate legeret?

AT MAXIMAM, & omnium ſaluberrimam,fructuoſiſſimamq́ue commoditatem ex hiſtoriarum, quæ à ſacris Scriptoribus traditæ,& in diuinorum Bibliorum album relatæ ſunt, iugi lectione atque meditatione pijs viris accedere, nullus inficias ire poteſt, qui verbis Diuinis omnem reuerentiam ac fidem habendam eſſe crediderit. Enimuerò in humanis, ac quibuſdam etiam Eccleſiaſticis hiſto

riȷs, plurima ſunt, quæ ſine pietatis & ſalutis tuæ iactura non credas; multa de quibus dubites; & quædam quæ ſine impietate aut negligas, aut etiam coarguas: in diuinis verò narrationibus ac Biblicis hiſtoriȷs nequaquam iſtud licet. Illarum namq; Authores, etiam quos nuper recitabam, non adeo perpetua Spiritus Sancti præſentia donati fuerunt, quin in earum rerum, quæ vel ab aliȷs acceperunt, vel ipſi viderunt, Narratione aliquando aberrare; & odio vel amore in hāc aut illam partem magis inclinati quidpiam addere, imminuere, amplificare, diſſimulareúe potuerint. Hinc factum eſt, vt nec vniuerſa quæ refert Euſebius, Origenis & Ariȷ aliquando nimius fautor, ſanctiſſimo Papæ Gelaſio, Hieronymo presbytero, Epiſcopo Tharaſio, & qui cum eo ad ſanctiſſ. Synodum ſeptimam ex Oriente & Occidente conuenerunt Patribus aliquot iuſtiſq; de cauſis probentur: nec Sozomeni hiſtoria, ob frequentia mendacia, inquit Beatus Gregorius, & Theodori Mopſueſtię hominis hęretici laudes, in cunctis ſit admittenda. Rufinū neq; laudat Hieronymus, neq; probat

Diſt. 50. ca. Sanct. Rom. Epiſt. ad Pāmach. Epiſt ad Cteſiphon. Act. 5. & 6.

Socra-

Socrates Scholaſticus: qui & ipſe à multis iure reprehenditur, quòd Neſtorium, nefarium hęreticum excuſare nitatur. Theodoritus etiam (vt de reliquis taceam) dum Epheſino concilio aduerſatur, & duodecim Beati Cyrilli in eo præſidentis impugnat capita, meruit vt fides ei in multis detraheretur. Quanta verò in Thucydide, Herodoto, Diodoro; Liuio, Iuſtino, Tacito, Suetonio, cæteriſque humanarum rerum ſcriptoribus iure optimo coarguantur atque damnentur, paucis referri non poſſet. Ita nihil ex omni parte beatum. Homines enim fuerunt, ideo humani ab eis nil alienum fuiſſe putandum eſt.

In diuinis autem ac Biblicis hiſtorijs nihil niſi exploratum, diuinum, & quod conſtanti fide credamus & profiteamur comperies: quandoquidem conſtet Spiritum Sanctum primarium authorem illarum eſſe; quo aſpirante, colluſtrante, & calamos articulosque ſcribentium perpetuò regente, hæ poſteris relictæ ſint: ac ideo non modò teſtes temporum, faces veritatis, magiſtræ vitæ, & nuntiæ veritatis ſunt atque dicuntur; verùm

 & re-

& rerum ſub Patriarchis & Prophetis diuinitus geſtarum certiſſima memoria, ſingularis prouidentiæ diuinæ in Sanctos clariſſima teſtimonia, cæleſtium iudiciorum ſpectacula, & ad bene beateque viuendum è cælo propoſita cunctis exemplaria. Animos non ſolū delectat, fateor, humana & Eccleſiaſtica hiſtoria, ſed & ad virtutes amplexandas, vitiaq; fugienda cōmouet: inſuper, multis & fœdis erroribus eum frequenter inuoluit, ac inter eruditos locum habere non permittit, qui ex vetere memoria, monumentis & literis teſtes excitare aut exempla laudare non poteſt: ſed qui diuinarum & ſacrarum inſcius eſt, quantumlibet alias omnes humanas artes, & Philoſophicas ac liberales diſciplinas tenere ſe iactitet, quantumlibet rectè & appoſitè dicendi magnis ornamentis ſplendeat; ſi de rebus ad beatam æternamq; vitam ſpectantibus diſſerendum ſit, imperitus certè, frigidus ac ineptus tandem inuenietur. Nam harum cōmemoratio piorum corda flectit, ra[illegible]mat, & velut in cælos ad ipſa[illegible]i Opt. Max. contemplandam Ma[illegible]tatem,

pote-

poteſtatem,potentiã,ac in hos ſeueritatem,in iſtos miſericordiam,in omnes ſummam æquitatem miro ac ineffabili modo ſubuehit. Adhæc, propoſitis Sanctorum exemplis ad veram in Deum fidem,ſpem,& dilectionem accendit; ad eius feruentem inuocationem & fiduciam in aduerſis,timorem in proſperis,ſui mundiq; contẽptum ,alterius verò ac felicioris vitæ futuræ deſiderium incredibiliter incitat & prouocat. Et vt contraham,tot ex theſauris ſuis opes, tot ex Promptuariis animi bona ſuppeditat hiſtoria ſacra, vt vix ac ne vix quidem ea quis percenſendo enarrare valeat.

HIS ego cauſis ac rationibus permotus,REVERENDISS.Pater ac Illuſtriſs.Domine, cũ ſuperioribus annis in Academia Pariſienſi pro munere impoſito,tam in ſcholis prælegendo, quàm in templis concionando,quoſdam ſacrorum Bibliorum hiſtoricos libros explicandos ſuſcepiſſem ; laborque multis bonis viris placeret ac prodeſſet;inſtiterunt,facileque ſuaſerunt, vt quæ ſuper hos in meum vſum meditatus eſſem , in publicam commoditatem typis euulgarentur.

Hos itaq; poſt beatæ Ruthæ narrationem, etiam in Eſtheris, Mardochæi, Aſſueris, & Hamanis mirabilem ſanè hiſtoriam, copioſos ac ſacris concionibus accommodatos Cõmentarios ſub Illuſtriſſ. Nominis tui protectione nunc emittimus: quibus & Ionæ, & Tobiæ, & Iudith, & Danielis, & Machabæorum diuinas hiſtorias, ſi Dominus vitam & otium conceſſerit, tempore ſuo ſubijciemus. Cui enim illos melius dicaremus ſacraremusq́;, quã ei, qui S. D. N. perſonam ſuſtinet, authoritatemq́; refert? Cuius muneris ſit, ea quæ de rebus diuinis, & ad religionem ſpectantibus tractantur & ſcribuntur explorare atq; dijudicare? Quod ſi eximius Antiſtes ac Doctor Auguſtinus, editos à ſe libros, ex Africa Romam vſque, nunc ad Bonifacium, nunc ad Innocentium Eccleſiæ ſummos paſtores atque rectores, examinandos & emendandos tranſmittere non erubuit: ego indignus tanti Patris corrigiam calceamentorum ſoluere, eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Legatum ampliſſimum ſcriptionum mearum iudicem & cenſorem non appellarem? Aut ſanctiſſimi ſapientiſſimique

Lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. Epiſt. 90.

ſimiq́ue presbyteri Hieronymi, à Damaſo Papa poſtulantis, vt ſi quid parùm cautè ſcripſiſſet, ab eodem vt Diui Petri fidem Sedemq́; tenente emendaretur, exemplum mihi ad imitandum non proponerem? Quinetiam trecenti decem & octo totius orbis Chriſtiani beatiſſimi & doctiſſimi Patres, qui ad primam celeberrimamq́; ſynodum Nicenam, ante annos mille & trecentos conuenerunt, decreta ſua ſcriptis tradita S. Papæ Silueſtro obtulerunt, ſuppliciter rogantes, vt oris eius conſortio firmarentur: ſingularis pietatis, obedientiæ, & prudentiæ nobis poſteris ſuis exemplo relicto, vt nos noſtraque ſanctiſſ. Sedis Apoſtolicæ authoritati ſubijciamus. *Epiſt. ad Damaſ.* *Tom. 1. conc. pag. 354. edit. Colon.*

HVIC porrò Reuerendiſſ. ac Illuſtriſſ. C. V. commiſſæ poteſtati præcellens raraque accedit eruditio; non modò in Philoſophicis diſciplinis, quas Lutetiæ, Bononiæ, Paduæq́ue toto orbe celeberrimis Academijs ad vnguem didicit: ſed & in iure Pontificio ac Cæſareo; quodq́ue his omnibus longè auguſtius & vtilius eſt, & in ſacra Theologia,

tam

tam quæ in quæſtionibus verſatur, quàm quæ ex ſacrarum literarum le-ctione & interpretatione hauritur, ſingularis peritia: cuius ratione effici-tur, vt cunctis huius Theoſophiæ ſtu-dioſis ac profeſſoribus eadem R.C.V. meritò ſit venerationi & amori, vt & ipſa eoſdem vnicè amat, fouet, & præ cunctis amplectitur. Ex horum ſtu-diorum theſauris prodeunt ſapientiſ-ſimæ de religionis Chriſtianæ præ-ſtantia & ſanctitate, quibus ſummo-pere delectatur, contemplationes; eru dita de ſummis doctrinæ ac fidei no-ſtræ capitibus colloquia; aſſiduæ etiã quoties diſcumbitur, de iiſdem rebus diuinis lectiones perſonantes; quibus cõmenſalium animi incredibili dul-cedine recreantur, atq; cæleſti pabulo reficiuntur. Sed & familia his exẽplis ad omnem in Deum pietatem, in ad-uentantes verò comitatem & huma-nitatem cõpoſita ſatis oſtendit quan-tum in huiuſmodi ſanctitatis offici-na ſcholaque profecerit. Et ſanè in his præcipuam veri Epiſcopi virtu-tem laudemque conſiſtere ſatis aper-
1.Tim.3. tè docet Apoſtolus ſcribens: Oporte-re illum eſſe doctorem, ſuæ domui be-ne præ-

ne prępoſitum,& amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Quid enim magis ridiculum, imò & periculoſum, quàm præco mutus, ſpeculator cæcus, aut curſor claudus? Tit. 1. Bernard.

Illis ergo virtutum ornamentis etiam ante adeptum Sacerdotium, per Italiam clariſſimus, prudenti planè conſilio à ſanctiſſimæ memoriæ Pontifice Pio quinto in honorabilem Cubiculariorum numerum aſſumptus: deinde in eodem honore à clariſſimo Pontifice Gregorio XIII. non modò ſeruatus, verùm ob egregias animi dotes alijs officijs auctus ad ſereniſſ. magnum Etruriæ Ducem vnà cum Illuſtriſſ. Claudio Gonzaga ad ardua pertractanda negotia miſſus. Et paulò poſt Romam adueniente ſereniſſimo Duce Cliuenſi, ab eodem prudentiſſimo Pontifice ad illum, vti vnus ex gratiſſimis, & in rebus magnis agendis ſolertiſſimis deſtinatus; commiſſis negotijs tanta fide ac prudentia incubuiſti, eademq; abſoluiſti; vt ſummam apud omnes laudem,& apud Illuſtriſſ.

luſtriſſ. Ducem maximam comparaueris beneuolentiam. Quid verò tandem? Longè grauioribus & ſanctioribus curis ſubeundis aptiſſimum iudicans Gregorius ſummus Pontifex, ad Epiſcopatum Auſſerenſem adminiſtrandum promouit: in eodemque commiſſum gregem verbo, exemplo, Sacramentis, diſciplina Domini paſcentem, & ad meliorem vitæ frugem reducentem, quoad vixit ſingulari amore proſecutus eſt. Denique à Beatiſſimo Clemente hodierno ſummo Pontifice Romam euocatus, ad has Germaniæ partes delegatus, quamplurimis & quidem magnis, & ad communem Eccleſiæ patriæque vtilitatem ſpectantibus humeris impoſitis: in his adminiſtrandis & abſoluendis tanta ſedulitate & integritate inuigilas, vt conceptam de tua prudentia & fide opinionem longè exſuperes. Collætantur profectò & congratulantur omnes feruenti quidem, ſed cum ſcientia & prudentia coniuncto Reuerendiſſ. C. V. zelo, bonasque de futuris ſpes ſibi repromittunt, cùm vident iuxta ſacrorum Conciliorum decreta, opera tua

nume-

numeroſi ſanè ac illuſtris Cleri mores componi; publicæ ſacræ Theologiæ ſuperiorum bellorum tumultibus intermiſſæ lectiones, diſputationes, reſponſiones, aliaque pietatis exercitia inſtaurari: confiduntque hæreticorum Coloniæ Agrippinæ ſubuerſioni vndique incumbentium conatus, in eorundem ignominiam, C. V. laudem, totius Diœceſeos ſalutem, Chriſtique honorem & gloriam, breui retundendos & comprimendos eſſe; cùm vnuſquiſque iuxta vocationem, qua vocatus eſt, ambulauerit. *1. Cor. 7. Epheſ. 4.* Tum enim verè pieque dicetur Colonia ſancta, cùm Illuſtriſſimæ C. V. labore ac induſtria, ampliſſimus & nobilis Clerus nemini vllam dabit offenſionem, vt non vituperetur ſacrum miniſterium. *2. Cor. 6.* Iure vocabitur genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, *1. Petri 2.* quando ſinguli clariſſimæ ciuitatis ordines ad officium reducti, benefacientes obmuteſcere facient ignorantium & maledicentium hominum imprudentiam ſimul & impudentiam.

PLVRIMVM denique ad iſtud meæ in R.C.V. obſeruationis & venerationis publicum argumentum euulgandum prouocauit eiuſdem R.C.V. verè Chriſtiana pietas ilia, qua vniuerſæ Galliæ noſtræ, præſertim verò non ita pridem pietate ac ſtudijs florentiſſimæ Pariſiorum Vniuerſitati & ciuitati, ſchiſmaticorum fraudibus, ac hæreticorum violentijs in ſummo amittendæ Catholicæ religionis periculo laboranti tam ſeriò ac ex animo compateris: ac vt eidem melius conſultum ſit continuis apud Deum votis & ſacrificijs iugiter ſanctèque precaris. Ac in eius rei fidem me ex illa in hunc vſq; locum peregrinantem, eximia charitate atque beneuolentia in conſpectum admiſiſti, ſæpe fouiſti, multiplici deniq; ægritudine ac mœrore afflictum grauiſsimis adhortationibus, ſuauiſsimiſque conſolatiobus adeo recreaſti & confortaſti, vt hoc ſpontaneum & pro ſeruanda pietate aſſumptum exilium, iam durum, aut moleſtum non ſit: ſed dulcis per hunc orbem (qui pijs pro vna ciuitate ducitur) peregrinatio.

Eadem igitur R.C.V. hos ſtudiorum

rum noſtrorum in ſacris libris oblatos ſibi labores conſueta beneuolentia & humanitate ſuſcipiat, & qua cępit charitate obſequentiſſimum ſeruum ſuum proſequatur: interim dum Opt. & Maxim. Deum noſtrum pro eius incolumitate & ſalute ſuppliciter & iugiter precabitur. Coloniæ Agrippinæ Calend. Octobris, Anno M. D. XCIV.

Reuerendiſſ. C. V.
deuotiſſimus ſeruus.

F. FRANCISCVS
FEV-ARDENTIVS.

IN HOS REVER. AC EXIMII RELIGIOSIQVE VIRI, PATRIS FRANCISCI FEV-ARDENTII, SACRAE Theologiæ Doctoris Pariſienſis,

Carmen.

MVLTA Primatum mala fert libido,
Plura ſed liuor pareret ſceleſtûm,
Ni Dei contrà bonitas adeſſet
Maxima noſtri.
Dum nimis curat genium Aſſüerus,
Liber à cura grauiore, fraudes
Irruunt mentes hominum, doliqúe
Corda malorum.
Hos placet lautis recreare menſis,
Hos rapi ludis; alios repente
Ditat indignos, aliïs propinquum
Tradit honorem.
Nec Dei curat populo quid adſit,
Rideat, ploret, metuat, vel optet,
Nomen inſani ſapiens, iniquus
Perferat æqui.
Interim Vaſthis nimium ſuperbit,
Aulicis demens iterat ſeorſim
Fœminis menſam; renuit vocantis
Ora mariti.
Spretus excandet meritò, nouamq́;
Rex petit, Vaſthi ſubitò repulſa,
Coniugem: Adducunt famuli puellas
Vndiq; pulchras.

Vna

Vna de multis face nuptiali
Digna, natiuo ſpecioſa vultu,
Sola Reginæ tulit adparatos
Heſter honores.
At rapax auræ popularis Haman
Peſsimo luxu trahitur, nec vllo
Numinis cultu, nec amore legum
Ducitur vllo.
Suggerit Regi, fauet ipſe, dira
Morte Iudæos perimi iubetur,
Et breui ſanctum trabe Mardochæum
Figier alta.
Sed pij votis, precibusq́; multis
Inuocant cœli Dominum, lacertos
Induunt ſaccis, onerántq́; ſparſos
Puluere crines.
Heſter ad Regem querula profatur
Voce, cui technas aperit, ſtatim Rex
Voluit Annales, repetit ſuorum
Acta virorum.
Prodit Eunuchûm dolus, & ſalutis
Regiæ tutor, capit hic honores
Publicos, Haman propria perire
Cogitur arte.
Vellet infectum quod iniqua ſuaſit
Mens, metu totus trepidat frequenti
Dum viro iuſto refugit paratas
Pendere pœnas.
Vir Dei victor ſine clade gentem
Sternit audacem nimis, & ſuorum
Fit ſalute ingens, & in omne princeps
Nobilis æuum.

O Dei fœlix amor, ô fidelis
Dulce promiſſum Domini, repellit
Qui ſuos nunquam, nec amare ſeruos
Deſinit vnquam.
Quis trahit veſtrum furor ô Tyranni
Pectus, inſani quid adhuc amara
Peſte vexandos animos feroci
Traditis iræ?
Sicne vos Orci furijs moueri?
Sicne torqueri feritate diris?
Quid minaris tu mulier nefando
Perdita luxu?
At cruces, ignes, gladios parares
Cædibus, furtis, magiæ, rapinis,
Hæreſi: Diuos coleres, eorum
Docta Miniſtris.
Iam boni ciues latitant vbique,
Vel palàm capti miſerè necantur,
Occidunt verbi varia ſequaces
Morte ſuperni.
Figitur ligno pius, heu nefas, heu
Cæditur iuſtus, rapidis & inſons
Vritur flammis, moriuntur atro
Carcere multi.
Hi cadunt ſaxo, malè tortor illos
Diſtrahit. multos rapit vnda, multos
Vis equûm, multos acies acuti
Diſſecat enſis.
Exulant multi ſine iure, multi
Membra truncantur miſerè. quid autem
Plura? non nouit fera duriores
Anglia mortes.

Pergi-

Pergite audaces tamen ô fideles,
Ignis Ardentis valido calore
Feruidi, aduerſis retinete fortes
Pectora rebus.
Gentium Reges dominantur, ipſis
Rector immenſus Deus, in Tyrannos
Hic ſolet motus precibus retortum
Mittere telum.
Ipſe mutabit gemitu malorum
Gaudium, vertet lachrymiſque riſus,
Et ſuperborum celeri triumphos
Funere cunctos.
Laude vos quamquam celebrabit orbis,
Et boni vates, & amica veſtri
Turba, vos alto melior beabit
Gloria cœlo.

CL. CH. STAINVILL.

RERVM
PRÆCIPVARVM
HVIVS LIBRI
INDEX.

A.

ABſtinentia 297. *& ſeqq.*
S. Achatij & ſociorum paſsio 208
Adoratio hominis quæ licita 193. 197.
Adrianus Imp. 191. 339
Adrianus I. Papa 85
Adulatio, Adulator 66. 102. 103. 328. 452. 455 *& ſeq.*
Aegyptiorum idololatria 195
Aeriani hæretici 312. *& ſeq* 476.
Affectus refrenandi 602
Agapetus Papa 86
Ageſilaus Græcorum Rex 276
Albigenſes hæretici 594
Alexander I. Papa 318. *eius martyrium* 208. 111. 85.
Alexander Magnus 41. 163. 190. 425. 443 461. 463. *eius crudelitas* 428. *libido* 118. *mors* 176
Alexandri Seueri Imp. de legibus dictum 71. *liberalitas* 464
S. Alexius 146
Alphonſus Hiſpaniæ Rex 463
Ambitio 189. *& ſeq. eius incommoda & effectus* 175. 204. *& ſeqq* 450. 475. 575.
D. Ambroſius 86. *eius conſtantia* 66 *ſententia de ieiunio* 296
Amphipolis Macedoniæ vrbs 184
Amynta Macedonum Rex 46 *& ſeq.*
Anabaptiſtarũ error 606. 631. 635
Anacharſis de legibus apophthegma 72 *de vite* 42.
Andronicus Comnenus Græcorum Imp. 93
SS. Angelorum feſtum 626. *inuocatio licita* 376. *& ſeq.*
Animarum feſtum 625
Annius Viterbienſis 16
Annulorum vſus 232. 531. *& ſeq. qui de annulis ſcripſerunt* 231.
Annulus pronubus 142. 152
Annunciationis B. Virginis feſtum 614. *& ſeq.*
Antiochus Syriæ Rex 93. 169
Antonini Pij Imp. pro Chriſtianis edictum 582. *liberalitas* 169. *vxor* 191
Antonius Margarita Iudæus baptizatus 620
Antropolatria etiam Ethnicis odioſa 192. *illicita eſt* 193
S. Apolloniæ paſsio 208. 445
SS. Apoſtolorum canones pro pupillis & viduis 111. *& ſeq. feſta religioſè celebranda* 624
Appellatio oppreſſorum à Tyrannis ad diuinum tribunal an licita 333. *illicita* 334. *& ſeq. licita* 336. *& ſeq. eius exempla* 337. *& ſeqq.*
Arcadij Imp. obitus 518

Archite

Architæ Tarentini dictum 59
Ariſtotelis de lege dictum 99. *de rege* 62
Arnoldus Treuirorũ Archiep. 166
Arragonica Iuſtitia apud Hiſpanos 61
Arrij Hæreſiarchæ ſuperbia 476
Arrogantia 30 72
Arſes Perſarum Imp. 15
Artabanus 14
Artaxerxes Perſarum regum cõmune nomen 18
Artaxerxes Mnemon Perſarum Imp 15 *eius liberalitas* 472
Aſpis ſerpens 203
Aſſaſsinatus quid 92
Aſſuerus, de quo hoc libro quis ex Perſarum Imp 15 *& ſeq. tam ſplendidum conuiuium cur inſtruxit* 25 *& ſeq. Aſſueri varij Perſarum reges in S. Scriptura* 13
Aſſumptionis B. Virginis feſtum 615. *& ſeq.*
Aſſyriorum lugentium ceremoniæ 253. *& ſeq. regum diadema* 163. *& ſeq.*
Atalanta Iaſionis Argiuorum regis filia 113
D. Athanaſij conſtantia 66 *in detegendis Arrianorum fraudibus prudentia* 129
Athenienſiũ potoria certamina 41
Athenodori Philoſophi cõtra irã præceptum 60. 507
S. Attali martyris abſtinentia 298
Attila Hunnorum rex 431. 461
Auaritia 175
D. Auguſtinus 86 *eius magnificentia* 38. *de Sanctorum inuocatione opinio* 386. *& ſeq. preces aliquot iaculatoriæ* 407. *& ſeq. ſententia de ebrietate* 50. *de ieiunio* 315. *de peccatorum confeſsione* 100. *& ſeq.*
Auguſtulus Imp. 544
Auguſti nominis interpretatio 18
Aula, Aulicus 69. 70. 101 *& ſeq.* 115. *& ſeq.* 134. 158. 195. 257. 261. 279. 328. 429. *& ſeq* 435. 450. 453. 465. 481 567 *& ſeq.*
Auri, argentiq́ue vſus licitus 37. *& ſeq.*

B.

Bacchus deus 49.
Balduinus I. Hieroſolymorum rex 594
D. Baſilij conſtantia 66
Bazaietus Turca 73
Bellum licitum 606. *eius calamitates* 646
S. Beniamis diaconi martyrium 526
D. Bernardi de vero gaudio ſententia 58. 342 *de ieiunio* 293
Bertha Hẽrici IV. Imp. vxor 165
S. Blandinæ virginis conſtantia 445.
Bohemiæ Rex Imperij pincerna 166
Boleſlaus Poloniæ Rex 85
Bonifacius Africæ prorex 86
Bonifacius VIII. Papa ibid.
Boni ſunt Reip. præſidia 225. *& ſeq. calumnijs malorum opprimuntur* 226. *& ſeq. eaſdem cum malis calamitates ſubeũt, & quare* 107. *& ſeq. cur ſubinde in pericula à Deo vocantur* 456

Braccarum vſus 470
Brandeburgenſis Marchio Camerarius Imperij 166
Braſilienſium in America compotationes 41. & *ſeq.*
Bruuechildis Franciæ Regina 71
Bullingeri de Aſſumptione B Virginis opinio 616
Byſſus 585

C.

Caij Caligulæ Imp. ambitio 191 *crudelitas* 428
Caluinianorũ in Catholicos calumniæ 227 *mores* 316
Calumniatores, calumniæ, 436. & *ſeq. æquo animo ferendæ* 505. & *ſeq.*
Cambyſes Perſarum Imp. 14 *eius ſæuitia* 428. & *ſeq.*
Camilla Volſcorum regina 113
Candaules Sardorum rex 51
Candys veſtimenti genus 470
Capillos in luctu euellere & diſcindere quibus vſitatũ 345. & *ſeq.*
Carcerum vſus 521
Carolus Craſſus Franciæ Rex 89
Caroli Magni in Imp. inauguratio 164. *pietas* 463
Carolus Simplex 89
Caſtitatis exempla 55 & *ſeq.*
Catholici hæreticorum calumnijs traducuntur 227. *negligentes in tuenda religione* 238
Catonis in Græca lingua addiſcenda ſedulitas 79.463
Cerinthus hæreſiarcha 90
Charitas 248.270
Childericus Franciæ Rex 85. & *ſeq* 89
Choaſpes fluuius 22
Chriſtiani perſecutione augentur 228. *eorum martyria* 207. & *ſeqq. priſcorum in martyrio pro fide ſubeundo animi magnitudo & conſtãtia* 444.445 & *ſeq.*
Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus 166
Chriſtus mediator noſter 370. & *ſeq.*
D Chryſoſtomus 93. *eius conſtantia* 66. *de ebrietate ſentẽtia* 42
Ciborum in ieiunio delectus 297 & *ſeqq* 308.
Ciceronis de legibus ſententia 72
Cidaris 48. & *ſeq Perſarum & Medorum diadema* 163.468
Cilicij vſus 255
Cilicum diadema regium 164
Cineris in pœnitentia vſus 255
Cinnamus Parthorum rex 544
Claudius Rom. Imp. 33
Clemens VI. Papa 337
S. Clementis martyrium 208
Clericis nuptiali conuiuio intereſſe non licet - 153
Clotharius Francorum rex 71.86
Cœleſtinus II. Papa 543. *III.* 85. *V.* 543.
Commodi Imp. ambitio 192. *in Chriſtianos ſæuitia* 208
Compatiendum afflictis 267 552
Conceptionis B. Virginis feſtum 613. & *ſeq.*
Concubinatus 119
Confeſſio pecatorum vtilis & neceſſaria 100. & *ſeq* 258. 352. & *ſeq. pars pœnitentiæ* 258
SS. Confeſſorum feſta 626

Coniu-

Coniugum amor 159. vide maritus, & vxor.
Conradus Colonienſis Archiepiſcopus 166
Conſcientia 155
Conſilia à quibus petenda 452. quæ ſequenda 80. & ſeq.
Conſuetudines bonæ ſeruandæ 52
Conſultoria ſors quando licita 217. & ſeq.
Conſtantiæ exempla 66. 199. 200. 251. & ſeq. 443. & ſeq 502
Contritio pœnitentiæ pars 258
Contumelioſus quis 202
Conuiuia agere licitum 39. 434. & ſeq 617. eorum variæ cauſſæ 24 & ſeq. longorum incommoda 34. magnificorum finis 58 in ijs vitanda 40. 46. & ſeq 435. conuiuia nuptialia 152 & ſeq. 167.
Coronarum vſus & varietas 162 & ſeq.
Correptio fraterna 287. & ſeq.
Coſmas Conſtantinopolitanus Patriarcha 543
Creaturarum vſus 37
Credulitas nimia vitioſa 180 & ſeq. 204. 270. 572.
Crucis ſupplicium 523
Crudelitas 568
Cultus Dei omnibus alijs rebus præferendus 279. & ſeq. 326. & ſeq.
Cupiditates refrenandæ 206
Cyrus Perſarum Imp. 113. 126. eius ambitio 189. anni imperij 13 memoria miranda 79. regia 22. temperantia 23

D.

S. Dagila Martyr 55
Darius I. Hyſtaſpes Perſarum Imp. 13 & ſeq. II. Longimanus 14. & ſeq III. Nothus 15. IV. Ochus ibid. V. Arbelas ibid eius luxus & libido 118
Dauid Kyberus hæreticus 390
Decij Imp. mors 518
pro Defunctis fidelibus oratio 330 389 & ſeq. 625 & ſeq. Iudæis vſitata 382 & ſeq 390.
Degradatio quid 532. 540. eius cauſſæ, et ceremoniæ 540 & ſ.
Depoſitio quid 532 quotuplex 533 eius cauſſæ & conditiones 533. et ſeqq. cuius ſit deponere 537. et ſeq. depoſitorū in gradum reſtitutio 541. & ſeq.
Deprecatio quid 367
Detractio 202. & ſeq 437. 571
Deus ſolus adorandus 193. vnus in Eſſentia 374. trinus in perſonis 322 & ſeq 374 & ſeq. inuocandus & orandus 374. & ſeq verè ſe inuocantes exaudit 421 & ſeq mundi infirma eligit 114. & ſeq. 179. regna transfert 82. ſeruator omnium, maximè fidelium 347. Dei beneficentia & bonitas erga homines 19. & ſeq. epitheta 576. & ſeq. honorum vſurpatio impia 193. ira formidāda 59. 597. iudicia 492. 605. & ſeq. laus actio viuentium 332. miſericordia erga peccatores 213 poteſtas 82. 323. et ſe. 431 553 promiſſiones ſe ſuis nō defuturū 281. 283. & ſeq. 351.

prouidentia in Eccleſia & bonis conſeruandis 43 *& ſeq.* 112 *& ſeq* 159 199 246.282. *& ſeqq.* 447.*& ſeq.* 458. *& ſeq.* 461 *& ſeqq* 477 *& ſeq.* 496 *& ſeq.* 580.587. 591. 641
timor 550.*& ſeq.*
Diadema 48.*et ſeq.* 162.*et ſeqq.* 468.
Dilectio inimicorum 436
Diocletianus Imp. 192. *eius in Chriſtianos crudelitas* 208 *& ſeq.imperij ſpontanea abdicatio* 543.*& ſeqq.mors* 518
Diogenis philoſophi apophthegma 157
S. Dionyſij Areopagitæ martyrium 208
Dionyſius Siculorum Rex 73 177
Dioſcorus Alexandrinus Antiſtes 535
Diſsimulatio 129 447
Diuinationes illicitæ 219.*& ſeq. Diuinationum ſpecies ibid. vanitas* 591
Diuiſoria ſors licita 214. *& ſeq. ethnicis vſitata* 216.*varia* 216 *& ſeq.*
Diuitiæ 450. *incertæ ſunt* 529
Diuortium quibus vſitatum & licitum, quibus non, 77.*& ſe.*
Doctorũ in Eccleſia officium 271
Dolus in hoſtes permiſſus 441
Dominica die non ieiunandum 305.*& ſeq.*
Dominorum erga famulos officium 291
Domitiani Imp. ambitio 191.*crudelitas* 208.*mors* 518.
Doræ lapidis virtus 35
Dos 143.*& ſeq.*
Dracones 642

E.

Ebrietas quid 50 *fugiẽda* 51 307. 438. 493 *eius effectus & incommoda* 23. 34. 42. 49 50.98 *& ſeq* 460
Eccleſia perſecutione augetur & creſcit 587.609. *& ſeq. eius adminiſtratio quibus commiſſa* 612 *autoritas et poteſtas* 82 *& ſeq.* 508. *hoſtes*, Dei *ſunt hoſtes* 331. *& ſeq. perpetuitas* 246.282 *& ſeq.* 488. 556 *& ſeq perſecutiones* 207.*et ſeqq. perſecutorum ſupplicia* 517 *& ſeq. ſalus meritò eſſet omnibus chara* 271. *& ſeq* 285. *& ſeq.* 551.*ei promiſsiones factæ* 285. *eam delere impij ſemper conati* 354. *perſequi quantum ſcelus* 600
Eduardus II. Angliæ Rex 92
Elceſeitarum hæreſis 130
Electores Imperij 61.*qui ſunt* 85
Eleemoſynæ commendatio 40. 180.258 617
Emmanuelis Græcorum Imp in Venetos crudelitas 240. *de feſtis B Virginis decreta* 616.
Encratitarum hæreſis 148.167. 306.476.
Engelbertus *Colonienſis Archiepiſcopus* 165
Epiſcoporum degradatio cui competit 538
Ephori apud Lacedæmonios quales 61
Eraſmi Roterodami de hæreticis noſtri temporis iudiciũ 316
Eſdras

Eſdras quando ex Perſia Hieroſolymam redijt 15. non eſt auctor libri Eſtheris. 1.2
Eſther cuius Perſarum Imp. vxor 15 & ſeq. an peccauit cùm Aſſuero polygamo & infideli nupſerit 160 & ſeqq eius obedientia 171 pietas 155
Eſtheris libri poſtrema capita hagiographa & canonica 3.4.317 & ſeq. ordo 11. vtilitates 4.5.6 & ſeq.
Eudocia Theodoſij Iunioris Imp. vxor 234
Eunuchi 121. eorum officia & functiones 125. & ſeq. origo & ſpecies 122
Euſtathius Sebaſtiæ Epiſcop⁹ 306
Exauctoratio ſpontanea 543. & ſeq. ignominioſa 546. cum Excõmunicatis non orandũ 404

F.

Faciem obuelare luctus cæremonia 483 & ſeq.
Famulorum erga heros officia 266 & ſeq. 423.
Fauſtina Antonini Pij Imp. vxor 19.
Fernandus Legionis & Caſtellæ rex 337
Feſtorum religioſa celebratio 581 613 & ſeqq. 623. & ſeqq. non eſt idololatria 627
Fidei Catholicæ profeßio ad ſalutem neceſſaria 129. 130. 203. eius exempla 444. & ſeq. 547
Fides promiſſa etiam hoſti ſeruanda 441
Fiducia in Deum 246. 278. 280. 556
Filij, vide liberi.
Flammeum ſponſarum velũ 150
Fœminæ doctrina & pietate illuſtres 622. vide etiam mulier
Forenſes actiones Chriſtianis permiſſæ 497
Forma & corporis pulchritudo per ſe non mala 55. quæ vera 155 & ſeqq. eius vis 430
Fornicatio 135 172. & ſeq.
Fortitudo in aduerſis 251. & ſeq. in conſeruãda fide 444. & ſeqq.
Fortuna 186. eius inconſtantia 429. & ſeq. 504. 507.
Franciæ aulicorum mores 195. Catholicorum ſtatus 249. 284. Reges ab Ordinibus regno expulſi 89. à Papis 86
Franciſcus Britanniæ Dux 338
Fraus 592
Fridericus I. Imp. 85. II. ibid.
Frugalitas 307. mater virtutum 156
Furtum 244

G.

Gaudium verum quod 58. 342. mundi breue ac incertum 342
Gelaſius I. Papa. 626
Geneuenſia de matrimonio ſtatuta falſa 78
Genua flectere in oratione 409. & ſeq.
S. Germanici Martyris magnitudo animi 445
Germanus Pariſiẽſis Epiſcopus 86
Gloriæ fuga 30. 449. vanitas & inconſtantia 78
Goranis Perſarum regis in Chriſtianos crudelitas 526

Græcæ Eccleſiæ de Sanctorum inuocatione ſententia 383 et ſeq.
Gratitudo de acceptis beneficijs 464. 546. & ſeq.
Gregori⁹ II. Papa 84. V. 85 VII. ibid.
Gualtherus Franciſcus Pictauorũ Epiſcopus 338 & ſeq.
Guilielmi Hollandiæ Comitis in Imp. inauguratio 165. & ſeq.
Guilielmus Siciliæ Rex 85
Guntharius Colonienſis Archiepiſcopus 535
Gyges 51

H.

HAEreſiarcharum ambitio 475. & ſeq.
Hæreſum præcipuarũ origo 454
Hæretici cauendi 90. & ſeqq. 404. eradicandi 602. non ferẽdi 497 & ſeq 503. & ſeq velo verbi Dei hæreſes tegunt 229. eorum in Catholicos calumniæ 227 in eoſdẽ ſæuitia 580 zelus in propagandis hereſibus 238
Haman Diaboli typus 519. impiorum 249. & ſeq. eius in Deum impietas 354. & ſeq. ſtirps 183 & ſeq.
Heliogabali Imp. ambitio 192
Henricus IV. Rom. Imp. 85. 93. eius inauguratio & vxor 165
Henricus Moguntinus Archiepiſcopus 338
Henricus VIII. Angliæ Rex 94
Heribertus Franciæ Rex 86
Herorũ erga famulos officiũ 291
Hiero Syracuſanorum Rex 113
Hiſtoriarum lectio, in Præfat. & 462. & ſeq.
Homicidium 181. 455
Honores non magni faciẽdi 483. 547. eorum mutabilitas 547
Honorius II. Papa 543 III. 85
Horæ Canonicæ 400. & ſeq.
Hoſtis etiam infimæ fortunæ non contemnendus 594
Hugnoſticorum in Catholicos perſecutio 126
Humanarum rerum inconſtantia 429. & ſeq. 489. & ſeq. 507
Humilitas Deo grata 449. 517. Humilis exaltatur 9. 72. & ſeq. 157. & ſeq. 186. 648. Humilitatis exemplum 270 Humiles & abiectos ad ſummas dignitates perueniſſe exempla 158 eorum in dignitate inſolentia 567
Hyacinthum 584

I.

IAcinthi eunuchi martyrium 127
Iacobi Andreæ Lutherani de ſuorum Vbiquiſtarum moribus locus 315. & ſeq.
S. Iacobi Apoſtoli in fide ſeruanda conſtantia 444.
Iacobi Perſæ martyrium 526
Iactantia quid 30 fugienda 29. & ſeq. 448. & ſeq. ſuperbiæ ſpecies 448
Idololatria, idolum 193. 198. 358. & ſeq.
Ieiunium 258. 263. 289. eſt cultus Dei 311. Deo gratum 310. & ſeq. Hæreticorum quale 307. meritorium 264. & ſeq. 310. & ſeq. 313. & ſeq. 364. orationem

nem præcedat 344. & ſeq ſub præcepto eſt 310. & ſeqq. priuatum 294 publicũ 295 Quadrageſimæ 300. & ſeq. quatuor temporũ 301 & ſeq. quartæ & ſextæ feriæ 302 Sabbati 303 Vigiliarum ibid. et ſeq. religioſum etiam ab ethnicis obſeruatum 295 & ſeq.

Ieiunij cauſſæ, fructus, & effectus 264. & ſeq. 293. & ſeq. 296. 312. & ſeq. commendatio ex S. Scriptura 296. & ſeq. definitio 293. etymon 292. ritus 297. & ſeq. ſpecies 292. et ſeq. quandiu ieiunandũ 304. & ſeqq. quando non 305. & ſeq. contra ieiunium obiectiones hæreticorum 306. & ſeq.

S. Ignatij martyrium 208. zelus contra hæreticos 503. & ſeq.

Imperatorum inauguratio 164

Imperij Cameræ iudices 61. Electores qui 85

Impij incidunt in mala, quæ pijs parârunt 456. & ſeq. 480. 489. 515 & ſeq. 592. eorũ proſperitas breuis et incerta 449. 492 & ſeq. ſubita & improuiſa punitio & euerſio 442. & ſeq. 479. & ſeq. 492. & ſeq. 505. 530. 592. 649. ſtudiũ Eccleſiam opprimendi 354 zelus in impietate 237. & ſeq. 274. & ſeq. 466

Imprecatio, qua alicui mala precamur, quæ licita, quæ non 393 & ſeq.

Inconſtantia 98. 195

Infideles cur ſubinde in bello fidelium victores 26 eorum bona opera an peccata mortalia 630

Ingratitudo 182. 546 569

Inimicorum dilectio 436. 600. & ſeq.

SS. Innocentium feſtum 624

Innocentius III. Papa 85

Inſidiæ in hoſtes permiſſæ 441

Inuidia quid 570. eius effectus 175. 206 & ſeq. 229 450 filiæ 571

Ioannes de temporibus 639

S. Ioannis Euangeliſtæ zelus in hæreticos 90

Ioannis Hus degradatio 541

Ioãnes XVI. Papa 625 XXII. 85

Ira 69. 448. eius effectus 60. 205 & ſeq. remedium 59. & ſeq. 451. 507.

Irenæi in hæreticos apophthegmata 229

Iudæi gentibus exoſi 127 & ſeq. 564. electus Dei populus 350. Chriſtianorum hoſtes infeſtiſſimi 610. moderni Sortium feſtũ quomodo celebrant 620. eorum pro defunctis oratio 382 & ſeq. 390. menſes 210. & ſe. Sanctorum inuocatio 382. & ſeq. cum ijs Chriſtiano non orandum 401 & ſeq.

Iudicium extremum 570

Iudicium, Iudex 64. & ſeq. 233. & ſeq. 341. 424.

Iuliani Apoſtatæ mors 518

Iulij Cæſaris ambitio 191. mors 176. & ſeq. 443.

Iuſtinus Imp. 93

Iuſti Deo curæ 461 & ſeq. eorum

rum tribulatio in hac vita 245 456.

L.

LAchrymæ 256
Laici an de ſacris poßint diſſerere 610. & ſeq.
Latinæ Eccleſiæ de Sanctorum inuocatione ſententia 385. & ſeq.
Latriæ cultus 193. & ſeq.
Lecanomantia diuinationis ſpecies 219
Leo Armenius Imp. 544. Copronymus 164. Iconomachus 84
Leo III. Papa 85 164
Lex 52. 72. 241. & ſeq. ei etiam reges & principes ſubiecti 70. & ſeq. 99.
Liberalitas 170. 235. & ſeq.
Liberi à parentibus & alijs expoſiti 112 & ſeq.
Liberorum educatio 131. & ſeq. 173. officium erga parentes 171 & ſeq. 349 & ſeq. pluralitas quibus gentibus honori 448
Libido 51. 117. & ſeq. 135. 172
Linguarum variarũ cognitio 79
Litania 367
Liuor, & eius effectus 206
Longanimitas 439
Lucius Sylla 544
Ludouicus I. Pius Franciæ Rex 543. III. 94. VI. Craſſus 86. IX. Sancti pietas 463. Nihili 89
Ludouicus IV. Imp. 85
Ludouicus Palatinus Comes 166
Lugentium variæ cæremoniæ 252 & ſeq.
Lutheri ſuperbia 476. & ſeq.
Lutheranorum mores 315. & ſ.
Luxuria 117. & ſeq. 172
Luxus 133. veſtimentorum 421. & ſeq.

M.

MAcedonum regum diadema 163
S. Macharius 146
Magia & Magi 91. 220
Magiſtrat⁹ officiũ 423. et ſe. 432. 500. 560. 606. 612. 621. 636 politici poteſtas non omni lege ſoluta 60. & ſeq. 70. & ſeq. ei in rebus honeſtis parendum 116. 178. 224. 241. & ſeq. 432. 481. 582. 616. & ſeq. 621. Magiſtratum gerere Chriſtianis & pijs permiſſum 635
Magnificentia 38
Maieſtatis læſæ crimen 181. et ſe.
Maiorum exempla 259. & ſeq.
Mali tolerãtur propter bonos 225. malorũ proſperitas 247. 249. zelus contra bonos 237. et ſeq.
Malum quotuplex 393
Manetis hæreſiarchæ ambitio 476
Manichæorum error 37. 306. 308
Manlius Romanus 181
Marcion hæreſiarcha 90
Marcionitarum hæreſis 37. 148
Mardochæus quis & qualis 103. & ſeqq. Chriſti typus 519. Eſtheris libri auctor 2. 609. eius pater & ſtirps 638. ætatis anni 105. 638
S. Maria Magdalena 273
S. Maria Virgo inuocanda 384. eius feſta quando, & à quibus inſtituta 613 & ſeq.
Maritorum in vxores amor et officium 159. & ſeq. 431. & ſeq.

dominium 80
Marium caſtratio mala & prohibita 122. & ſeqq.
S. Martinus 545
Martyria Chriſtianorum ſeminaria 228
SS. Martyrum feſta 624. & ſeq.
Maßilieſes à quibus primũ Chriſtianam fidem edocti 273
Maßiniſſa Numidarum rex 177
Matrimonium 139. & ſeq. Sacramentum nouæ legis 78. 148. contrahere cum hæreticis & infidelibus non licet 145. 160. & ſeq quibus anni temporibus licet, & quibus non 147. contractum an diſſolui poßit 146. Matrimonij futuri arrhæ 142. & ſeq.
Matronarum officium 265. & ſe. 272 & ſeq. 498. & ſeq.
Mauritius Imp. 150. 153
S. Mauritius Martyr 545
Maxentius Imp. 55 516
Maximiniani Imp in Chriſtianos crudelitas 208. & ſeq. ſpontanea Imperij abdicatio 544
Maximini Imp mors 518
Mediocritas aurea 177. & ſeq.
Menandri hæreſiarchæ ſuperbia 476
Mendacium 130
Menſes Iudæorum 210. & ſeq.
Merces laborum retenta 465
S. Michaelis Archangeli feſtum 626.
Michael Senior Græcorum Imp. 544. Traulus 125
Militum officium 599
Miſeris & afflictis condolendum 248
Mithridatis Ponti Regis memoria 79 ſæuitia in Romanos 240
Monachis conuiuijs nuptialibus intereſſe prohibitum 153
Mors 489. mortis hora incerta 490. 592. mortem omnes timent 343
Mulier quid 46. mala 453. & ſe. mulieres ornatum nimium amant 133. & ſeq. viris ſubſint & obediant 79 & ſeq. quæ præcipuas hæreſes inuexerunt 454. mulierum officium 265. & ſeq. 272 & ſeq verus ornatus quis 156 & ſeq. 172. 422 impudicarũ exempla 117
Mundi contemptus 344. gaudia breuia et caduca 58. 247 342. 492. & ſeq. honores inconſtantes 78 infirma eligit Deus 114. & ſeq. iudicia falſa 492. & ſeq.
Myrrha 133

N.

Narciſſus 55
Natiuitatis B. Virginis feſtum 614
Nehemias quãdo & ſub quo Perſarum Imp. Hieroſolymam redijt 15
Neminem lædi niſi à ſeipſo 485
Neronis Imp. crudelitas 59. 207 mors 518
Neſtorius hæreſiarcha 476
Nicephorus Græcorum Imp. 93
Nicolaus Daniæ rex 92
Nicolaus I. Papa 86
Nouaculæ in ſupplicio vſus 523
Nouatianus hæreſiarcha 476

Numi-

Numidarũ regum diadema 163
Nuptiæ quomodo celebrandæ 148 & ſeq. quando 147. poſt ſponſalia cur differantur 140. & ſeq. nuptiarum abuſus 168. futurarum arrhæ 141. & ſeqq. conuiuium 152. & ſeq. 167 ritus varij 148. & ſeqq de ritibus ſcriptores 167

O.

OBedientiæ exemplum 131 171.
Obſecratio quid 367
Obtrectatio 437
Octauia Neronis Imp. vxor 59
Octauij Auguſti Imper. ambitio 191. ſæuitia 428
Odium, & eius effectus 206
Odorum vſus licitus vel illicitus 135. & ſeq.
Officia diuina 400 & ſeq.
Opera bona in ſtatu peccati facta bonis temporalibus remunerantur 629. & ſeq. infidelium non ſunt peccata mortalia 630
Oratio pro defunctis 330. 382. & ſeq. 389. Dominica 391. 405. ſit ieiunij comes 344. & ſeq. iuſtorũ pro peccatoribus quãdo fructuoſa 360. meritoria eſt 364. 373. publica priuatæ anteponẽda 289. & ſeq. S. Spiritus donum 371
Orationis aſſiduitas 320. ceremoniæ 409. & ſeqq. conditiones 401. & ſeq definitiones 368. & ſeq. effectus & fructus. 373 formulæ cõmodiores 405 & ſeqq initium quale eſſe debet 352. neceſſitas 320. et ſeq. 372. nomina varia 366 et ſeq. qualitates 322. 357. & ſeq. 401. & ſeqq. ſpecies 367. & ſeq.
Orationi quæ aduerſa & contraria 400. & ſeq quæ loca magis apta 397. & ſeq.
Orationem an Deus ſemper exaudiat 413. & ſeqq.
Orationes iaculatoriæ 407. & ſeq.
Orandus quis 374. & ſeq.
Orandum cum quibus 403. & ſeq. quare 369 et ſeqq pro quibus perſonis 388. & ſeq. pro quibus rebus 348. 391. & ſeq. quando 320. & ſeq. 399. & ſeq. vbi 347 396. & ſeq.
Ordinum Regni in Reges auctoritas 87. & ſeq.
Ordonius II. Caſtiliæ Rex 92
ad Orientem verſi cur oramus 410. & ſeqq.
Origenis amor martyrij 445. Zelus in hæreticos 90
Ornatus quid, & quis verus. 155 & ſeq. 422.
Oroſangæ apud Perſas qui 471
Oſculum arrhabo futuri matrimonij 143 ſummi honoris & amoris apud Perſas teſſera 471
Otto II. Imp. 165. IV. 85.

P.

PAlatinorum apud Hungaros, Polonos &c. officium 61
Palatinus Comes Archidapifer Imperij 166
Parẽtes honorãdi 131. 171. et ſeqq.

Parentum cura erga liberos 131. 132.173.349.598.
Parentibus obediendum 131.171. & *ſeq.*
Pares apud Francos, eorumq́; officium 61
Parlamentum apud Anglos & Scotos ibid.
Parricidæ 207
à Paſchate ad Pentecoſten nō ieiunandum 305.& *ſeq.*
Paſtorum Eccleſiæ officium 271. 290.& *ſeq* 331
Patientia 439
Patrum Græcorum de inuocatione Sanctorum ſententia 383. & *ſeq. Latinorum* 385. & *ſe.*
Paulus AEmylius Romanus 73
Paulus Fagius *hæreticus* 390
Paulus Samoſatenus hæreſiarcha 582
Pauperes non contemnendi 179. *eorum habenda ratio celebrantibus conuiuia* 40.170.617
Peccatores Deus non audit 401. & *ſeq.*
Peccatorum felicitas infelix 232
Peccatoribus belluarum nomina dantur 643 & *ſeq.*
Peccata confitenda 100.*illuſtrium virorum cur in ſacris literis deſcripta* 134.*malorum pœnæ cauſſa* 482.485
Peccatorum fœditas 575. 643. & *ſeq.*
Peregrinis benefaciendum eſt 607 & *ſeq.*
Perfidia etiā in hoſte illicita 441
Periurium 91.& *ſeq.*
Perſæ regibus diuinos honores tribuerunt 189.*et ſeq. in vxores atroces* 75
Perſarum Imperij amplitudo & potentia 18. & *ſeq* 628.*iudices* 520.& *ſeq. Lex rerum capitalium ibid. de moderatione in cibo & potu ſeruanda* 40.*ne mulieres virorum conuiuijs interſint* 46. & *ſeq.*52. *lugentium ceremoniæ* 253. *luxus* 133 *et ſeq monarchia quot annis durauit* 15 *Reges Artaxerxes & Aſſueri dicti* 13. & *ſeq. diuinos honores affectârunt* 189. & *ſeq. cur rarò in publicum prodibant* 260. *Regum catalogus* 13. & *ſeq. dona* 471.& *ſeqq inſignia & ornamenta* 468. & *ſeqq. liberalitas* 471. & *ſeqq. oculi & aures qui* 500. & *ſeq. ſæuitia & crudelitas* 428. & *ſeq. in ſubditos abſoluta poteſtas* 578. *thronus* 424. & *ſeq tituli* 565. & *ſeq. tributa quæ à ſubditis exigebant* 628. *et ſeq ſatraparum ordo* 187. *ſupplicia varia* 522 & *ſeqq. veredarij & curſores* 244.*veſtes* 198
Perſecutorum Eccleſiæ ſupplicia 517.& *ſeq.*
Perſeuerantia 268
Perſeus Macedonum Rex 73
Petitio quid 367
Pharao AEgyptiorum Regum nomen commune 18
S.Phileas Epiſc & Martyr 446
Philippus I.Franciæ Rex 86. *II: Auguſtus ibid. IV. Pulcher*

ibid. eius crudelitas in Templarios 240.337.
Philippus Macedonum Rex 276. *eius apophthegma* 186.597
Philippi Melanchtonis mendacium 388
Phocas Imp. 125.625
S. Phocæ Ponti Epiſcopi martyrium 208
Phœnicum regium diadema 164
Pietas 106.311
Pindarus ab apibus altus 113
Pipinus Franciæ Rex 86. *eius in Regem inauguratio* 164. & *ſeq.*
Plato Ciceroni Philoſophorum Deus 607. *eius irati pulchrum factum* 59
Pœnitentia 213. & *ſeq externa ſine interna nullius valoris* 263 *quæ fit in fine vitæ incerta eſt* 561. *vera in quibus conſiſtit* 258
Pœnitentiæ variæ cæremoniæ 252 & *ſeqq.* 256. *dilatio damnoſa* 561 *opera quæ* 8.252. & *ſeqq. partes* 258. & *ſeq. vtilitas* 8
Politici 583. *eorum axiomata* 86
S. Polycarpi conſtantia in ſeruanda fide 445 *feſtum* 624. *zelus in hæreticos* 90 503.
Polygamia prohibita 118. & *ſeq. cur Patriarchis veteris teſtamenti permiſſa* 119
Pontificũ Rom. in Reges & principes auctoritas 82 & *ſeq.*
Populi in reges auctoritas 87.
S. Potamiena martyr 384
Præda, eiusque diuiſio 243. & *ſeq*
Præpoſitorum erga ſubditos officium 259. & *ſeq.* 290. & *ſeq.* 321. & *ſeq.*
Preces iaculatoriæ 407. & *ſeq. publicæ priuatis anteponendæ* 289 & *ſeq.*
Precum commodiores formulæ 405. & *ſeq.*
Principes ob quæ à regimine pelli poſſunt 90 & *ſeq.*
Principum affectibus aulici plerumque inſeruiunt 69 *exempla mouent ſubditos* 67. 259. & *ſeq inauguratio* 162. & *ſeqq.* 532. & *ſeq.* 542. & *ſeq. inaugurationis ceremoniæ & ritus* 164 & *ſeq ira quàm formidoloſa* 58. & *ſeq. officium* 276. & *ſeq.* 432. 606. *peccata publica grauiora priuatorum* 66. & *ſeq poteſtas non omni lege ſoluta* 61. *ſæuitia & crudelitas* 427. & *ſeqq. ſuperbia* 270. & *ſeq.* 427 *vita quã miſera, quantisque periculis cincta* 176. & *ſeq.* 502.
Priſcillianiſtæ hæretici 308 & *ſeq.*
Procopia Imperatrix 165
Procraſtinatio in rebus agendis damnoſa 560 *maximè in conuerſione & emendatione vitæ* 561
Prodigalitas 434
Promiſſa mala non ſeruanda 554 & *ſeq.*
Prothæ eunuchi martyrium 127
Proximorum correptio fraterna 287.

287. & ſeq. cura 291.
Prudentia in rebus ſuo tempore agendis 433. & ſeq. 549.
Ptolemæus Philadelphus Ægypti rex 650
Ptolemæus Phyſcus 92
Pulcheria Theodoſij Iunioris Imp. ſoror 234
Pulchritudo vera quæ 155. & ſeq pulchritudinis duo genera 157
Pupillorum cura 180. oppreſsionem Deus vindicat 111
Purificationis B Virginis feſtum 615
Purpura 585
Pythagoras philoſophus 79

Q.

Quadrageſimæ ieiunii 299. eſt traditio Apoſtolica 300 & ſeq.
in Quadrageſima nuptias facere prohibitum 147.
Quæſtus turpes qui 536

R.

Rapina 244. 598. & ſeq.
Raptus & raptorum pœna 511. & ſeq.
Regimen optimum 60 & ſeq.
Regnandi cupiditas quorum malorum cauſſa 574
Regna et imperia à Deo ſunt 20. & ſeq. 635. quando maximè florent 62. & ſeq. 632 à gente in gentem transferuntur, & quare 235. tyrannide & crudelitate non ſtabiliuntur 235
Religio principum fauore præferenda 326. & ſeq. Religionis contemptæ pœna 223
Reſpublica quando beata 62. & ſeq. 632. eius in reges auctoritas 87. & ſeqq.
Reorum damnatio 233. ſupplicia 74 & ſeq.
Rex legibus ſubiectus 70. & ſeq. 88. & ſeq 99. Regis officium 18. 21. 33. 62. & ſeq. 276. & ſeq. 423. & ſeq. 462. & ſeq. 500. & ſeq 599. 612 632
Reges Eccleſiæ quid debeant 272. honorandi 193. ob quæ regno expelli poſſunt 90 & ſeq.
Regum adoratio 193. conſiliarij 455. cura erga ſubditos 460. exempla ſubditos mouent 67. 259. & ſeq exempla affectantium diuinos honores 189. & ſeqq. à ſubditis & domeſticis interfectorum 568. inaugurationes 164. & ſeq. inaugurationum cæremoniæ & ritus ibid. ira quàm formidoloſa 58 & ſeq peccata publica priuatorum peccatis pernicioſiora 66 & ſeq. poteſtas non omni lege ſoluta 60. & ſeq 70. & ſeq. 87. 102 & ſeq. ſoluta in tyrannidem degenerat 60. prodigalitas 434. ſæuitia & crudelitas 427. & ſeqq. ſuperbia ibid. throni 424. & ſeq. vita quàm miſera, quantiſq; periculis cincta 176. & ſeq. 257. 502. 568.
Regibus ebrietas fugienda 50. & ſeq. 438. inconſtantia & leuitas turpis 98. 232. & ſeq. obediendum in rebus honeſtis 116. 178. proprium quid 188.

regnum adimere cuius ſit 82. *& ſeq. tributa debentur* 27. *& ſeq.* 630. *& ſeq.*
Roberti Bellarmini de Aſſuero, cuius in Eſtheris libro mentio fit, ſententia 16
Roberti Francorum regis pietas 463.
Romanorum potoria certamina 41. *Imperatorum diuinos honores affectantium ambitio* 191. *Regum diadema* 163
Romulus Rom. Rex. 112. *& ſeq.*
Rudolphus Auſtriæ Dux 338.

S.

Sabbati ieiunium Latina Eccleſia ſeruat, Græca non, & quare 303
Sacco indui in luctu quibus in vſu 254
Sacerdotum degradatio 537. *& ſeq.*
Sacerdotibus nuptiali conuiuio intereſſe prohibitum 153. *fugienda ebrietas* 438
Sacramentariorum mores 316
Sacrificium ſoli Deo facere licet 193 *& ſeq.*
Sacrilegium quid, & eius effectus 93
Saltatio in nuptijs an licita 168
Sanctorum communio 379. *inuocatio* 330. *& ſeq* 375. 378. *& ſeqq.* 381. *& ſeqq. Græcis vſitata* 383. *& ſeq. etiam Iudæis* 332. *& ſeq. omnium feſtum* 625. *oratio pro peccatoribus quando fructifera* 360. 415
Sanctis latriæ cultus non debetur 193. *& ſeq.*
Sapor Perſarum Rex 73
Sardorum regium diadema 164
Satisfactio pœnitentiæ pars 258 *& ſeq.*
Saxoniæ Elector enſifer Imperij 166.
Scapharum horrendum ſupplicium 525
Sceptrum Regum inſigne 470. *& ſeq.*
Schiſma quid, & quàm graue peccatum 91
Scipionis Africani apophthegma 98
Scripturæ ſacræ Canonicæ quomodo diſcernantur ab apocryphis 317. *qua fide & reuerentia veteres Hebræi eas tractârunt* 651.
Sebaſtianus Munſterus ſibi contrarius 390
Secundi Philoſophi de muliere apophthegma 46
Securitas nimia mala 592
Semiramis Aſſyriorum Imperatrix 122
Senatus in Reges auctoritas 88
Septuaginta interpretes 651
Serpentis natura 434
Siculorum in Francos crudelitas 240
Silentium 172
D. Simeonis Apoſtoli martyrium 208. 444. *& ſeq.*
Simonia quid, & eius effectus 93
Simonis Magi ambitio 475
Simonis à monte forti Comitis de Albigenſibus victoria 594
Sixtus Senenſis refellitur 17

Sobrie-

Sobrietas 307
Sogdianus Perſarum Imp. 15
Solitudo, & loca ſolitaria apta orationi 397
Somnia & viſiones, in quibus Deus ſuam voluntatem aperit 640. & ſeq.
Somni cauſſæ 461
Sophronia matrona Romana in morte Lucretiam imitata 55
Sortes & ſortilegi 212. 214. ſortium ſpecies 214. vanitas 591. ſortilegorum pœnæ 221. Sors conſultoria quando licita, quando non 217. & ſeq. diuinatoria illicita eſt 219. & ſeq. eius ſpecies ibid. diuiſoria licita eſt 214. & ſeqq. eius ſpecies 216
Spadones qui 121. 122. ſpadonum functiones & munia 125. & ſeq
Sponſalia quæ 138. & ſeq. cur fiant ante nuptias 139. & ſeq. ſimplicia & firmata quæ 141. & ſeq. quibuſcunque arrhis confirmata diſſolui poſſunt, & quibus de cauſſis 144. et ſeqq. qua ætate, à quibus fieri poſſunt, & à quibus non 141. eorum ſpecies ibid.
Spunſarum ornatus die nuptiarũ licitus 137. & ſeq. 149. & ſeq.
Sponſores qui 138
Sporinæ Ethruſci adoleſcentis caſtitas 55. & ſeq.
Spurius Caßius Romanus 181
Spurius Melius ibid.
D. Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus Martyr 85
Stationes in Eccleſia 410
Stephanus Pariſienſis Epiſcopus 86.
D. Stephani Protomartyris feſtum 624
Stola Syriæ Regum diadema 163
Stuprum & eius pœna 511. & ſe.
Superbia 449. 516. & ſeq. hæreſis mater 475
Superbiæ effectus 175. 204. & ſeqq incommoda 517 pœna 72. & ſeq. 157. & ſeq. 508.
Superbi humiliantur 157. & ſeq. 185. & ſeq. 279. 327. 474. & ſeq. 516. & ſeq. 648.
Supplicia reorũ Reip. vtilia 74. & ſeq.
Suppliciorum varia genera 522. 523. & ſeqq.
Suſa Perſarum metropolis 22. & ſeq.
Suſurro quis 202
Sybaritarum luxus 133
Syrorum regium diadema 163

T.

Tamerlanes 73
Taprobana inſula 61
Tarpeiæ Romanæ fœminæ amor caſtitatis 56
Tatianus hæreſiarcha 309. 476
Telephus Herculis filius à cerua nutritus 113
Temperantia 307. 363
Templariorum ordo à quibus in Gallia euerſus 240. 337
Templorum vſus 397. & ſeqq.
Temporis oportunitas in omni re ſeruanda 433. & ſeq. 549.
Ternarius numerus myſterijs dicatus

catus 419.420.
Teugualdus Treuerenſis Archiepiſcopus 535
D. Thelesphori Papæ de ieiunio decretum 298
Themiſtoclis in addiſcenda Perſica lingua ſedulitas 79.
Theobaldus Camerinorum Princeps 125
Theodoricus Frāciæ Rex ab Ordinibus regno pulſus, monaſterio incluſus 89
Theodoſius I. Imp. 60. 86. eius pietas 385
Theodoſius II. Imp. Bibliorum quàm diligens lector 463. vxorem imprudens vendit 234
Thlaſiæ qui 122
Thlibiæ qui 121. & ſeq.
de Thronis & ſolijs regum 424. & ſeq.
Thymelici qui 153
Tiara 49.163.468
Tiberij Imp. intemperantia 41. pietas in ſubditos 169.631. ſæuitia & crudelitas 428
Timor Dei 550. & ſeq.
Traditiones Apoſtolorum 633
Traianus Imperat. 276.631. eius mors 518
Tribulationes iuſtorum in hac vita 245
Tribulationum cauſſa 485. finis 634. & ſeq. vtilitas 261. & ſeqq. 586
Tribulationes omnes auerſamur 277. & ſeq. in ijs quid pijs agendum 8.647
Tribunorum plebis apud Romanos officium 61
Tributa regibus & magiſtratui debentur 26 et ſeq. 630. & ſeque, et quando ſunt iniuſta 169 qualia eſſe debent 168. & ſeq. 631 & ſeq.
Tutela quid 110
Tutores vnde nomen habēt ibid.
Tutorum erga pupillos officium 109. & ſeq.
Tyranni dracones, ſerpentes etc. in ſacra Scriptura appellantur, & quare 643 leones 361.427. regno pelli poſſunt 95.96
Tyrannorum crudelitas & ſæuitia 207. & ſ. 239 & ſeq. 427. & ſeqq. 454 mores 247. 427. vita miſera, & periculis plena 275.643
Tyrannis ſeruire idololatria 328

V.

Valens Imp. 518
Valeriani Imp. à Perſis capti miſera vitæ conditio 73.518
Valerius Publicola Romanus 169
Vandalorum in Africa Eccleſiæ perſecutio 55
Vaſthis regina an peccauerit quod vocata ad Aſſuerum venire renuerit 52. & ſeqq. an iuſtè ab Aſſuero repudiata 75 & ſeq.
Vaſthis in Iſraëlitas crudelitas 45. mors ibid. & 77. nominis interpretatio 45 pater ibid.
Vbiquiſtarū Lutheranorū mores 315 316.
Venetorum ſuffragia ineundi ratio per calculos argenteos 217
Venuſtas 157
Veritatis vis 487. eam in tempore diſ-

re diſsimulare prudentia eſt 129
Vectigalia regibus debentur 26. *& ſeq. quæ iniuſta* 169
Veſtales virgines apud Romanos 93
Veſtes in luctu ſcindere, quibus vſitatum 252 *& ſeq* 343. *& ſeq.*
Veſtimentorum luxus 422. *& ſeq. ſplendor quibus permiſſus, quibus non* 421.585
Viæ impiorū exitus & finis 442 *& ſeq.*
S *Victoria Martyr* 55
Victoriæ in bello de hoſtibus à Deo 24. *& ſeq.* 593. *& ſeq.*
Viduarum cura 111
Vigiliarum ſacrarum ieiunium 303. *& ſeq.*
Vigiliarum & inſomniarum cauſſæ 459.460. *& ſeq.*
Vindicta quæ licita, quæ illicita 562.563.596. *& ſeq* 601
Vinea argentea 35
Vini moderatus vſus permiſſus 40. *& ſeq.*
Virorum caſtratio mala & prohibita 122.123. *& ſeq.*
Virtutis efficacia 576. *præmium* 622.
Viſitationis B. Virginis feſtum 615
Vita humana miſera & incerta 489.490
Vitta ſponſi & ſponſæ 151
Vnguentorum vſus licitus vel illicitus 135.136. *& ſeq.*
Voto ſolenni alicuius probatæ religionis ſoluuntur ſponſalia 146
Vrbanus II. Papa 86. *VI.* 615
Vrbes aliquot olim celebres, quæ nunc exciſæ & euerſæ 23
Vulgi inconſtantia & leuitas 195 *& ſeq.* 588. *& ſeq.*
VVolfgangi Muſculi mendacium 390
Vxores maritorum mores plerumque imitantur 46. *maritis ſubſint & obediant* 53. *& ſeq.* 79. *& ſeq.* 439. *in maritos dominium quomodo conſequi poterunt* 439
Vxorum & concubinarum differentia 143. *in maritos fidelium exempla* 179. *in eoſdem dominium illicitum* 54. *officium* 178.265. *& ſeq.* 498. *& ſeq.* 601. *ornamenta & corporis pulchritudo quæ vera* 155. 156. *& ſeq. pluralitas mala* 118 *& ſeq. quibus vſitata* 133. *repudium quibus permiſſum, quibus non* 77

X.

X*Erxes I. Perſarum Imperator* 14.187
Xerxes II. Imp. 15

Z.

Z*Acharias papa* 85. *& ſeq.*
Zelus piorum in diuinæ legis contemptores & præuaricatores 257.355. *& ſeq.* 359.
Zuinglianorum in Catholicos calumnia 227.

FINIS.

LIBER ESTHER, COMMENTARIIS, CONCIONIBVS CHRISTIANIS ACCOMMODATIS, EXPLICATVS,

per R. P. F. FRANCISCVM FEV-ARDENTIVM, Ordinis F. Minorum, Pariſienſem Theologum.

PRAEFATIO.

ISTORVM commentariorum initio operæpretium videtur, dicendum eſſe de huius libri Authore atq; authoritate: deinde, quàm longè lateque pateat eius vtilitas in Eccleſia: poſtremò, quæ ſint illius partes: hæc enim nonnihil ſplendoris ac commodi poterunt adferre ad totius lectiſſimæ hiſtoriæ cognitionem & rationem capiendam.

Quantum ad primum ſpectat, non eſt vna veterum tam Latinorum, quàm Græcorum, ac Hebræorum Patrum ſententia. Nam Auguſtinus, & qui eius iudicio nunquã non conſentit Iſidorus, exiſtimant Beatum Eſdram, Iſraelitici populi Doctorẽ eximium, Ducem optimum, & Prophetam ſanctiſſimum, poſt reditum è captiuitate Babylonica, hunc

Aug. lib. 18. ciuit. ca 36. Iſidor. li. 6. Etym.

ca, hunc Librum, vt res geſtas, quæ in eo re-
feruntur, accidiſſe probè nouerat, Hebraico
ſermone ſcripſiſſe, & reliquis veteris Inſtru-
Euſeb. in Chron. menti canonicis libris coniunxiſſe. Verùm,
hanc ſententiam, antequam pronunciatā
fuiſſet, velut improbans Euſebius, ſcripſit;
Eſdram de hac hiſtoria omnino ſiluiſſe: ideo
que cenſendum eam à quodam alio Prophe-
ta anonymo, Eſdra poſteriore, ſcripto fuiſſe
Beda. traditam: cui ſententiæ aſtipulatur Beda, in
Philo in deſcript. temporum. temporibus. Philo Annianus cenſet, Ioa-
chim, Ieſu filij Ioſedec in ſummo Synagogæ
pontificatu ſucceſſorem & filium, res iſtas,
vt geſtæ fuerāt ſcriptis memoriæ tradidiſſe.
R. David. Rabbi Dauid Kimhi totū hoc opus tribuit
Viris magnę Synagogæ. Poſtrema ſententia,
quæ vt omnium vulgatiſſima eſt, ita & cer-
R. Moſe. tiſsima videtur, eſt Rabbi Moſis Hiſpani,
R. Aben-Eſra. qui Σοφὸς, id eſt, Sapiens dictus eſt, Rabbi A-
ben-Eſræ, & omnium ferè recentium Theo-
logorum, nimirum, quòd ipſe Mardochęus,
qui rerum geſtarum magna pars fuit, ſingu-
la pro vt ipſe viderat, proprijs oculis in Per-
ſide, literis tradidit, miſitq; librum ad Pon-
tificem, Synagogamque Ieroſolymitanam
ſuis calculis probandum: quod diuino nu-
tu, procerumque veteris illius Eccleſię con-
ſenſu & authoritate factum eſt. Hanc porrò
ſententiam nunc amplexantur plerique om-
nes Latini ſcriptores, quam & ex eo confir-
mant veriſſimam eſſe, quòd nono huius li-
bri capite ſcriptum legatur: *Scripſit itaq; Mar-
dochæus*

dochæus omnia, & literis cõprehenſa miſit ad Iudæos. Et paulo pòſt: *Suſceperunt Iudæi ea quæ Mardochæus literis facienda mandauerat: & cuncta quæ in Epiſtola,* id eſt, libri huius volumine, *continentur.* Atque ita hunc locum interpretantur Lyranus & Rikelius.

Cæterùm, non eſt putandum iſtam de Authore & ſcriptore huius libri ſententiarum varietatem aliquid officere Hiſtoriæ veritati vel authoritati, quandoquidem librorum canonicorum pondus fideſque non ſimpliciter à ſcriptore dependeat: ſed à Spiritu ſancto Eccleſię Catholicę perpetuo doctore & rectore, qui non ſolùm in veteri patrum circunciſorum Synagoga, inter CHETHVBIN, id eſt, Hagiographa, hunc Eſtheris librum cenſeri voluit, verùm etiam in Eccleſia Chriſtiana ab initio ſubinde vſque ad noſtram ætatem, vt ex canone 84. Apoſtolorum, concilijſq; Laodiceno, tertio Carthaginenſi, Florentino & Tridentino; denique Patrum Græcorum & Latinorum adprobationibus perſpicuum & certum eſt. De hoc itaque libro idem dici poteſt, quod D. Gregorius de authore libri Iob dicendum eſſe iudicauit: Quis ſcripſerit, ſuperuacuè quæritur, cùm author libri Spiritus ſanctus credatur. Ipſe hæc ſcripſit, qui ſcribenda dictauit. Si magni cuiuſdam viri accepta legeremus verba, eaque quo calamo fuiſſent ſcripta anxiè quæreremus, ridiculũ profectò eſſet, ſi non auctorem & epiſtolarum ſenſum *Greg. præf. in Iob. ca. 1.*

cognoſcere, ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerint, indagaremus. Adde huic teſtimonio Iunilij Africani præclarum certè iudicium: Quorundam librorum (ait) ignorantur Authores, vt alij ſacri libri nō Authorum merito, ſed Spiritus ſancti gratia tātum culmen authoritatis obtinuiſſe noſcantur. Hactenus illi. Itaque cùm ex ſuperioribus ſatis conſtet, hunc librum ad canonem Diuinorum voluminum pertinere, ea fide & reuerentia cuncta quæ in eo leguntur excipienda, meditanda, & prædicāda ſunt, qua decet ſanctiſſimum Dei omnipotentis ſermonem; quem aſpernari aut contemnere nobiſcum verbo ſuo differentem, nefarium ſcelus, ac ſempiternis inferorum flammis plectendum eſt. Ait enim ad eiuſdem verbi ſui ſcriptores & præcones: *Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Et Paulus in huiuſmodi contemptores confidenter inſurgens, dicit: *Qui hæc* (diuina verba & ſcripta) *ſpernit, non hominem, ſed Deum ſpernit.* Atque vt paucis, ſed æterni Filij Dei verbis concludam; Remiſſius erit in iudicio Sodomis, quàm ciuitati illi, quæ cæleſtes legatos cum ſacris mandatis ad ſe miſſos contempſerit.

Iunil li. de part diuinæ legis, cap. 8.

Luc. 10.

1. Theſſ. 4.

Luce 10.

Tot porrò, vt de ſecundo capite dicamus, & tam vberes ampliq́ue ſunt huius hiſtoriæ, ſi diligenter expendatur, fructus atque vtilitates; vt eas nemo vel aſſequi cogitando, vel percenſere numerando facilè poſsit. Cùm e-

nim, vt iam effecimus, diuinitus inſpirata & literis mandata ſit, *vtilis eſt ad docendum, ad redarguendum, ad corripiendum, ad erudiendum ad iuſtitiam, vt perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus*. Ergo quæcunque etiam in hac hiſtoria ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Quod ſi de prophanis rerum humanarum hiſtorijs, hoc elogium edere non eſt veritus illuſtris Orator; Hiſtoria teſtis eſt temporũ, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis: quanto verius ac rectius de ſacris illis, quæ Spiritu diuino authore literis ſunt conſignatę, & ad totius humani generis vtilitatem & ſalutem propoſitæ, qualis eſt hæc Mardochæi ac Eſtheris rerum geſtarum commemoratio, id credendum & palam prædicandum eſt? Comprehendit enim in primis illuſtriſsima exempla prouidentiæ Diuinæ in conſeruandis, & ab omni humano periculo liberandis cultoribus ſuis; cuiuſmodi fuerũt Mardochæus, Eſther, & omnes Iudæi, qui tum ſub Perſica monarchia frequentes hinc inde morabãtur. Illos enim alto quidem, ſed iuſto iudicio ſuo permiſit Deus de cunctis facultatibus, & de ipſa vita cum vxoribus ac liberis omnino periclitari, imò edictis crudeliſsimis per cunctos imperij ampliſsimi fines promulgatis & affixis, ad barbaram & horrendam lanienam propemodum abripi: quos tamen inde velut ex

2.Tim.3.

Rom. 15.

Cic.lib.de Oratore.

mortis faucibus non minus clementer quàm potenter & mirabiliter liberauit. Sicq; veriſſimum iſtud oſtenſum eſt: *Ego, inquit, occidam, & viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo: & & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.* Et quod dixit Anna Samuelis mater: *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſubleuat.* Demumq; Tobias: *Tu Domine, flagellas & ſanas; deducis ad inferos, & reducis.* Plurimum autem proderit, hoc preſertim infeliciſſimo tempore, iſthęc diligenter meditari & palam prædicare, vt inde diſcant omnes Deum, Eccleſiam ac familiam ſuam & poſſe & velle è ſummis diſcriminibus eripere, adeoque ipſis inferorum portis, & dæmonum, vniuerſorumque tyrannorum viribus ac copijs ſuperiorem facere: ne quis propter multitudinem & rabiem hoſtium eius deficiat animo, aut ſcandalis tentationibuſque ſuccumbat, &cæt.

Deut. 32. *1. Reg. 2.* *Tob. 13.*

Deinde, ſunt in hac hiſtoria grauiſſima exempla terribilis iræ atque vltionis Dei aduerſus Vaſthim, Haman, decem filios eius, & reliquos Eccleſiæ ſuæ perſecutores, qui è ſupremo culmine honorum, voluptatum, & diuitiarum, quo ab imperatore Perſarũ fuerant præter rationem ac meritum euecti; in extremum dedecus, opprobrium, mortẽ denique ceciderunt: quòd populum Domini, velut oues occiſionis ad necem poſtulaſſent. Vaſthis enim throno, coniugio, honore cecidit;

dit; Haman de ligno pependit, quod ſeruo Dei Mardochæo parauerat; decem filij patibulis affixi; & varijs locis vſque ad ſeptuaginta quinque millia Ethnicorum à Iudæis ipſis fuerunt interfecti. Sic ergo impleta eſt iſta comminatio cæleſtis: *Reddam vltionem hoſtibus meis*, (hoſtes quippe Eccleſiæ ſuæ Deus hoſtes ſuos reputat) *& his qui oderunt me retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Et rurſum: *Si audieris vocem meam, & feceris quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Et ad patrem fidei noſtrę dictum eſt: *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.* Quæ ne viderentur inanes minæ, Deus voluit confirmari tum hoc Hamanis & liberorũ eius ruina, tum illuſtrium aliquot aliorum tyrannorum ac populorum, vt AEgyptiorum, Amalechitarum, Babyloniorum, denique Hieroſolymæ ac ciuium eius exemplis; qui dignas ſuæ in Deum ſuperbiæ, ac tyrannidis in ſeruis eius pœnas tandem aliquando dederunt. Hinc Tertullianus enumeratis quibuſdam Eccleſiæ Chriſti perſecutoribus, qui horribili morte perierant, monet Scapulam ad fundendum Chriſtianorum ſanguinem paratum, μὴ θεομαχεῖν, id eſt, contra Deũ non pugnare: ſed humanitatis potius meminiſſe. Euſebius quoque refert epiſtolam Conſtantini Magni ad Saporem regem Perſarum, in qua Chriſtianos impenſius illi commendat, eundemq́ue ab illorum perſecutione deterret,

Deut. 32. *Exod 23.* *Geneſ. 12.* *Li. ad Scap.* *Li. 4. de vita Conſtantini.*

ret, commemoratis aliquot exemplis tyrannorum, qui propter vim illis allatam, diuina vltione perierant, &c.

Præterea, docet hæc hiſtoria, quid pijs Dei ſeruis in aduerſis rebus cõſtitutis facere conueniat, nimirum Mardochæi, Eſtheris, & aliorum piorum Hebræorum imitatione, delicatas veſtes abijcere, ſaccum induere, cinere caput aſpergere, ieiunare, plangere, peccata & iram Dei agnoſcere, gemere corã Domino, & omni humilitate miſericordiam & auxilium eius poſtulare His enim pœnitentiæ exercitijs vltionem à ſuis capitibus arcuerunt, & diuino beneficio hoſtib. ſuis ſuperiores euaſerunt. Atque hoc idem præſtandum populo ſuo peccãti non modò cõſulit, ſed &

Ioel. 2. præcipit dicens: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu; & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra; & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præ-*

Ion. 3. *ſtabilis ſuper malitia* Eiſdem remedijs ſaluti ſuę ſubueniendum putantes Niniuitæ poſt quadraginta dies ſubuertendi, ciuitatem & po-

3. Reg. 21. pulum ſuum ad tempus ſeruauerunt. Achab in ieiunio & ſacco humilians ſe in conſpectu Domini, iram eius à ſeipſo auertit. Dauid, Ezechias, Machabæi, Theodoſius, Heraclius, inſignes victorias de hoſtibus populi Dei

Apol. c. 40. reportauerunt. Nos ieiunijs aridi (inquit Tertullianus) & omni continentia expreſsi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volu-

volutantes, inuidia cælũ tundimus, Deũ tangimus, & miſericordiam extorquemus, &c.

Ad hęc, docet Eſtheris hiſtoria Deum abiectos & neglectos ab hominibus nonnunquam erigere, & in ſummos regnorum atque honorum gradus etiam in hoc mundo tam mirabiliter quàm potenter exaltare: vt nemo de faſtigijs imperiorum ſuperbiat, nemo contemptus frangatur aut deſperet. Eſther namque initiò deſpecta puella, paupercula, vtroq; parente orbata, exul inter infideles, veluti ouis in medio luporum, multis ærumnis ac periculis expoſita, diuinæ clementiæ & bonitatis ope tandem facta eſt potentiſſimi Imperatoris coniux, & totius populi ſui liberatrix. Sic Moſes & Dauid à pedo ad ſceptrum, & à caulis ſtabuliſque paſtorum ad totius diuini populi glorioſam adminiſtrationem ſunt euocati. Heliſæum ex aratore oratorem; Amos ex bubulco fecit eximium Prophetam. Piſcatores piſcium, hominum reddidit piſcatores. Hinc optimo iure in laudem huius beneuolentiæ exclamat Anna: *Dominus ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Quod & Dauid aliquanto poſt eiſdem verbis repetiuit & confirmauit. Ad idem quoque beatiſsima Deipara in cantico cecinit: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Hæc porrò quidam cæci rerum humanarum admiratores fortunæ caſibus, aut planetarum aſpecti-

Exod. 3. *1. Reg. 16.* *3. Reg. 19.* *Amos 1.* *Matth. 4.* *1. Reg. 2.* *Pſalm. 112.* *Lucæ 1.*

bus tribuunt: verùm pij omnes econtrario diuinæ prouidentiæ, atque de hominibus ſolicitudini, cum omni fide atque gratulatione accepta ferre nihil dubitant. Tametſi verò nunc non omnes pupillos & contẽptos euehat ad gloriam ac pompas regnorũ temporalium; breui nihilominus tempus futurum eſt, quo & illos, & omnes qui veram pietatem amplexati fuerint, in regno cælorum
Epheſ 2. exaltabit, *& conregnare conſedereque* (vt Apo-
Matth. 25. ſtolus loquitur) *ſecum faciet in cæleſtibus. Venite* (inquiet) *poßidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi, &c.*

Denique, vt paucis plurima comprehendamus, habent in huius hiſtoriæ contemplatione Reges, principes, nobiles, tum viri tum fœminæ quid diſcant in Aſſuero, Haman, Vaſthi, Mardochæo, ac Eſthere. Habent iudices & magiſtratus politici in ſeptem Aſſueri conſiliarijs, quid imitentur. Habent opifices, agricolæ, pauperes, exules, damnati ad necem, in Iudæorum populo exuli ac poſtremis ſupplicijs adiudicato, quid eos diſcere oporteat. Habent Rectores Eccleſiæ, & Patres familias in Mardochæo quid obſeruent. Habent puellæ, mulierculæ, matres in vnica Eſthere & ancillis eius plurima virtutum exempla. Habent poſtremò omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, quopacto & in rebus proſperis, & in aduerſis vitam & mores inſtituere debeant. Cætera ſuis locis commodiùs patebunt: ad id quod tertio loco in-

o inſtituimus dicendum, properemus.

Summa totius huius ſacræ hiſtoriæ quinque potiſſimum articulis abſoluitur. Primò enim deſcribitur occaſio, qua Vaſthis regina repudiata fuerit, & dignitate regia priuata ſit; & ſancta Eſther in eius locum & honorem ſubſtituta: hocque primo ac ſecundo capitulis. Secundò refertur quomodo Haman hoſtis populi diuini ſummam poteſtatem in regno Perſarum acceperit, eademque per incredibilem impietatem, ſuperbiam & crudelitatem abutens; propter odium vnius Mardochæi ſancti viri, vniuerſum populum Hebraicum internecione delere conatus ſit: & hoc toto capite ſequenti. Tertiò commemorantur fidelium Iudæorum conſternationes, ieiunia, lacrymæ, gemitus, & preces, quibus calamitoſiſſimo illo tempore, hortatoribus in primis Mardochæo ac Eſthere, ad Deum confugerunt: Capitibus quarto & quinto. Quartò recitatur quomodo Haman, qui bellum Eccleſiæ indixerat, relatus in reos, iuſtiſſimas ſuę impietatis pœnas perſoluerit in patibulo, quod ſeruo Dei Mardochæo erexerat: ipſe verò Mardochæus in eius gradum ac poteſtatem ſublimatus, vnà cum Eſthere poteſtatem ab Imperatore acceperit vlciſcendi populum Iudaicum de hoſtibus ſuis: Capitibus 6. 7. & 8. Quintò deſcribitur vltio ſumpta de infidelibus Eccleſiæ hoſtibus, ſimulque inter Iudæos inſtituta ſolemnitate in gratiarum actionem.

Quæ

Quæ præter Hebraicam literam ſequuntur fragmenta, ad ſuperiorum maiorem elucidationem pertinent. Atque hæc de authore & libri huius authoritate, de vtilitate & fructu illius, denique de partibus præcipuis totius hiſtoriæ ſufficiant: nunc hiſtoriam ipſam aggrediamur.

LIBRI

LIBRI ESTHERIS
CAPVT PRIMVM.

1. *In diebus Aſſueri, qui regnauit ab India vſque Aethiopiam, ſuper centum viginti ſeptem prouincias:*
2. *Quando ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.*

DIVERSAE ſunt interpretum ſententiæ, quis fuerit iſte Aſſuerus, qui etiam huius libri capitibus 11. 12. & 16. nominatur Artaxerxes, quum quatuor huius nominis Perſarum ac Medorum Imperatores inueniantur. Daniel namque patrem Darij Priſci regis Medorum & Perſarum *Daniel. 9.* vocat Aſſuerum: Aſtyages quoque frater Mandanis *1. Eſdra 4.* matris Cyri nominatus eſt Aſſuerus: Eſdras meminit Aſſueri, cuius mandato impedita fuit inſtauratio templi ſub Cyro inchoata; quem multi putant fuiſſe Cambyſem: Darium quoque Hyſtaſpem, quo imperante templum abſolutum fuit, & Aſſuerum, & Artaxerxem appellant. Quinetiam Megaſthenes ac Herodotus Darium Longimanum eodem nomine nuncupatum fuiſſe contendunt. Sed præſtat breui tabella oculis ſubijcere vniuerſos Perſarum imperatores, horumq; tempora: hinc enim non ſolùm huic hiſtoriæ, ſed & Danielis, & Ieremiæ, & Eſdræ vaticinijs ac hiſtoricis narrationibus non parum lucis adferetur.

DARIVS Medus & CYRVS Perſa, capta Babylone, occiſoque Balthaſare, ſimul duobus annis, *Imperatorum Perſicorum Catalogus.* Chaldæis, Aſſyrijs, Perſis, & Medis imperauerunt: ſolus autem Cyrus 22. iuxta Megaſthenem: aut 16. ſecundum Herodotum: aut 30. quæ eſt ſententia Euſebij, & Marci Tullij. 1. Atque hoc initium fuit ſecundæ orbis monarchiæ; quæ nunc cum pectore argenteo, mox cum vrſo tres ordines dentium habente in ore, *Dan. 2. & 7.* comparatur apud Danielem.

CAM-

2\. CAMBYSES Cyri filius, ſed à perenni conteſtatáque patris virtute degener, ſecundo loco imperauit annis ſeptem: prohibuitque, Ioſephi teſtimonio, ſacrorum Ieroſolymorum inſtaurationem, à patre conceſſam. Exiſtimant autem multi hunc eſſe Aſſuerũ illum, de quo multa in Eſdrę libris, licet ſub alio nomine.

3\. MAGI duo, ſublato Cambyſe, fraude occupatum imperium ſeptẽ menſes retinuerunt, qui à quibuſdam cum annis Cambyſis confunduntur.

4\. DARIVS cognomento Hyſtaſpis, poſt necem Magorum, hinnitus equi ſigno (vt inter ſeptem principes conuenerat) in imperatorem Perſarum deſignatus & inauguratus, pacem Synagogæ à Cambyſe & præfectis Syriæ turbatam reſtituit, & templum Domini tum demum abſolui permiſit. *Perfecerunt templum*, ait Eſdras, *ex præcepto Dei Iſraelis, & conſilio Cyri, & Darij & Artaxerxis regis Perſarum.* Vbi notandum, Darium eundem eſſe cum Artaxerxe, atque coniunctionem *ET*, expoſitiuè ſumi: quaſi dicat, ex præcepto Darij, qui etiam Artaxerxes, & Aſſuerus vocabatur. In hac ſententia ſunt Aben-Ezra, & Megaſthenes Perſa, quodque ſatis feliciter regnauerit viginti annis: aut (quod veriſimilius eſt) triginta & ſex, vt tradit poſt Herodotum in Chronico ſuo Euſebius. Hunc etiam Rabbi Salomon appellat Darium, Artaxerxem & Aſſuerum, affirmans eum ex vxore ſua Eſthere genuiſſe filium, regni ſucceſſorem.

1.Eſdræ 7.

5\. XERXES Darij filius & ſucceſſor in imperio, princeps infelix, temerarius, & crudelis, plus effudit ſanguinis humani, quàm quiſquam alius regum Perſicorum: nam memorabile illud bellum aduerſus Greciam ſuſcepit infeliciter. Hunc autem præterit Megaſthenes, eò fortaſſis quòd proficiſcenti in Græciam, veteri Perſicarum inſtituto, eiuſdem filius Darius Longimanus regnum adminiſtrauerit. Huic Euſebius ſubijcit quendam Artabanum, eiuſdem Xerxis patruum: verùm ab alijs tantùm inter copiarum præfectos refertur, remiſſumque vt Suſan regeret.

6\. DARIVS Artaxerxes, cognomento Longimanus, eò quod dexteram manum ſiniſtra longiorem haberet,

Xerxi

Xerxi patri ſucceſſit.Huius meminerunt Daniel cap. 9.
& 14. Eſdras cap.4.5.& 6.itemque Nehemias capite ſe-
cundo:fuit enim princeps felix, pacificus, & populo
Dei fauit impenſiſſimè. Eo ſiquidem imperante, Eſ-
dras ex Perſide Ieroſolymam rediit,ampliſſimis donâ-
tus priuilegiis & beneficiis,populum reformauit , Le-
gis libros inſtaurauit;& vt Samaritanis non miſceren-
tur, literarum Iudaicarum formas commutauit. Dein- *Euſeb. in*
de,Nehemias Hebræus pincerna eiuſdem Artaxerxis, *Chron.*
concedente ſibi domino ſuo 20. eius anno de Babylo-
ne venit in Iudæam, & 32. anno muros vrbemque re-
ſtituit. Imperauit autem annis 40. Deo pietatem eius
compenſante.

Poſt hunc Euſebius collocat XERXEM ſecun- 7.
dum, deinde SOGDIANVM, quos vult tantùm 8.
regnaſſe decem menſibus. Alij prætermiſſis duobus i-
ſtis, Artaxerxi proximè ſubijciunt DARIVM No- 9.
thum: hinc ARTAXERXEM Mnemona cogno- 10.
mento Magnum, qui fœdiſſimo inceſtu ſe polluit, &
poſt ſe reliquit alaſtora quendam DARIVM Ochum: 11.
poſt quem ARSES, qui & Arſames: poſtremò DA- 12.
RIVS Arbelas victus ab Alexandro Magno, Perſa- 13.
rum monarchiæ ſubſtituitur. Hæc autem annis 216.
aut ſecundum quoſdam 228.denique vel aliorum ſen-
tentia 230.duraſſe refertur.

Variè porrò inter doctos agitata eſt quæſtio, quis ex
ſuperioribus Regibus fuerit ille Aſſuerus,ſub quo con-
tigerunt ea, quæ hoc Eſtheris libro narrantur: & ad-
huc ſub iudice lis eſt. Quidam nolunt aliquem ho-
rum: ſed Aſtyagem,Cyri auum maternũ fuiſſe, quem
Medis imperaſſe conſtat. Verùm,cùm peruium & cer- 1.
tum ſit,hanc hiſtoriam ſub Perſica Monarchia conti-
giſſe,adeoque ſoluta per Cyrum Iudæorum Babyloni-
ca captiuitate:non poteſt ſtare horum ſententia.

Nonnulli Cambyſem hunc fuiſſe volunt,quem con 2.
ſtat immani Iudæorum odio flagraſſe, inchoatamque
ſacri templi inſtaurationem prohibuiſſe: vt veriſimile *1.Eſdr.4.*
ſit eum facilè ab Hamane concitari potuiſſe in huius
gentis internecionem.Sed cùm hîc referatur,anno duo
decimo Aſſueri, Iudæis intentatam eſſe tantam per- *Eſther.3.*
niciem;

niciem;Cambyſes verò octo tantùm ad ſummum annos regnauerit; non poteſt pro certo hic Aſſuerus eſſe.

3. Tertia,eaque Rab.Salomoni, Aben-Eſræ, Megaſtheni Anniano,Lyrano,& plurimis alijs probata, ſententia eſt,hunc Aſſuerum,eum fuiſſe qui & Darius Hyſtaſpes,& Artaxerxes appellatur,quique poſt cædem Magorum & diu,& ſatis feliciter Perſis imperauit.Et certè ſatis conuenit in huius tempus ætas Mardochæi: ſimulque nomen vxoris illius, quam Herodotus Atoſſam nominat, quod nomen cum Adaſſa ſeu Eſthera ſatis conuenit. Nec obſtat quod idem Herodotus fingat eam fuiſſe filiam Cyri:quoniam fortè hoc mendacio niſus eſt illius commendare familiam, & Iudæorum tum captiuorum gloriæ detrahere.

4. Sunt rurſum qui ſcribunt,Xerxem illum,qui & Oxiarès,& à Iudęis criticis Ahaſchumeros vocatur,Græcię terrorem,noſtræ Eſtheris maritum fuiſſe. Nam is Herodoto teſte,& Sacas,& Indos,& Aſſyrios,& Aethiopes,aliaſque multas & grandes nationes imperio ſuo ſubiecerat,& in prouincias redegerat.Quod autem Annius Viterbienſis(inquiunt)ſub nomine Philonis 198. annos Mardochæo tribuit,ab homine otioſo confictũ eſt.Nam illa verba:Qui à rege Babyloniæ abductus eſt, &c. perperam refert ad ipſum Mardochæum,non ad Cis,proauum eius.Herodotus porrò non ſemel confirmat Xerxis vxorem Ameſtrim vocatam.Et hæc eſt noſtra Eſther,ſic vocata Ham Eſther, ſimili compoſitione, qua pater Hamam dicitur Ham-Adata.Ergo à Perſis vocata fuit Ham Eſther,ſeu Ham Eſtris cùm ad thalamum Regis veniſſet:cùm antea ab Hebræis Hadaſſa nominaretur.

Ioſ.Scal. Lib 6.de Emend. temp. 1.Eſdr.4. Lib. 7. Lib.7. & 9.

5. Robertus Bellarminus,vir acutus & perdoctus,quia tam ſententiam,quæ eſt IoſephiSulpitij, & Nicephori Conſtantinop. magis probabilem cẽſet:nimirum, Aſſuerum maritum Eſtheris non alium eſſe poſſe, quàm Artaxerxem,qui dictus eſt Longimanus: quoniam ſi cui fides habenda eſt in hac hiſtoria,maximè Ioſepho, qui & Hebræus,& ſacerdos,& peritiſſimus rerum Hebraicarum fuit. Veriſimile eſt etiam Nehemiam Hebræum

Lib.11.antiq. cap.6. Lib. 2. ſacra hiſtor. In Chron.

bræum idcirco pincernam tanti Regis eſſe potuiſſe, quia & Regina Eſther Hebræa, & præfectus Palatij Mardochæus Hebræus erat.

Sextam denique de hoc Aſſuero ſententiam his verbis expreſſit Sixtus Senenſis: Fatemur Artaxerxem illum, de quo in apocryphis illis capitibus agitur, eundem eſſe cum Aſſuero, de quo in toto libro Eſther iuxta Hebraicam veritatem fit mentio: qui etiam Philone reſte, magnus Artaxerxes, & Aſſuerus Darius Mnemon dictus eſt, quintus poſt Cyrum, Perſarum, Medorum, & Aſſyriorum rex. Cuius regni anno 12. hæc hiſtoria contigit, quemadmodum capite tertio narratur. Hæc ille: in quibus profectò aliqua ſunt, quæ à pijs & doctis viris probari non poſſunt. Primum, quòd poſt Concilium Tridentinum, poſtrema huius libri Latinæ editionis capita vocet apocrypha: quod ſuis locis poſtea ex Græcis & Latinis Patribus, publicisq; in Eccleſia lectionibus refellemus. Secundum, quòd contra omnem hiſtoriarum fidem Darium Mnemonem quintum à Cyro Perſarum regem conſtituat. Tertium, quòd Mardochæum à Nabuchodonozore vſque ad hunc Darium vixiſſe contendat. Quartum, quòd ab Annio Viterbienſi confictam Chronologiam, diſertiſſimo Hebræorum Philoni pro certo tribuat. Denique, quòd ad hanc ætatem Eſtheris hiſtoriam proroget: quod ex Ioſepho & Plutarcho ſolidè ac perſpicuè Bellarminus refellit, &c. Et hactenus de his. Eliget autem prudens lector quā ex tertia, quarta, quintave ſententiam ſequi maluerit: tertia certè præ cæteris mihi placet. Supereſt vt variorum nominum huius imperatoris rationem & interpretationem attingamus.

6. *Lib. 8. Bibl.*

Qui AHASVEROS Hebræum nomen eſſe putant, illud componunt ex AHAS, id eſt, magnus, & ROS, caput: vt Aſſuerus idem ſit quod Princeps eximius, & caput populorum. Nam alij nomen potius Perſicum, quàm Hebraicum eſſe contendunt. Scribit autem Herodotus libro ſexto DARIVM, ſi quis interpretari velit, ſignificare ἐρξείην, id eſt, coërcitorem aduerſariorum: ARTAXERXEM verò, μέγαν ἀρήϊον, hoc eſt magnum bellatorem. Hoc autem poſtremum

communem fuiſſe Regum Perſicorum appellationem ſatis indicat Megaſthenes, cùm ſcribit: Artaxerxes Aſſuerus, Artaxerxes Ochus, Artaxerxes Darius, &c. Fortaſſe quemadmodum Aegyptij vocarunt reges ſuos Pharaones, id eſt, vindices & aſſertores: & Romani ſuos imperatores Auguſtos, velut diuinitus ſibi datos, & religioſa quadã veneratione propter merita in rempublicam obſeruandos. Pulchrè autem & conuenienter hic monarcha dicitur Aſſuerus Darius Artaxerxes, quoniam decet optimum regem ac principem ſubditos curare, amare, & protegere velut caput ſubiectas ſibi diuerſas corporis ſui partes: impios autem ac perturbatores reipublicæ perquirere, & gladio ſibi commiſſo ſeuerè coercere: firmiſſimis verò præſidijs & maximis copijs fines ſuos munire ac tueri, & omnem externorum hoſtium violentiam à ſubditorum capitibus & fortunis propulſare, ſi quidem his epithetis ac nominibus reſpondere velit. Hinc potentiſſimus Hebræorum rex Dauid: *Conſtitues me in caput gentium.* Et Dominus ad eum: *Tu paſces populum meum Iſrael* Et prudens Abigail: *Tu præliaris prælia Domini, &c.* Hactenus de Aſſuero iſto, ac nominibus eius: ſequitur vt quàm longè lateque imperauerit audiamus.

Pſalm. 17. 2. Reg 5. & 7. 1. Reg. 25.

1\. *Regnauit*, inquit, *ab India, vſque Aethiopiam, ſuper centum viginti ſeptem prouincias.*

HIS verbis deſcribitur amplitudo ſanè maxima, incredibiliſque potentia imperij Perſici, cui præfuit Aſſuerus Deus, ait Author huius libri, vt infinita poteſtate creauit orbem terrarum, & omnes qui habitant in eo, ita & ſumma ſapientia bonitateq; eundem regit, diſpenſat, atque illius fines per diuerſas prouincias, regna, & imperia diuino prorſus conſilio diſtribuit. Is itaque attingens à fine ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter, ampliſſimum imperiũ Perſarum inter manus tradiderat Aſſueri, tametſi ille tanti imperij conditorem & largitorem Deum Hebræorũ initio neque noſſet, neque coleret. Huius porrò tanta fuit poteſtas, vt non ſolum Babylonios, Chaldæos, Aſſyrios,

Pſalm. 23. Sap. 8.

ſyrios, penes quos prima fuerat orbis Monarchia; verum etiam Indos, Perſas, Parthos, Hyrcanos, Medos, Meſopotamios, Armenos, Syros, Iudæos, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Aegyptios, & vt ſummatim dicam, innumeras gentes, quæ in 127. prouincijs degebant, ſuis legibus & decretis ſubiectas haberet, ab his tributa exigeret, ingentesque militum copias cùm id neceſſe videbatur, colligeret, quibus fines imperij aut tutaretur, aut dilataret. Huic deſcriptioni aſſentiens Herodotus quaſdam 20. ſatrapias ſeu præfecturas enumerat, ſed quarum ſingulę multas prouincias continebāt: ex quibus quatuordecim millia, quingenta ſexaginta talenta Euboica contrahebat: quæ ad octogies quinquies centena millia coronatorum, quos ita vocant, vt minimum aſcendunt. Iure itaque in Daniele comparatur iſtud imperium cum pectore & brachijs de puro argento compactis. *Herod.lib.3.* *Daniel.2.*

Hîc autem primùm, mecum ſuſpice & admirare incredibilem Dei noſtri liberalitatem & beneficentiam, qui homini impuro, idololatræ, & immerito, tanti imperij gloriam & opes contulerit. Non enim ſolummodò indignus erat tanta maieſtate & poteſtate Darius Aſſuerus; ſed etiam propter infidelitatem & ingratitudinem Gehennæ ſupplicia merebatur: ac proinde non propter vlla merita ſua, ſed propter ſummam liberalitatem & gratiam Dei tantùm in terris regnum in homines acceperat. Sic quondam Nabuchodonoſori, Chaldæorum, Pharaoni, Aegyptiorum; Sauli, Hebræorum; Alexandro, Græcorum; Iulio Cæſari, Auguſto, Tiberio, Neroni Romanorum; id eſt, viris planè impijs & reprobis regna conceſſa ſunt. Nimirum ipſe dat reges in furore ſuo: ipſe propter peccata populi facit regnare hypocritas: Ipſe Romanis idololatris (vt ait D. Auguſtinus) idcirco terreni imperij gloriam dedit, quòd non erat daturus eis vitam æternam. Hoc itaque iudicio ſuo Deus & delicta populorum iuſta animaduerſione plectit: & virtutes forſan morales eorum, quos rerum potiri ſinit, ſua liberalitate compenſat. Ecquid mirum ſi viros indignos ſic in terris glorificat, quando etiam totum genus humanum nihil præter in- *Oſe.c.13.* *Iob.34.* *Lib 5.ciuit. cap.15.*

ſeros meritum; per crucem & mortem Vnigeniti ſui redemit, & ad regni cælorum æternam gloriam vocauit? *Sic Deus dilexit mundum, &c. Cùm adhuc inimici eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro impijs mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, &c.*

Ioan. 3. Rom. 5. 1. Pet. 3.

Animaduerte etiam, quòd tametſi Regna mundi à peccatis plerunque initium ducant (nam ſi homo non deliquiſſet, paternum tantummodò dominium, & dulciſſima filialiſque obedientia inter homines extitiſſet): diuino nihilominus conſilio illa poſtea comprobari, vel ſaltem tolerari. Scribit namque Irenæus martyr, Reges non à diabolo, non temerè; ſed Dei prouidentia conſtitui: qui inſtar humaniſſimorum parentum, rebus ſubditorum (ſi digni ſunt) conſulant: ſin minus, tanquam ſeueri iudices, ac diuinæ vltionis miniſtri ac ſatellites, eoſdem caſtigent & affligant. Dicit enim Sapientia diuina: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* Et Apoſtolus: *Non eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Bonis, Dei miniſtri ſunt in bonum: ijs autem qui malè agunt, Dei miniſtri & vindices in malum. Eadem ſcribit & Daniel Propheta his verbis: *Sapientia & fortitudo Dei ſunt, & ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit.* Et idem rurſum ad Nabuchodonoſorem ait: *Scias quod Excelſus dominatur ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit dat illud.* Quod eiuſdem Imperatoris exemplo protinus confirmatur; quando videlicet eiectus eſt ab hominibus, omnique ſplendore regio exutus, vt cum belluis ſeptem annos vitam calamitoſiſſimam viueret.

Iren. li. 5. ca. 24. Aug. 5. ciuit. ca. 19. Prou. 8. Rom. 13. Daniel. 2. Daniel. 4.

Hęc ſi crederent, & vt decet attentè meditarentur omnes, neque Principes tam turpiter & flagitioſè conceſſa ſibi abuterentur poteſtate: neque ſubditi peccatis ſuis in Deum & proximum, iſtiuſmodi tyrannorum iugum in ceruices ſuas vltrò contraherent & acceſſerent.

Expende quoque, potentiſſima imperia, quale fuit iſtud Aſſueri, non idcirco à Deo conſtitui & conferri hominibus principibus, vt liberius ventri & cupiditatibus ſuis inſeruiant, opes & gloriam conquirant, honoribus ſeſe oblectent, aut vt rapinis, cædibus, exactionibus

bus pios immaniter opprimant, aut quoſcumq; voluerint tollant è medio pro ſua libidine: ſed potius vt ſubiectos ſibi populos æquis legibus moderentur, cultum Dei ſeruent ac promoueant, terrori ſint malè agentibus, laudi verò innocentibus, vt docet Apoſtolus: *Gladium enim portat Magiſtratus in vindictam malorum, laudem verò bonorum.* Rom.13. Ad hæc, tot gentes ac prouincias vni homini ſubijcit, vt omnes publica tranquillitate fruentes, facilius & liberius verum Deum prædicatione Euangelica cognoſcant, vereantur, & inuocent, Sacramentis ab eo inſtitutis ad remiſſionem peccatorũ ſuorum vtantur, & ſacrum fidei Catholicæ depoſitum ad poſteros fideliter tranſmittant: ſicque Deo vero & viuo ſubijciatur vniuerſus orbis. Hanc enim ob rem cùm ſublato Saule, Dauid in regẽ Iſraelis eligeretur, dictum eſt ei à Domino: *Tu paſces populum meum Iſrael,* nimirum, 2. Reg.5. ſaluberrimo publicæ pacis & legis diuinæ pabulo. Et in Pſalmo refertur: *Elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum* Pſalm.77. *de gregibus ouium, & de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam. Et pauit eos in innocentia cordis ſui, &c.* Promiſit enim Eccleſiæ ſuæ: *Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terra* Iſaie 49. *demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Vt verò his muneribus ſuis diligentius & fœlicius incumbant, ſic eos hortatur Spiritus ſanctus: *Nunc Reges intel-* Pſalm.2. *ligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehẽdite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Et iterum per Sapientem: *Præbete aures vos qui continetis multitudi-* Sapient. 6. *nes, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam, cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniã iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet, &c.* O ſi ad iſtas comminationes diuinas aures ſuas nunc aperirent principes! O ſi ad hæc præcipua vocationis & miniſterij ſui officia animis attenderent! O ſi rationem ſibi tandem aliquando ſupremo cunctorum Regi & iudici de vniuerſis ſubditis,

dictiſque & factis ſuis reddendam ſeriò cogitarent.&c.
Sequitur.

2. *Quando ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit.*

SCHOLIASTES Hebræus paulò aliter: *Quum planè confirmatus eſſet in regno ſuo* Alter verò: *Quum quieſceret à bello Indico & Aethiopico, conſtituit Suſan Habira metropolim ac ſedem regni ſui.* In ſumma ſignificatur quæ tunc fuerit totius imperij Perſarum regia ciuitas, quam Rex ipſe, cum gynæceo, & potioribus aulæ ſuæ principibus ac miniſtris frequentius incoleret, nimirum Suſorum ciuitas: quæ ſic dicta putatur à liliorum copia, quę Perſarum lingua Suſa vocantur. Eſt autem ſita inter Perſidem & Babylonem, iuxta Choaſpem fluuium, cuius aqua adeò delectatum fuiſſe Cyrum primum eorum imperatorem ſcribit Herodotus, vt hanc decoctam, & in vaſis argenteis ſeruatam, multis carrucis ſecum quocunque proficiſceretur, circunduxerit, & eam ſolam in vſu ac delicijs habuerit. Ptolemæus, Strabo, & Plinius referunt in Suſis fuiſſe nobilem illam eiuſdem Cyri regiam, quæ candido varioque marmore, columnis aureis, magnaque gemmarum copia exornata erat, cæli in lacunaribus habens ſimulacrum, ſtellis micantibus inſignitum. Strabo his adijcit, Suſis etiam extitiſſe multorum virorum illuſtrium magnifica ſepulcrorum monumenta: & vicinam regionem ab eadem vrbe Suſianam appellatam.

Ptolemæus lib. 6. cap. 3.
Strabo li. 15.
Plin. lib. 6. cap. 27.
Herodo. li. 5.
Athenæus lib. 12. ca. 3.

Cæterùm, ad Suſorum pulcritudinem & multiplicem commoditatem pertinet, quod magno fluuio Choaſpe adiaceret. Hinc etenim è Media, Babylonia, & ſinu Perſico per Tygrim (in quem ille influit) omne genus mercium aſportari poterat: deinde foſſis circum vrbem ductis, aquis eiuſdem fluminis vrbs facilè muniri; deniq; cunctis ſordibus magna omnium ciuium vtilitate purgari & emundari nullo negotio valebat, vt ſunt innumeræ commoditates, quas ex fluminibus capiunt magnæ ciuitates.

Quod autem Cyrus aquam inde in vaſis argenteis circumferret, in primis regiæ magnificentiæ fuit: deinde maxi-

de maximæ temperantiæ, quod tantus imperator aqua & non vino in potu vteretur, totumque exercitum exemplo ſuo ad modeſtiam & frugalitatem inuitaret. Nouerat enim Balthaſarem & aulicos eius vino ſepultos inſtar belluarum vna nocte à ſuis Perſis & Medis trucidatos fuiſſe. Recens quoque adhuc erat Holofernis memoria, qui cùm intemperantiùs vinum bibiſſet, manu Hebraicæ mulierculæ cæſus, & vitam & exercitum amiſerat. Rectè igitur Sapiens ſcribit: *Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit.* Hinc quoque Salomon in Prouerbijs: *Noli Regibus dare vinum, ne fortè obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam pauperis, &c.* Quid porrò nunc habent multi principes & nobiles cum Cyro ſimile? Prætermiſſis ſacris, multi conſurgunt manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuent. *Propterea* (vt ait Iſaias) *captiuus ducitur populus, alij fame intereũt, & multitudo ſiti exareſcit, infernus dilatat animam ſuam, deſcendunt in eum fortes, &cæt.* Exurget certè in iudicio ethnicus ille aduerſus hanc ebrioſorum, helluonum, & ganeonum generationem, & condemnabit eam.

Daniel. 5. *Iudith. 13.* *Eccli. 31.* *Prouer. 31.* *Eſaiæ 5.* *Matth. 12.*

Notandum denique, Suſorum olim tam inclytæ, robuſtæ, & opulentæ ciuitatis, hoc tempore ne veſtigia quidẽ ſupereſſe: quinetiam incertum vbi ſita fuerit. Ita periit & Babylon, quondã totius orbis non tam ornata, quã onerata ſpolijs, & vt vaticinatus eſt Ieremias, facta eſt in tumulos, habitationẽ draconum, ſtuporẽ & ſibilum tranſeuntium, eò quòd non ſit in ea habitator. Et Niniue deleta eſt: & nunc ſeges vbi quondam Troia fuit. Athenæ, Corinthus, Conſtantinopolis, Roma, & ipſa ſacra Ieroſolyma ſæpius direptæ, euerſæ, exciſæ. Ergo niſi Dominus ædificauerit domos, & cuſtodierit ciuitates, fruſtra laborant qui ædificant, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eas. Pijs itaque Dei ſeruis non ſunt hîc ædificandæ & muniendæ cum Caino ciuitates; ſed potius cum patribus Abraham, Iſaac, & Iacob futura (nimirum cæleſtis) eſt inquirenda.

Ierem. 51. *Pſalm. 126.* *Geneſ. 4.* *Hebr. 11. & 13.*

3. *Tertio igitur anno imperij ſui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram ſe;*

4. *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.*

DESCRIPTIO eſt magnifici ac planè regij cōuiuij, in quo Vaſthi imperatrix exuta fuit omni dignitate atque maieſtate regia; Eſther verò in eius gradum & locum aſſumpta, vt Eccleſiam Dei è ſummis periculis ſuo tempore liberaret. Huius autem occaſiones primò inueſtigabimus; deinde in circunſtantias eius inquiremus, de exitu illius poſtremo loco dicturi.

Quatuor porrò tam ſplendidi conuiuij cauſæ ſeu rationes adferuntur. Prima eſt, vt propter res nuper feliciter geſtas aduerſus rebellantes Babylonios, deinde Aegyptios illo anno perdomitos, & Perſarum imperio ſubiectos, cum principibus ac ducibus copiarum ſuarum colletaretur, eiſdemq; cōgratularetur. Sic enim ſolent victores poſteaquam fortiſſimis & acerrimis prælijs hoſtes deuicerunt, mutuò lætari, & animos vireſque epulis reparare atque recreare. Ita Melchiſedec Abrahamum de prælio aduerſus quinque Reges victorem redeūtem, poſt Euchariſticum ſacrificium, excepit conuiuio. Et Amalechitæ poſt captam direptamque Siceleg, dicuntur iacuiſſe ſuper faciem terræ, comedentes, bibentes, & quaſi feſtum diem agentes; quando Dauide ſubitò irruente ſuper eos, deleti fuerunt. Iſaias quoque lætitiam, qua perfundendi erant credentium animi in aduentu Meſſiæ, comparat cum exultatione eorum, qui lætantur in meſſe; & triumphis ac gaudio, quibus bacchantur *victores capta præda, cùm diuidunt ſpolia*. Et certè hac in re nihil aduerſus Deum peccaſſet Aſſuerus, ſi cum lætitia publicarum epularum, gratiarum actio-

Herodotus lib. 3. & 7.

Geneſ. 14.

1. Reg. 30.

Iſaiæ 9.

actiones Deo vero & viuo retuliſſet, eundemque agnouiſſet authorem eſſe victoriarum ſuarum. At miſer, per ſummam infidelitatem & ingratitudinem has ferebat acceptas vel igni, vel Soli, vel alijs falſis dijs ac idolis, quibus tum Perſæ ſeruiebant: aut denique viribus equitum ac peditum exercituum ſuorum. Eo modo Balthaſar cum Babylonijs ſuis publico conuiuio laudabat deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque & lapideos, quaſi eorum virtute ſuperatus fuiſſet Deus Hebræorum, cuius ſacri templi vaſis turpiter abutebatur: quod eis non ceſſit impunè. Philiſtæi ſimiliter victis Iudæis, & capta Dei viuentis arca, eā per ſingulas ciuitates ſuas velut triumphantes circunduxerunt, Dagoni & alijs ſimulacris ſuis victoriam ſuam, non ſine veri Dei ſumma tribuentes ignominia, quam publica vltione vindicauit. Non ſic autem Dauid pius & religioſus princeps: ſed omnem fortitudinem, omne robur, omnes triumphos ſuos de Goliath, de Saule, de Abſalone, de Philiſtæis, ope Dei ſe reportaſſe, & publica voce & ſcriptione profitebatur. *Tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſſa, dentes peccatorum contriuiſti. Domini eſt ſalus, &c. Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, &c. Si exurgat aduerſum me prælium, &c. Præcinxiſti me virtute ad bellum Domine, virtus ſalutis meæ, obumbraſti caput meum in die belli. Benedictus Dominus Deus, qui doces manus meas ad prælium.* Prorſus enim verum & perſpicuum eſt quod ait vir fortiſſimus Iudas Machabæus: *Facilè eſt concludi multos in manus paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. Ipſi veniũt ad nos in multitudine, & cæt.*

Daniel. 5. *1. Reg. 4. & 5.* *Pſalm 3.* *Pſalm. 26.* *Pſalm. 17.* *Pſalm. 139.* *Pſalm 143.* *1. Mach. 3.*

Nec prætereundum hoc loco duxi, quod de victorijs bellicis tradit Auguſtinus, nimirum, eas perſæpe dari à Deo non tam propter merita vincentium, quàm propter peccata victorum. Et rurſum: Omnis victoria (inquit) cùm etiam malis prouenit, diuino iudicio victos humiliat, vel emendans eorum peccata, vel puniens. Teſtis eſt Daniel, qui in captiuitate poſitus peccata ſua, & popularium ſuorum humiliter confitetur. Idem iterum

Aug. lib. 16. ciuit. ca. 43. & li. 19. c. 15. *Daniel. 9.*

Auguſt. rum Auguſtinus quæſtion. 5. & 17. in libr. Iudicum, & alibi, tres præſertim docet eſſe cauſas cur aliquando Dominus infidelibus concedat bello ſuperiores eſſe fidelibus. Prima, vt delicta in ſe credentium his flagellis corripiat, & à prauis cupiditatibus abſtractos ad meliorem vitæ frugem reducat: qua ratione Iſraelitas quondam tradidit Chaldæis, Philiſteis, Syris, Græcis, & Romanis bello diuexandos & conterendos. Secunda, vt hoſtiũ viſibilium timore coarceantur animis hominũ quantumlibet fidelium innata & congenita elatio, ſuperbia, philautia, inſolentia, contumacia, & cætera id genus mala, ad quæ prona ſunt etiam ab adoleſcentia ſua, ſenſus & cogitationes humani cordis: *Gen. 6. & 7.* contra verò compellantur de ſe humiliter ſentire, & cũ timore atq; pœnitentia Deum vnicũ humani generis ſaluatorem inuocare, & in eius bonitatẽ atque potentiam confidere. Tertia, ſanctos charosq; ſibi quoſdam Reges ac principes viros hoc genere mortis vult ex huius mũdi laboribus & periculis ad regnum ſuum cæleſte, & ſempiternam quietem euocare: ſicut iam euocauit Samſonem, Ionatham, Ioſiam, Ioſaphat, Iudam Machabæum, & alios plurimos. Nihil enim refert coram eo, an *Seneca.* febris, an ferrum tollat.

Herod. lib. 3. Secunda conuiuij ratio ex Herodoto facilè colligitur, nimirum, quod initio regni grauiſſima multiplicique tributorum & vectigalium exactione omnium ſibi ſubditorum animos exacerbauerat, adeoque offenderat, vt eum publicis conuitijs inſectarentur, dicentes Cyrum quidem fuiſſe populi patrẽ, Cambyſem dominum, hunc verò Darium Aſſuerum inſtitorem & cauponem, vtpotè qui ex omnibus reb. turpẽ exerceret cauponariam. Tam ſplendido & diuturno itaq; conuiuio excepit primùm aulæ ſuæ miniſtros & prouinciarum præfectos; deinde etiã populares Suſianos, vt animos, quos tyrãnide & rapacitate à ſe abalienauerat, oſtentatione huius comitatis, liberalitatis, & magnificẽtiæ deliniret, atq; ſibi reconciliaret: Nã comitas affabilitaſq; ſermonis, quę in epulis maximè exercetur, mirũ in modum conciliat, & retinet animos hominum.

Ex his porrò notandum, tributa Regibus deberi, ab eiſdem-

ſdemque iure exigi à ſubditis, vt ſtatum modeſtè ſo-
ſtant, officiarios alant, & præfectis militibuſque ſtipen
a perſoluant, iuſtum deniq; à ſubditis obedientiæ te-
imonium capiant. Ait enim Auguſtinus; Ad hoc tri- *Aug.lib. 22.*
ita præſtantur, vt propter bella neceſſariò militi ſti- *cont.Fauſt.*
endium præbeatur: de quo Præcurſor aiebat ad Hero- *cap.74.*
anos & Romanos bellatores: *Neminem concutiatis, neq;* *Lucæ 3.*
lumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris. Hoc *Deut.20.*
uoq; antiquæ legis confirmatur teſtimonio, cùm pri- *1.Reg. 17.*
us Hebræorum rex Saul ei qui Goliath percuſſiſſet,
oco præmii pollicetur, domum eius immunem ſe fa-
ūrum à tributo: ex quo apertè colligitur, cæteras o-
nnes vectigalia regi ſuo perſoluiſſe. Dauidi reddita *2.Reg.8.*
uiſſe à Syris, Idumæis, Ammonitiſque tributa non ſe- *& 10.*
nel in ſacris refertur. Ecquid decem tribus Iſrael à
oboami regis imperio ac obedientia ſubtraxit aliud, *3.Reg 12.*
uàm quòd vectigalia à Salomone illis impoſita au-
aque nulla ratione diminuere aut mitigare voluerit?
t ne carnalis libertatis aſſertores hęc regia iura per ad-
entum Chriſti aut legem eius Euangelicam antiquata
ociferentur, attendant eum Petro iubentem vt ſum- *Matth.17.*
um ex ore piſcis ſtaterem, pro naulo tributorum ex-
ctoribus præbeat: Ruſumque Phariſęis quærentibus, *Matth 22.*
n liceret tributum reddere Cæſari, an non? idem re-
pondit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* His conſtanter
ſentitur Apoſtolus, ſcribens: *Cui tributum, tributum: cui* *Rom. 13.*
ectigal(debetis,) *vectigal*(reddite.) *Ideo tributa præſtatis.*
rimos autem Chriſtianos eadem alacri promptoque
nimo regibus, tametſi ethnicis, reddidiſſe ampliſſi-
nus teſtis eſt Iuſtinus martyr, cùm hoc modo Impera- *Iuſt.Apolog.*
ores ipſos alloquitur: Vectigalia atque tributa à vobis *2.*
nſtituta vbiq; ante omnes conamur pēdere, ſicut nos
ſe Chriſtus docuit, dicens; *Reddite Cæſari, &c.* Atque
ęc quidē de tributorum impoſitione & perſolutione.

Veruntamen in his Reges magnam rationem habe-
e oportet, ſerioq; meditari, ſe ſe imperare populo Dei,
uius diſtricto iudicio ſibi aliquando aſtandum, & de
ngulis operibus ſuis reſpondendum erit: *Nam iu-* *Sapient. 6.*
dicium duriſsimum fiet his qui præſunt. Potentes potenter
ormenta patientur: & fortioribus fortior inſtat cruciatio.

Proin-

Proinde non niſi moderata & tolerabilia vectigalia imponere debent: quandoquidem piorum paſtorum ſit ouiculas tantùm tondere, non autem deglubere. Nouerint inſuper ſe publicos eſſe latrones & prædones, ſi ex laboribus miſerrimi populi collecta tributa in priuatos vſus conuerterint: aut in lenones, momos, adulatores, proditores, ſicarios, vt (eheu!) frequentiſſimè fit, abſumpſerint & dilapidauerint Eſt enim publica illa pecunia velut diuini populi ſanguis, quo abuti ſumma tyrannis & deteſtabile ſacrilegium eſt. Poſtremò, Reges etiam cauere debent ne vectigalia ab eis exigant, qui iure diuino ab his eximuntur. Sed de his paulò poſt latius dicetur.

Tertia conuiuij cauſa eſſe potuit, vt principum & officiariorum ſuorum animos hac liberalitate ſibi obſequentiores & fideliores redderet: cõtra verò factioſorũ & rebelliũ tali opum, potentiæ & magnificẽtiæ ſuæ oſtentatione deterreret, ne quid aliquãdo in ipſum auderent moliri ſub ipſo noui imperij ſui principio Et hoc ſanè prudentis ac ſagacis Regis eſt, fortes ac nobiles viros apud ſe retinere, præmijſq; honeſtis deuincire: vt horũ conſilijs ac viribus cùm opus fuerit, & ſeipſum, & commiſſum regnum rectius adminiſtret, conſeruet,
2.Reg.23. atque tueatur. Hinc triginta & ſeptem illuſtrium virorum, qui ſua ope adeſſent regi Dauidi catalogus re-
Cant.3. citatur. Lectulum quoque Salomonis ſexaginta fortes,
Quint. Curt. lib de vita & reb geſtis Alexan. veluti corporis cuſtodes, ambiuiſſe referuntur. Scribit etiam Curtius eum Alexandri exercitum, quo totum Orientem paruo tempore, & facilè domuit, ex tam grauibus ac ſeueris ducibus & militibus conflatum fuiſſe; vt potius prudentiſſimorum Senatorum, quàm militũ faciem conſeſſumque referret. Huiuſmodi verò præſtantes miniſtri ac officiarij non niſi diuina benedictione miſerationeque regnis contingunt; quemadmodum propter hominum peccata tolluntur è medio, ſicut apertiſſimis verbis pronunciat Iſaias: *Ecce auferet*
Iſaiæ 3. *Dominus à Ieruſalem & à Iuda validum & fortem, & virum bellatorem, iudicem & Prophetam, & ſenem, principem, & honorabilem vultu, conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſtici: Et dabo pueros principes eo-*

es eorum, & effœminati dominabuntur eis, & cæt.

Quæ ſiue legens, ſiue ſcribens ad tempora noſtra eſque noſtras Gallicanas referam, diffiteri non poſſum, valde alienatam eſſe Dei omnipotentis à regno Gallicano propter peccata noſtra voluntatem, qui tam graues pœnas à nobis repetit, vt illuſtriſſimos Principes, Duceſque fortiſſimos, Iudices integerrimos, imò Paſtores ſanctiſſimos, per ſui nominis hoſtes tolli: quod acerbiſſimum eſt, in eorum locum ignauos & imperitos adulatores, proditores, ſicarios, prædones, ſacrilegos, hæreticos, atheos, & ſimiles rerumpublicarũ peſtes ſubſtitui patitur. Quod ſanè iræ ac vltionis diuinæ nec obſcurum nec incertum eſt argumentum.

Quartam tam opipari conuiuij cauſam finalem litera ſatis indicat, videlicet, *vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ ſuæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.* Quaſi dicat. Præcipuus tam ſplendidi ac diuturni conuiuij finis ac ſcopus non niſi mera vanitas, iactantia, arrogantia, & vana gloria fuit: ea nimirum arte oſtentare volebat iſte Barbarius Aſſuerus, quantos auri & argenti theſauros, quantas gemmas, quàm pretioſas veſtes, quanta vaſa aurea & argentea, quanta ſpolia in Palatijs haberet recondita. Inſuper quanta fortitudine, ſapientia, & potentia valeret, qui hæc acquiſiuiſſet & ſeruaſſet. Denique, magnificis verbis iactaret quanta liberalitate & amplitudine poſſet eos compenſare atque ditare, qui illius obſequijs ſe ſe totos deuouerent atque mancipa-rent. Tales ſunt Regum maieſtates, tales Principum lagenæ, talis luxus paucorum, cum luctu innumerabilium populorum. Eiuſmodi putant ſtulti nobiles gloriam & nobilitatem, ſi vanitas & ſtultitia ſua probetur multis & magnis, ſi conſentaneos obtinere poſſint eos quos tyrannide oppreſſerunt, & rapinis ſpoliauerunt.

Atqui & hunc & iſtos in ea re grauiter & multipliciter peccare, neque ſapientes huius ſæculi diſſimulant, qui docent, Vitandam eſſe omnem etiam ingenij oſtentationiſque ſuſpicionem: eoſque vehementer errare adfirmant, qui ſimulatione & inani oſtentatione *Tull. de Orat. & lib. Offic.*

ſtabi-

ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe arbitrantur: quippe quæ virtute, non vanitate acquiratur. Ex ſactis porrò
Lib.12.ciuit. Auguſtinus cenſet: Iactantiam eſſe vitium animæ peruerſæ amantis humanam laudem, ſpreto teſtimonio
Li.23. Mora. cap.4. conſcientiæ Gregorius autem docet horum arrogantium hominum tumorem quatuor modis demonſtrari, nimirum, cùm bonum aut à ſemetipſis habere ſe æſtimant: aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe accepiſſe meritis putant: aut certè cùm iactant ſe habere quod non habent: aut deſpectis cæteris, ſingulariter videri appetunt habere quod habent. Aduerſus autem has omnes vanæ gloriæ atque iactantiæ ſpecies ſcribi
1. Cor.4. ab Apoſtolo: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et per Prophetas:
Ierem 48. *Superbiam eius (1. Moab) & arrogantiam eius ego noui, dicit Dominus: & quod non ſit iuxta eum virtus eius* Et de eo qui
Iſaiæ 14, dixerat in corde ſuo; *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum,*
Lucæ 10. contra pronunciatum eſt; *Videbam Satanam, ſicut fulgur de cælo cadentem.* Concludit quoque his verbis: Quiſquis bonum ſe habere ſingulariter gaudet, quiſquis videri ſublimior cæteris quærit, ſimilitudini Diabolicæ vicinius appropinquat, qui per iniquum deſiderium quaſi ad quoddam culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere. Hæc ille: quibus ſi adiungas quantis ſuppli-
4. Reg.20. cijs Dominus animaduerterit in Ezechiam, pijſſimum
Iſaiæ 39. alioqui principem, quòd omnes theſauros ſuos Chal-
Daniel.4. dæis glorioſius oſtentaſſet; Nabuchodonoſorem quoque inter feras eiectum ob nimiam de ſua Babylone gloriationem; nihil obſtare comperies, quo minus Darium Aſſuerum & multis & grauibus modis in hac opum iactantia & oſtentatione deliquiſſe, mecum fatearis & prędices. Hæc autẽ & ſimilia magnorum viro-
1.Cor.10. rum peccata & ſupplitia, ſine dubio, *ſcripta ſunt ad correptionem noſtram, vt non ſimus concupiſcentes malorum, &c:* Atque hæc de cauſis conuiuij: nunc de apparatu & circunſtantijs.

Harum enim explicatio vtilitate ſua carere non poteſt, quando eas non temerè Spiritus ſanctus ſigillatim deſcribi, & in Eccleſia legi atque prædicari voluerit. Sunt autem plurimæ: at primò de inuitatis ac con-

conuiuiis eſt dicendum. In primis recenſentur *Princi-pes*, videlicet qui antiqua generis nobilitate clari habe-bantur, quales apud Herodotum nominantur Otanes, Gobryas, Megabyzus, & alij qui poſt Magorum ne-cem, cum Dario de imperio Perſico contenderant: & apud Curtium dicuntur Cognati regis. Hinc *Pueri*, id eſt, ſtipatores, corporis cuſtodes, aulæque miniſtri ac ſerui. Poſtea, *Præfecti copiarum Perſiæ & Mediæ*, qui propter res ſtrenuè geſtas hîc appellantur fortiſſimi & inclyti. Inſuper, *Præfecti prouinciarum*, atque Regu-li, qui infra capite 3. & alibi paſſim vocantur *Satrapæ*, nomine quidem Perſico, ſed à Græcis Latiniſque fre-quenter vſurpato. Denique, vt populus Suſorum ve-lut offa in os coniecta placaretur, poſtremis diebus con-uiuij, in illud admittitur, vt & ipſe partem quandam caperet epularum. Subijcitur enim.

Herodotus lib. 3.

Lib. 3. & 4. de geſtis Alexan.

2. *Reg.* 5. 6. 7. *Daniel.* 3. & 6.

5. *Cumque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem populum, qui inuentus eſt in Suſan, à maximo vſque ad minimum: & iuſſit conuiuium ſeptem diebus præparari in veſtibulo horti, &c.*

EX quibus etiam ſecunda huius regij epuli circun-ſtantia notari debet, nimirum temporis, quando poſtea quàm dixit, Principibus quidem conuiui-um factum fuiſſe *centum & octoginta diebus*: ſubijcit, po-pulum tandem inuitatum fuiſſe, vt epularetur *ſeptē die-bus*. Non me latet quoſdam in ea ſententia eſſe, vt pu-tent Aſſuerum centum & octoginta illos dies qui prius numerantur, conſumpſiſſe cum purpuratis ſuis in o-ſtentatione regiæ opulentiæ, poſtea verò ſeptem tan-tum diebus, idque vno eodemque conuiuio, & aulicos & Suſianos excepiſſe: verùm quia tam diſertè aperte-que contextus indicat, & Patres Catholici docent duo celebrata conuiuia, Principibus quidem dimidiato an-no, ciuibus autem ſeptem diebus; nefas putauerim ali-ter ſentire aut dicere.

Non

Non prætereundum autem ſilentio, quod hic notauerunt ex patrum ſuorum traditione quidam Hebræorum Rabbini. Nimirum, Hamanem tunc etiam Iudæos accuſaſſe coram Rege, his verbis: Natio iſta diuerſa & varia eſt à cunctis alijs in operibus ac moribus ſuis. Si placet, perdas eos. Cui Rex: Quid faciemus, quia Deus eorum magnus eſt, vt diſcere debemus ex his quę contigerunt Pharaoni? Reſpondit Haman: Deus eorum odio proſequitur ſcelus. Fac illis conuiuium, & decerne vt ad illud veniant, & comedent, & bibant (videlicet idolothita, cibos lege ſua prohibitos, & vinum libaminum): & ſtatim Deus eorum iraſcetur contra eos. At poſtquam audiuit iſtud Mardochæus, dixit illis: Ne eatis ad domum conuiuij, vt non ſit Satanæ apertio oris ſuper vos, id eſt, ne vos accuſet coram Deo. Hæc illi; ex quibus perſpicis veteres hoſtium Eccleſiæ fraudes ac dolos, quibus pios omni arte & malitia circumuenire nituntur: contrà verò Spiritum ſanctum nunquam ſeruis Dei defuturum, ne in eorum laqueos & caſſes incidant. Sic verum oſtenditur, quod

Pſalm. 56. Pſaltes de ſeipſo & omnibus pijs cecinit: *Laqueum para-*
Pſalm. 63. *uerunt pedibus meis. Narrauerunt vt abſconderent laqueos. In*
Pſalm. 141. *via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* Diuinæ autem prouidentiæ quantas poteſt maximas gratias a-
Pſalm. 123. gens, ſubijcit: *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.*

Cæterùm, ex his quoque notandum Regem iſtum nihil in eo peccaſſe, quòd Principes regij ſanguinis, Præfectoſque prouinciarum & copiarum, alioſve aulæ ſuæ miniſtros comitate, humanitate, ac liberalitate ſibi deuincire ſtuduerit: quandoquidem horũ opera tam pacis quàm belli tempore plurimum indigeret. Neque etiam in eo deliquiſſe videtur, quod paſcendo populum, eius obſeruantiam & gratiam venatus ſit: quandoquidem multum referat Regem amari & coli etiam ab infima plebe, id eſt, ruſticis, agricolis, & opificibus. Nam populi initio Reges creauerunt, non Reges populos; & populi longè facilius abſque Regibus conſiſtere poſſunt, quàm Reges ſine populis: & idcirco decet illos

illos popularium tantam rationem habere, quantam habent optimi parẽtes de liberis ſuis, & paſtores de ouibus. Iſtud confirmat Homerus, Græcorum regulos appellitans ποιμένας τῶν λαῶν, paſtores & rectores populorum: ſiquidem vt paſtor curare debet ouium ſalutem, ſic & Princeps vt ſubditis bene ſit, & reſpublica ſalua. Plinius Iunior præcipuam boni Principis laudem putat, vt pater patriæ vocetur, illudque nomen beneficijs, humanitate, & pietate erga populum mereatur, antequam accipiat. Laudantur ab omnibus Auguſtus, Traianus, & Adrianus Rom. Imperatores, quòd viliſſimorum & abiectiſſimorum cauſſas per ſemetipſos audire, iuſque illis reddere non detrectarint. Claudius & ipſe Rom. Imperator cuiuſdam viduæ querelas audiuit, & eiuſdem lacrymas proprio linteamine deterſit. Arguentibus autem illum ea de re aulicis, reſpondit: Principis eſt humanitatis officia præſtare, & populi patrem agere. Nec longius à ſcopo eum aberrare iudicabo, qui Reges quondam ex paſtoribus ouium ideo aſſumptos cenſebit, vt ex priſtino vitæ genere ſcirent quo pacto ſeſe cum ſubditis gerere deberent. Chriſtus Rex regum & Dominus dominantium non rarò cum bono ouium paſtore ſe comparat: credentes verò in ſe, oues & agnos appellat, &c. At hoc infelici æuo quid perfidia, rapinis, cædibuſque ſuis aliud nomen meruit maior Principum & Nobilium portio, quàm vt audiat ab Iſaia: *Principes infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos?* Et à Sophonia: *Principes eius in medio eius quaſi leones rugientes, iudices eius lupi veſpertini? &c.*

Ariſtot. 8. Ethic. — *Panegyr. ad Traianum.* — *Dauid.* — *Cyrus.* — *Ioan. 10.* — *Ioan. 21.* — *Iſai. 3.* — *Sophon. 3.*

Inſuper à multiplici peccato excuſari nunquam poterit tam diuturna longaque compotatio, nimirum quòd centum & octoginta dies conſumpſerit Rex cum aulicis & alijs miniſtris ſuis in crapula, & ebrietate. Tandiu enim abfuerunt à ſuis prouincijs & præfecturis, nec iura vnicuique reddere potuerunt: interea vero multi à potentioribus oppreſſi ſunt, multi latronum, ſicariorum, & aliorum violentorum hominum opera grauibus damnis affecti, iniuriarum ſibi

Geneſ 4. Exod 22. Eccli.35. Apocal.6. illatarum nullam rationem inuenire valebant. Itaque dum purpurati & magiſtratus iſti indulgent mero, ſanguis innocentum, & lacrymæ viduarum ac pupillorum ad Deum vociferantur, & vltionem cæleſtem repoſcunt, &c.

Ad hæc, conſtat Deum tam longa conuiuia odiſſe, quandoquidem fieri nequeant ſine multis ſceleribus, vtpotè prodigalitatis, ebrietatis, gulę, & aliorum, quæ inde ſequuntur, peccatorum. Damnatur in Euangelio diues, quòd *epularetur quotidie ſplendidè*. (Lucæ 16.) Et apud Iſaiam ore diuinò maledicuntur, (Iſaiæ 5.) *qui conſurgunt manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuent*. Ecquis ſatis enumerando recenſeret quanta incommoda contigerint Loto, Sodomæis, Holoferni, Balthaſari, Iſraelitis, & alijs plurimis, propter crapulas & ebrietates: Sed de his adhuc poſtea: reliquas conuiuij circunſtantias perſequamur.

5. *Iuſſit* (Rex) *conuiuiū præparari in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu conſitum erat.*

6. *Et pendebant ex omni parte tentoria aërei coloris, & carbaſini ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſsinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei ſuper pauimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat.*

HIC tertiam habes circunſtantiam, quæ eſt loci: deinde quartam, videlicet ornatus eiuſdem: hinc & quintam, id eſt, ſedilium, in quibus conuiuæ recumbebant, de quibus ſigillatim dicendum. Noluit ergo potentiſſimus iſte Monarcha conuiuas ſuos epulari in vulgari aut deſpecto loco, ſed in ipſo veſtibulo, id eſt, introitu horti regij, & nemoris, &c. Vel, vt Chaldæus paraph. habet, (Hiſt. Schol.) *In atrio horti interioris*

rioris Regis. Sanctes: *In atrio horti Palatij Regis.* His addit Comeſtor, hunc hortum habuiſſe vineam omnino argenteam, cuius palmites ex auro ſolido, botri verò ex ſpecioſiſſimis gemmis erumpebant. Huius etiam meminerunt Athenæus libr. 12. Plutarchus libr. 11. de fortuna Alexandri: Herodotus libr. 7. Plinius libr. 33. capit. 10. & Xenophon libro 7. Græcarum hiſtoriarum.

Ad hæc, licet hortus eſſet naturâ amœniſſimus, & arte cultiſſimus, addiderant tamen plurima externa ornamenta, quæ ſplendorem & magnificentiam adhuc magis augerent. Erant enim deſuper & ex omni parte iniecta ſuſpenſaque tentoria, aulæa, & periſtromata tam aurei, quã argentei, candidi, viridis, & hyacinthini, id eſt, cæleſtis coloris, quibus vel parietes ornabantur, vel ipſa etiam parietum locum tenebant. Accedebant ad ornatum funes, partim ex byſſo, partim ex purpura contexti, deinde per circulos argenteos ac eburneos traiecti, vt aulæa per columnas marmoreas & porphyreticas ſuſtẽtata in omnem partem expanderentur & porrigerentur oculis omnium conſpicienda, à vento, puluere, æſtuque conuiuas protectura. Recumbebant autem pro more gentis, imò & totius adhuc Orientis, in cubilibus delicatis & mollibus, mixturis ex auro argentoque formatis: ita compoſito corpore, vt modicè inflexa & incuruata ſuperiori illius parte, reliqua iacerent. Pauimentum loci erat marmor variorum colorum. Vel, vt alij vertunt: porphyreticum, pario & hyacinthino lapide ſtratum & complanatum. Chaldæus: *Pauimentum ſtratum cryſtallis.* Arias: *Super pauimentum cryſtalli*: Addit Ieroſolymitana tranſlatio: *Et Dora lapide, qui inuenitur in ciuitatibus adiacentibus mari magno. Affirmant autem Magiſtri, quòd ſi ponatur hic lapis in medio triclinij, lucem adfert meridiana clariorem. Sed & pars eorum dixerunt, quòd vocatus ſit eo modo D A R, à libertate quam conciliat mercatoribus, eos diuites ac opulentos reddendo.* *Lib. radicum Hebraic. voce D A R.*

Ad contextum redeo.

7. *Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & alijs atq; alijsq; vaſis cibi inferebantur. Vinum quoque, vt magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.*

8. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum: ſed ſicut Rex ſtatuerat, præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet.*

SEXTA conuiuij circunſtantia ſpectatur in vaſis, quibus potus & cibi inferebantur. Pocula erant aurea, & vt addit Ioſephus, in his quoq; miro artificio inſerti lapides pretioſi ad delectationem & ſpectaculum præparati. Eadem quoque pro diuerſitate & mutatione ferculorum ſubinde mutabantur, vt quàm ampla & multiplex eſſet huius Imperatoris ſupellex oſtentaretur. Septimò, vinum, quòd vulgo dicitur anima conuiuij, præſtantiſſimum fuit, & miniſtratum copioſiſſimè, vt magnificentia, id eſt, liberalitate regia dignum erat. Sanctes: *Et vinum regium multum, ſecundum potentiam regiam.* Idem ſentiendum de preſtantia ciborum ac eduliorum, nimirum, quod in abundantia & delitijs exquiſitiſſimis ſubminiſtrarentur.

Octauò, in tam ſplendido & luxurioſo conuiuio ſobrietati & temperantiæ ſeruatus eſt locus. Cauerat enim Rex præconis voce ac edicto, ne quis alterum ad compotationes importunè ſolicitaret, vel ad equales hauſtus ſcyphoſque euacuandos cogeret; vt quibuſdam moris eſſe dicitur, brutis hac in re deterioribus: ſed quiſque pro arbitrio & libertate cibo potuque appoſito honeſtè fruebatur. Sanctes: *Potus erat ſecundum legem. Non erat qui cogeret, quia ſic diſpoſuerat Rex cum omni magiſtro domus ſuæ, vt faceret ſecundum voluntatem vniuſcuiuſque.* Huius autem legis meminit Xenophon ad finem libri 8 de Cyri inſtitutione, cuius verba paulò poſt recitabuntur.

Poſtremò, & hoc in iſto conuiuio laudabile fuit, quod vt omnia cum ordine & grauitate fierent, regis ordi-

ordinatione ſingulis menſis præfecti erant ſinguli Principes,qui ſua authoritate maturè præcauerent ne quid deeſſet,aut aliqua turbarum daretur occaſio. Verùm de his ſatis: iam ad ea quæ obſeruanda ſunt veniamus.

Ac primùm quidem notandum,bona temporalia ſuperius commemorata,vt ſunt horti,nemora,aulęa, hyacinthus,marmor,palatia,byſſus,purpura,vaſa aurea & argentea,vina,cibaria, opes, &c. ex ſe ſe res bonas & puras eſſe;quia à Deo optimo & ſummo conditæ ſunt ſimul & benedictæ,atque hominum vſibus accommodatæ ac conceſſæ, quando Moſe authore, ille creauit cælum & terram,& vniuerſa quæ horum ambitu continentur: viditque cuncta quæ fecerat, *& erant valde bona*, illaque benedixit, dicens homini vt dominaretur piſcibus, &c. *Omnia*, inquit Dauid, *ſubiecit ſub pedibus eius.* Nec enim audiendi, ſed potius execrandi ſunt Marcionitæ,Manichæi, aliique veteres hæretici,dicentes,viſibiles creaturas conditas fuiſſe à malo quodam Principio,id eſt, diabolo: quandoquidem omnia à Deo Patre per Filium facta ſunt, *& ſine ipſo factum eſt nihil.* Dixit, *Producant aquæ, Producat terra, & factum eſt ita Verbo Domini cæli firmati ſunt.* Primus fidei Chriſtianæ articulus eſt: *Credo in Deum Patrem, creatorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium.* Cùm itaque hæc vniuerſa Deum authorem habeant, & propter hominem facta ſint;certiſſimum eſt vſum illorum moderatum inter pios & Dei timore amoreque præditos in multis eſſe licitum atque etiam laudabilem. Nam in tabernaculo Moſaico, & poſtea in templo diuino fuerunt vela, cortinæ, veſteſque purpureæ,byſſinæ,hyacinthinę,auro gẽmiſque perornatæ:fuerunt & in arca,& in candelabris, & in turibulis,& in altaribus,& in vaſis,& in ſuperhumerali,pectorali,& tunica ſacerdotali pellucentes gemmæ, atque auri argentique ſplendores,idque authore & comprobatore ipſomet Domino Deo.

Geneſ. 1.
Pſalm. 8.
Ioan. 1.
Geneſ. 1.
Pſalm. 32.

Nec tantùm in ſacris, verùm etiam in prophanis rebus illorum vſus legitur permiſſus. Etenim Eliezer Abrahę patris noſtri ſeruus dicitur protuliſſe vaſa au-

Geneſ.24. rea & argentea,eademque dediſſe Rebeccæ, Iſaac in
Exod.3. vxorem à parentibus promiſſæ.Iſraelitis ex AEgypto
& 12. proficiſcentibus,iuſſit Deus mutuare à vicinis infide-
libus vaſa aurea & argentea,veſtes precioſas, & opima quæque ſpolia, quæ in rem ſuam conuerterent.
2.Reg.12. Dauid & Salomon & Ionathas, chari Deo principes,
1.Paral.20 vſi ſunt veſtibus pretioſis,ſceptro,diademate,throno,
Cant 3. & reliquo regio ſplendore.Paulus denique ſcribit,in
1.Mach 10. magna domo vaſa eſſe aurea & argentea,aliaque in
2.Tim.2. honorem,alia in contumeliam, &c. Teſtatur etiam
Rom 9. Poſſidonius Auguſtinum veſtimenta, calceamenta,
Lib de vita & lectualia habuiſſe non abiecta, vinum in potu ſem-
Aug.cap.22. per bibiſſe, quamuis modicè & temperanter; denique cochlearibus argenteis in menſa ſua, tametſi frugaliſſima,vſum eſſe. Ex quibus conficitur pios principes, nobiles, & magiſtratus, acrius non eſſe carpendos,aut temerè iudicādos, aut damnādos,ſi donorum iſtorū ſplendore mediocriter vtantur aliquādo,vt maiori venerationi ſint ſubiectis, & terrori aduerſarijs.
3.Reg.3. *Diuitias* (inquit Dominus ad Salomonem) *& ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus nec ante, nec poſt te ſimilis fuerit.* Caueant tantummodo ne diui-
Actor.12. nā ſibi gloriam arrogent,& pereant cum impio Herode: deinde pauperum ne obliuiſcantur,ne cum epulone damnentur: non enim eis licet populos deglubere, vt ſint magnifici. Excellentiſſimum autem omnium magnificentiæ genus eſt pauperum & egenorum rationem habere: Vt enim hi iuuentur,neceſſarium eſt: vt oſtentes diuitias magnificis conuiuijs,& veſtimentis,non eſt neceſſe,&c.

At verò,quot quantiſve modis & nunc & olim his præclaris donis Dei abutantur impij, quis pro dignitate recenſeret atque coargueret? Diuinam in his relucentem poteſtatem & liberalitatem, proh pudor, plurimi nec agnoſcunt nec celebrant: ſed blaſphemijs cum Nembrotho, Pharaone, Balthaſare, Antiocho, alijſque multis, proſcindunt & lacerant. Alij non in vſus ſibi & proximis neceſſarios: ſed in ſuperbiam, arrogantiam, oſtentationem, & vanam gloriam cum iſto Dario Aſſuero turpiter abutun-

tur,

tur,&c. Nihil ergo iniuſtum, nihil mirum, ſi Deus Zelotes bello, peſte, incendio, aquarum eluuione, aliiſque iræ ſuæ flagellis (quibus hæc abſumuntur) pluſquam belluinam hominum ingratitudinem ſeueriter plectat & frequenter caſtiget. *Dat terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia habitantium in ea.* Nabuchodonoſori loco purpuræ datus eſt puluis, pro Palatio ferarum luſtra, & pro gemmis horribiles pili & vngues ſuccreuerunt. De pretioſis ornamentis gloriantibus Hebræorum filiabus comminatur Dominus, *Erit pro ſuaui odore fœtor, pro zona funiculus, pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium, & cæt.* *Pſalm. 106.* *Daniel. 4.* *Iſaiæ 3.*

Notandum ſecundò, conuiuia ſeu priuata inter amicos, ſeu communia, vt in nuptiis & congratulationibus publicis, non eſſe illicita vel reprobãda: cùm ſanctiſſimis patribus aliquando in vſu fuerint; imò & CHRISTVS totius moderationis & temperantiæ perfectiſſimum exemplar, his non ſemel interfuerit. Abraham in ablactatione Iſaac amicis ſuis conuiuium inſtruxit: vt & cum his amicitiam confirmaret, & de acceptis diuinis beneficiis congratularetur. Idem Iſaac publicè epulatus eſt cum Abimelech Palæſtinorum rege, ac principibus militiæ illius; quando mutuæ pacis inter ſe fœdera pepigerunt. Ioſeph cum fratribus diſcubuit, quando ad eum venerunt in AEgyptum. Et CHRISTVS inuitatus ad nuptias, ſuos conuiuas vino ſuauiſſimo ex vnda facto recreauit: vocatuſque à Matthæo, Zachæo, Simone, Martha, & aliis aliquot, appoſitis ferculis & vino modeſtè vſus eſt; etſi aduerſus illum hinc muſſitaturos non ignoraret Scribas & Phariſæos. Id verò nunquam feciſſet, ſi moderata conuiuia ex ſeſe mala, & Patri ſuo exiſtimaſſet inuiſa. *Geneſ. 21.* *Geneſ. 26.* *Geneſ. 43.* *Ioan. 2.* *Luc. 9. & 10 & 15.* *Lucæ 19.* *Ioan. 12.* *Matth. 26.*

Sed quid in his reprehendendum atque damnandum? Primò nimium effuſus curioſuſque apparatus eorum, qui non contenti vno aut altero ferculo, variis & peregrinis menſas ſuas non tam ornant,

quàm onerant: & in his ampliſſimum patrimonium conſumunt atque dilapidant prodigaliſſimè. Deinde acriter inſectandus eſt abuſus, quo pauperum & egenorum fame & ſiti interea pereuntium, aut nulla aut perexigua ratio habetur: cùm Chriſtus econtrario iuſſerit, *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos: & beatus eris quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.* Adhæc, nonnulli conuiuiorum ſpecie abutuntur ad alios circumueniendos, fallendos, prodendos, & aut veneno aut gladio tollendos è medio, cùm nihil ſiniſtri ſuſpicentur, ſed omnia ſibi tuta repromittant. Sic enim & Amnon à ſeruis Abſalonis, & Simon Machabæus à genero ſuo Ptolemæo conuiuantes proditoriè necati fuerunt, &c. In conuiuijs rurſum culpandæ ſunt ebrietates, dicacitates, inhoneſta verba, contumeliæ, detractiones, blaſphemiæ, &c.

Luc. 14. *2. Reg. 13.* *1. Mach. 16.*

Extat quoque in hoc virorum ethnicorum conuiuio memorabile exemplum modeſtiæ atque temperantiæ in potu, quando *Nullus erat qui nolentes cogeret ad bibendum: ſed vnuſquiſque ſumebat quod vellet*, idque ſummi Imperatoris eorum lege ac præſcripto. Quia verò & iucundum & vtile fuerit noſſe quanta quondam fuerit inter Perſas cibi potuſque moderatio, quæ tamen ſuo tempore interciderit; præſtat audire ex Xenophonte. Sancitum erat (inquit) inter ipſos lege, neque ſpuere, neque emungere, quòd laboribus ac ſudore ſolida effici corpora vellent. Durat id quidem adhuc, ſed laborum exercitia nulli vſquam curę ſunt. Cautum etiam erat lege, vt ſemel tantùm paſcerētur, reſtat id quidem, ſed tamdiu comedere ac bibere pergunt, quamdiu ſolent qui ſerò admodum cubitum eunt. Cautum item erat lege, ne amphoræ ad conuiuia aſportarentur: nunc has non importari reſtat quidem, tantum verò bibunt, vt non importent, ſed ipſi exportentur, quando nimirum recto corpore non amplius exire poſſunt, &c.

Lib. 8. de Cyri inſtit.

Cæterùm vini vſus moderatus nec damnatur, nec prohibetur, quoniam à Deo conceſſus eſt humano generi tum ad ſitim reſtinguendam, tum ad leuādum

mœro-

nœroribus animum,ſimulque corporis vires ad ho-
ieſtos labores confirmandas. Illo enim etiam Chri- *Ioan.2.*
tus cum Diſcipulis vſus legitur tam in nuptijs,quàm *Matth.26.*
n vltima eademque ſanctiſſima Cœna. Et Dauid ſcri- *Pſalm.103.*
it,vino cor hominis lætificari. Paulus quoque con-
ulit Timotheo,vt modico vino vtatur ad fouēdum *1.Tim.5.*
tomachum,& depellendas frequentes infirmitates,
uas ex ieiunijs, vigilijs, & alijs laboribus contraxe-
at. Chryſoſtomus, appellat vinum triſtitiæ remedi- *Hom.29.in*
m. Euripides, laborum pharmacum. Plato, remedi- *Geneſ.*
m aduerſus ſenectutis duritiem,&c.

DE POTORIIS *certaminibus.*

Fuerunt autem inter gentiles, qui nimia ebrietate
electati,certamina potoria inſtituerunt. Athenæus
amq; refert, Athenienſes in conuiuijs ſolutioribus *Lib.4.Dymnoſ.*
uicem propinaſſe cyathos amicitiæ, certantes inui-
em quis quem alium bibendo ſuperaret. Romanos
tiam cùm hilariori conuiuio ſeſe ad potus ſolutio-
es inuitabant,tot cyathos hauſtibus ſingulis ebibere
litos eſſe, quot erant literæ in nominibus amica-
um. A quo more illud Martialis epigramma ema-
auit:

Gellia ſex cyathis,ſeptem Iuſtina bibatur:
Quinque Lycas,Lyde quatuor,Ida tribus.

Elianus author eſt, Alexandrum in exequijs Ca *Lib.2.de varia hiſt.*
ni,meri certamen inſtituiſſe. Ariſtoteles in Politicis
fert Dionyſium, aliquando per nonaginta dies,id
t,tres continuos menſes ebrietati vacaſſe. Suetonius
vita Tiberij Cæſ. ſcribit, eum ab adoleſcentia ſua
c amore vini captum fuiſſe,vt adhuc tyro, nomina-
tur Biberius:ſæpiſſimeque integrum biduum & du-
noctes potando tranſegiſſe. Hic ad imperium eue-
us, L.Piſonem ad vrbis Romæ gubernationem de-
git, quòd biduo duabuſque noctibus compotatio-
em perpetuaſſet. Claudius quoque Imperator, vt i-
em ait,conuiuia ampla,aſſidua,& patentia agitauit.
uidam Lerius in hiſtoria Braſilienſi ſeu Americana
emoriæ mandauit, Braſilienſes cùm ſuos captiuos

 mactant,

mactant,conuiuium inſtituere, in quo per tres dies & noctes compotationibus vacant: nec exſorbere ceſſant donec omnia vaſa euacuauerint. Inter bibendum autem nihil prorſus comedunt, nec minus ſingulis hauſtibus exſorbere ſolent,quàm tres ſextarios. Et qui bibere ad finem vſque recuſarit,infamis & effœminatus habetur,&c.

Verùm,hæ pluſquam belluinæ potationes, & donorum Dei ſceleratæ profanationes, helluationes, & crapulæ dignæ ſunt, quæ non ſolùm externis legum humanarum ſupplicijs coërceantur: verùm & iuxta diuinas Scripturas ſempiternis pœnis à Deo plectantur. Anacharſis,authore Laërtio,dicere ſolebat; Vitem tres vuas ferre, primam voluptatis: ſecundam ebrietatis: tertiam mœroris. Chryſoſtomus ebrietatem appoſitè vocat, Matrem omnium ſcortationum,imò & voluntarium dæmonem. Septem porrò ſunt eiuſdem incommoda ex ſacris literis à Patribus collecta. Primò,iram Dei prouocat, & maledictioni diuinæ hominem ſubijcit. Iſaiæ 5. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, &c.* Secundò, mentem perturbat,& rationis vſum tollit, hominem aſſimilans belluis & dæmoniacis. Patet in Lot,qui ebrius proprias filias brutali inceſtu conſtuprauit. Tertiò,libidinem accendit. *Luxurioſa res eſt vinum. In vino eſt luxuria.* Venter mero æſtuans facilè deſpumat in libidinem. Quartò,vires corporis humani eneruat. Vacantes potibus conſumentur. *Cui væ? Cui rixæ? Cui foueæ? Cui vulnera? Cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.* Quintò, ſubſtantiam diuturnis duriſq; laboribus partam breui diſſipat. *Qui diligit epulas,in egeſtate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Sextò, pacem tollit,ſerit autem lites & bella. *Tumultuoſa eſt ebrietas.* Oſeæ 7. *Cœperunt principes furere à vino.* Secreta quantumuis occulta palam manifeſtat. Hinc prouerbium: Vinum non habet clauum. Prouerb. 31. Nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas. Reliqua vini & ebrietatis incommoda petantur ex Eccleſiaſtici cap. 19. 23. 31 37. Iſaiæ cap. 5. 22. 28. 56. Eze-

Hom. 29. in Gen. & 24. ad Rom.
Iſaiæ 5.
Geneſ. 19.
Prouerb. 20.
Epheſ 5.
Hieronym.
Prouer. 23.
Prou. 21.
Prouerb. 20.
Oſeæ 7.

ſ6. Ezechielis decimo ſexto, Ioelis 1. Micheæ 2. &c.
Notandum poſtremò, Deum ſecreto ac cæleſti
prorſus conſilio iſtius conuiuij ethnicorum homi-
num finem ac ſcopum in magnam populi ſui atque
Eccleſiæ vtilitatem conuertiſſe: tametſi nec illi, nec
iſti de hoc euentu aliquid cogitarent. Quis enim vel
inter proceres regni, vel inter ciues Suſorum, aut ve-
ræ religionis, aut adiuuandæ Synagogæ meminit?
Aut quis Iudæorum, qui eo tempore erant popu-
lus Dei, in hoc conuiuium admiſſus legitur? Atta-
men, vt ſolet DEVS omnes euentus mundi in
rem Eccleſiæ ſuæ conuertere, ſic & induſtria ſua
diuina huius conuiuij occaſione, Vaſthin impiam
Reginam omni honore, poteſtate, & gradu deiecit:
Eſtherem verò & patruum eius Mardochæum Ec-
cleſiæ morigeros, in aula Perſarum per omnes hono-
rum gradus in ſummum imperium extulit, vt eo-
rum opera eandem Eccleſiam ſuam è ſummis peri-
culis aſſereret atque liberaret Hoc opus dexteræ ex-
celſi, vel ideo diligenter meditandum & prædican-
dum eſt, vt de prouidentia pluſquamque paterna ſol-
licitudine Dei in conſeruandis ſeruis ac fidelibus
ſuis ab omni genere hoſtium atque diſcriminum,
nunquam dubitemus. Nihil enim tam difficile, tam-
que alienum eſt, quod non poſſit Deus cùm volue-
rit, in vtilitatem Eccleſiæ ſuæ, & hoſtium eius con-
fuſionem, etiam quando nihil eiuſmodi ſperatur, glo
rioſiſſimè atque potentiſſimè conuertere. Diligentib.
namque Deum non ſolùm hæc aut iſta, ſed *omnia* *Rom. 8.*
prorſus *cooperantur in bonum*. Exemplis hoc confirme-
mus. Fornax Babylonis ſeptuplo magis accenſa *Daniel.3.*
quàm ſuccendi conſueuerat, non ſolùm tribus pue-
ris Hebraicis, verùm & multis aliorum myriadibus
tanto terrori erat, vt vel ab omnibus illis Deus ve-
rus viuuſque damnabiliter abnegandus eſſet; vel in
ea ſummo ac horribili cruciatu illicò pereundum.
Quid tunc animi aliud putas plurimis fuiſſe, quàm
actum eſt de Eccleſia? Iam definit cultus atque lex
Dei Iſraelis? Verùm, contra penitus euenit, quando
non modò mirabiliter liberati fuerunt ſerui Dei, ſed

& ipſe

& ipſe Imperator Nabuchodonoſor ad Dei veram agnitionem conuerſus, pro eius cultu leges tulit, & ſtrenui illi martyres in populi Iſraelitici gloriam & magnam conſolationem præfecti ſunt vniuerſo Aſſyriorum & Chaldęorum imperio. Ita & lacus leonum,

Daniel.6. in quem coniectus fuit Daniel præclarum Synagogæ lumen, aduerſarijs fidei confuſionem & ruinam; ſeruis autem Dei honorem & ſecuritatem omnem attulit. Quid de cruce & paſſione Chriſti Domini noſtri dicemus? An non ſibi videbantur impij, illius gloriam & famam ſic obſcuraſſe, doctrinam Euangelicam, miraculorum memoriam, vitam denique ita labefactaſſe; vt nulla horum futura vnquam eſſet in cordibus hominum recordatio? Subclamabant enim

Marc.15. multi & tanquam victores triumphabant; *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Vah, qui deſtruis templum Dei, deſcende de cruce, &c.* Sed tandem quid? Per hanc omnes veteres legis figuræ adimpletæ, oracula Prophetarum conſummata, Pater cæleſtis toti mundo factus propitius, animæ patrum ex inferis in cælum perductæ, peccatum deletum, mors, infernus, diabolus ſuperatus, & totus orbis ab impuro dæmonum cultu ad veram fidei & religionis lucem perductus: ſicque Eccleſia nec obſcurata nec deleta fuit opprobrio capitis & ſponſi ſui, ſed econtrario collecta, amplificata, & per vniuerſum mundum glorificata. Hæc

Actor.7. & 9. eadem cùm propter Diui Stephani crudeliſſimam necem putaretur magnam cladem accepiſſe, omninò ſecus accidit, quando & ipſe à Chriſto in cæleſti regno ſuſceptus, & Saulus ex perſecutore factus Apoſtolus, & Diſcipuli per totum orbem diſperſi ad prædicandum, innumeros Ieſu Chriſto & Eccleſiæ eius filios conceperunt & pepererunt. Nunquam ergo pijs abijciendus eſt animus, nunquam à vera fide & religione Catholica recedendum, quantumuis aduerſus illam inſurgat Diabolus, furat mundus, cuncta miſceat hæreſis, tumultuentur Apoſtatæ, aut denique cruces, mortes, laqueos, ignes, & alios cruciatus nobis minitentur tyranni. Dominus pro certo tempore ſuo aderit, & hos tandem caſus in ſuorum ſalutem & glo-

riam,

riam,hoſtium verò ignominiam commutabit, &c.
Conuiuij autem nondum eſt finis.Sequitur enim:

9. *Vaſthi quoque Regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi rex Aſſuerus manere conſueuerat.*

REGINAM hanc interpres Zonaræ Vaſtam appellat,in Græcis Biblijs reperitur A S I,in Ioſepho Οὐάςη, Sanctes ex Hebræo Vaſthi; quod nomen Latinis eſt,potans,bibens.Appoſitè profectò, vt compotatio docet. Huius inter Darij vxores non meminit Herodotus; verùm, præter Atoſſam, Artyſtonem, Parmin, Phedimam, & filiam Otanis, quas recenſet; certum eſt eum more Perſicorum regum, plures alias non vxores tantùm,ſed & pellices & concubinas habuiſſe.Teſtatur autem Xenophon, quod vxores ac virgines Perſarum & Medorum præſtiterint cæteris omnibus tum forma,tum corporum magnitudine. Cū igitur regina Vaſthi pulchritudine alias Perſicas mulieres ſuperauerit, manifeſtū eſt eam & excellentiſſimæ venuſtatis fuiſſe, & primas apud regem partes tenuiſſe. Hebræi porrò docent, natam fuiſſe ex impio illo Balthaſare rege Chaldæorum, cuius ſcelera deſcribit Daniel, capite 5. & patris odium aduerſus gentem Iſraeliticam egregiè imitatam. Hebraicas ſiquidem mulieres, quas ſeruas domi retinebat, ſancto die ſabbati pro more gentis,quieſcere non ſinebat: ſed econtrario magna feritate cogebat etiam nudas obambulare, & contumelioſa duraque ſeruitia præſtare;adeò vt nulla exulum infirmorumque miſeratione tangeretur. Adijciunt,eam idcirco iuſtè repudiatam,nudam,& in die ſabbati necatam,non ſine vltionis cæleſtis certo indicio,malè tandem perijſſe. Atque hæc de illius nomine, ortu, forma, moribus, & fine. Lib.3.

Illa ergo luxum viri imitata, etiam muliebre conuiuium magno ſumptu inſtruxit in aula regia, & vxores Purpuratorum, qui cum Rege epulabantur, forſitan etiam vniuerſas, quæ tum Suſis erant, (vt nulla

ex parte

ex parte mariti vanitati cedere videretur) Palatio inhi tat, ambitioſius occurrit, lautè excipit, de publico cõuiuatur: Quid præterea? garritur, potitatur, ſaltitatur, & in omne genus lætitiæ atque voluptatum in vtraque aula & viri & mulieres reſoluuntur.

Hîc primùm conſpice, mores exemplaque maritorum, præſertim verò Principum, plurimum poſſe apud vxores, quando iſta velut à viro inuitata & prouocata, iſtas epulas fœminis parauerit, vt ille viris. Sic viri prodigi prodigas ſępe reddunt vxores; auari, tenaces ac ſordidas. Inuenire quoq; licet quæ & ipſę in Veneris caſtra ſeſe recipiāt, & pudicitiam vel publicè vel clanculum proſtituant, ſi thori fidem maritos intelligant violare; maximè ſuſurrantibus illis in aures procis ac lenonibus: Frangenti fidem, fides frangátur eidem. Sicut enim Apoſtolus adfirmat, mulierem infidelem conuerti per virum fidelem; ita etiam non rarò contingit, malo exemplo & verbo viri infidelis, crudelis, petulantis, & intemperātis; vxorem aliâs minimè malā effici crudelem, perfidam, petulantē & diſſolutam. Tuncq; ſequitur, quod Maximus Abbas, Philoſophus, & Martyr, ex Secundo Philoſopho, in Centurijs ſuis tranſcripſit. Interrogatus (inquit) Secūdus, quid eſſet mulier, reſpōdit: Mulier eſt viri naufragiū, domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, bellua conuiua, ſolicitudo confidens, exornata Scylla, animal malitioſum, malum neceſſarium: quæ ex maiori parte veriſſima eſſe oſtendit hæc Vaſthi regina, quemadmodum facilè eſt ex hiſtoria colligere.

1. Cor. 7.

Serm. 39 qui eſt de mulieribus.

Animaduerte quoque ex iſto loco, etiam inter Perſas ethnicos moris fuiſſe, vt mulieres etiam ſi vxores eſſent, ſimul cum viris non accumberent menſæ, aut palam conuiuarentur: quod pudoris & honeſtatis ergô factū putarim. Scribit enim Ioſephus, lege cautum fuiſſe inter illos, ab extraneis alienas coniuges videri: Fortaſſis ad id etiam incitati fuerant eius mortis excēplo, quā legatis ſuis ad Amyntā regem Macedonum propter inſolentē petulantiā, illatam fuiſſe ab Alexandro

Lib. 11. antiq. cap. 6.

andro Amyntæ filio, referunt Herodotus & Iuſtinus. *Lib.5.*
Iſtud autem eſt: Legati Perſarum miſſi ad Amyntam *Lib.7.*
Macedonum regem, & benignè excepti, inter epulas e-
brietate creſcente, rogant Amyntam, vt adhibeat in
conuiuium vxores & filias. Quæ vt venerunt, petulan
tiùs eas contrectantibus Perſis, filius Amyntæ Alex-
ander rogat patrẽ reſpectu ætatis & grauitatis ſuę abi-
ret è conuiuio, pollicitus ſe hoſpitũ tẽtaturum iocos.
Quo digreſſo, mulieres quoq; paulum è cõuiuio euo-
cat, cultius exornatutus, gratioreſq; ad Perſas reductu
rus. In quarum locum matronali exornatos habitu
iuuenes ſupponit; eoſque petulantiam Legatorũ fer-
ro, quod ſub veſte gerebant, compeſcere iubet: quod
& impigrè fecerunt omnibus occidione ſublatis. Pręſtat
ergo in conuiuia mulieres non producere: quan-
doquidem inter pocula multa fiunt & dicũtur minus
honeſta & pudica, quæ ſatius eſſet eas nec videre nec
audire. Lot compotatione facta cùm filiabus, bellui- *Gen.19.*
no inceſtu eaſdem conſtuprauit Saltatrix in conuiuiũ *Matt.14.*
admiſſa, poſt choreas, caput Præcurſoris Dominici pe *Marc.6.*
tijt, & accepit. Hebræi cõuiuantes cum filiabus. Moab, *Num.25.*
abnegató vero & viuo Deo, initiati ſunt Beelphegor. *Pſal.105.*
Ob hanc rem exiſtimo veteribus Eccleſiæ Catholicæ *Concil. Lao-*
decretis etiam prohibitum fuiſſe, ne viri ſimul cũ mu- *dic.ca.30.*
lieribus balneis vterentur; quòd hęc veneris fomenta
& incendia ſubminiſtrarent.

Denique tecum diligenter perpende, quorum im-
penſis ac ſumptibus tam luxurioſa conuiuia paraban-
tur, & exhibebantur. An non ſubditorum agricola-
rum, opificum, mercatorum, & ciuiũ? Sic ex corio alie-
no (vt prouerbio fertur) à principibus latæ ſecantur
corrigiæ: nihil ducitur ſi egeant, gemantq; ſub gra-
uiſſimis tributorum oneribus innumeri, modò abun-
dent atque helluentur pauci. Sic delirant Reges. Sic
Principum aulæ magno conſtant. Sumptuoſum ali-
quod ædificium moliuntur? aut bellum parant
non neceſſarium? aut filias elocant? aut ludendo mul-
ta aureorum millia vel vnico aleæ iactu amittunt? aut
molles aulicos in primos honorum gradus exaltant?
Hos miſeri ſubditi ſumptus perferre compelluntur.
Popu-

Populus rebus etiam arctiſſimis, horum voluptati, ingluuiei, faſtui, & vanitati ſubminiſtrare cogitur. Dauid olim ſanguinem vocabat aquā, quę cum manifeſto vitæ periculo heroum ſuorum hauſta fuerat, nefaſque arbitrabatur illam bibere. At hodie plurimos videre licet, qui vt multa habeant quæ ipſorum luxui ſufficiant; multa tamen iniuſtè imperant, tyrannicè rapiunt, & ſanguinem miſeræ plebis exſugunt, vt authoritatem ſuam oſtentent atque ſtabiliant. Superi meliora velint. Ad horum conuiuiorum finem properemus.

2.Reg.23.

10. *Itaque die ſeptimo, cùm Rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit Mauman & Bazatha & Herbona & Bagatha, & Abgatha & Zethar & Charchas, ſeptem eunuchis qui in conſpectu eius miniſtrabant,*

11. *Vt introducerent reginam Vaſthi coram Rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis & Principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.*

IOSEPHVS & alij quidam nomina iſtorum ſeptem eunuchorum paulò aliter efferunt, ſed parum refert in his vocibus barbaris, pręſertim cùm quiſque illas ad ritum idiomatis ſui variè ac frequenter flectat atque declinet. Sed neque earum interpretationes ferunt, tum quòd Hieronymus acutiſſimi iudicij vir illas neglexerit, tum quòd nequâquam ſint Hebraicæ, ſed Perſicæ duntaxat. Deinde, vbi legit vulgatus interpres Latinus ex Hieronymo, *cùm Rex eſſet hilarior, &c.* illi habent, *cùm iucundum eſſet cor Regis in vino*, vel, *propter vinū*: aut etiam ad verbum, *cùm bonum eſſet cor Regis in vino.* Poſtremò, vbi cum vetere interp. legitur, *Poſito ſuper caput eius diademate*, contendunt legendum, *cum Cidari regia*: eo quòd inter diadema & Cidarim non nulla differentia ſit. Nam Cidaris lingua

gua Hebræa CHETER dicitur; à quo mutuata vox Græca *κίταρις* dicitur Tiara; vt ex Plutarcho & Xenophonte confirmant. Diadema verò quid diuerſum eſſe à Tiara declarant ex his Xenophontis verbis: Cyrus habebat & circum Tiaram diadema, idemque ſigni cognatis ipſius erat, ſicut & hoc tempore ſignum illud retinent. Sed hæc minora, quàm vt à Theologo nimis anxiè curentur: ad id quòd tertiò loco, id eſt, de fine huius conuiuij dicendum propoſuimus accedendum. *Plut in Themiſtocle.* *Xen. lib. 8. Cyri inſtit.*

Itaque luxurioſi conuiuij luctuoſus ac plenè tragicus exitus ſuperioribus verbis inchoatur, ſimulque triſtiſſima ebrietatis deſcribuntur incommoda. Rex non ſolùm effusè bibit, ſed etiam calices ebibit tum alijs propinando, tum viciſſim ab alijs ad compotandum inuitatus: indeq; vini magna copia vſque incaleſcens, totus in vanam lætitiam reſoluitur. Pertæſus quoque libidinis gulæ ac ventris; de alia cogitat; nimirum de blanditijs fœmineis, quando vxoris ſuæ Reginæ egregia forma & pulchritudine non ſolùm oculos ſuos, verùm etiam omnium Satraparum, militum, & ſubditorum conatur paſcere & oblectare: indeque laudari, quod vxorem habeat omnium formoſiſſimam & delicatiſſimam: ideoq; præcipit ſeptem eunuchis; vt eam regijs veſtibus & diademate, ſeu cidari capite redimitam & ornatam palam accerſant.

Ex quibus patet in primis quàm verè ſcripſerit Plinius; Vino ſapientiam & prudentiam obumbrari. Et Plato; Non modò ſenes, ſed etiam temulentos, vino pueros effici. Hinc etiam veteres Poëtæ Bacchum depinxerunt nudum, & taurinis cornibus præditum, eò quòd temulentia atque ebrietate, etiam viri ſapientes hebetentur. Et Euripides: Qui non hilareſcit bibendo, nihil ſapit. Idemque aliquanto poſtea: Pugnas comeſſatio, & conuicia & rixas parit. fingens autem Polyphemum cyclopem ebrium, oculo quo ſolo gaudebat, effoſſo ab Vlyſſe & ſocijs, ludibrio cunctis expoſitum & malè affectum: ſatis oſtendit nullum tam prudentem aut fortem vnquã *Lib. 23. c. 1.* *Lib. 1. de leg.* *In Cyclope.*

fuiſſe, quem ebrietas oculo, id eſt, mente & viribus non ſpoliauerit. Sapientiſſimus Hebræorum numerat ſex incommoda grauiſſima, quæ temulentis vino contingunt, quorum ratione ſolent tandem Væ ſibi exclamare. Hinc Auguſtinus: Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela. Ergo & ſemper & omnibus nobis curæ & obſeruationi ſit illa Filij Dei admonitio: *Attendite, ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa, &c.* Exaudiamuſq; Paulum genus humanum exhortantem, ne verſemur *in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitijs, in contentione & æmulatione, &c.*

Prou. 23.

Tom. 9 *Ser. de Sobriet. virg.*

Lucæ 21.

Rom. 13.

Aduerte etiam quod & ſi ebrietas ſit omnibus turpis ac flagitioſa, magiſtratibus tamen, Principibus, & Regibus eſt omnium turpiſſima & periculoſiſſima. Cùm enim maxima inſtructi ſint poteſtate, habeantq; plurimos & audaciſſimos eiuſdem miniſtros ac executores, contingere poteſt; vt ebrietate extra rationem acti ruant in execranda ſcelera, & nemo ſit, qui prohibere vel poſſit, vel audeat. Hanc idcirco prohibitionem Salomon ſcribit ſe à matre accepiſſe; *Noli regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas, ne fortè bibant & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam afflictorum.* Plato quoq; ait; Gubernatorem ebrioſum omnia ſubuertere, ſiue nauigium, ſiue currum, ſiue exercitum, ſiue quamcunque rem curæ ſuæ commiſſam. Ideo cuiuis magis concedendam (ſi tamen ſcelus permittendum ſit) ebrietatem, quàm magiſtratui. Nam ebrius vbi terrarum ſit, neſcit. Quod ſi magiſtratus inebrietur, cuſtos opus habet cuſtode, & rector altero rectore. Idem rurſum refert Carthaginenſes lege vinum omnino prohibuiſſe magiſtratibus. Solon primus inter ſeptem Græciæ ſapientes, Principem morte mulctandum ſanci-

Prou. 31.

Lib. 3. *de Republica.*

ſanciuit, qui ebrius deprehenderetur. Pudeat ergo Chriſtianos homines in re tanti momenti ab ethnicis & infidelibus coargui & damnari. Nã lege quondam ſua prohibuit Deus, ne Aaron & filij eius, ſacrorum nimirum antiſtites, *vinum biberent, quandiu ſacerdotio fungerentur coram Domino.* Nazaræis etiam vt Samſoni & Præcurſori, omnis ſiceræ & vini vſus interdictus à Deo legitur. Et Paulus ſcribit Epiſcopum Chriſtianum non debere eſſe *vinolentum, ſed ſobrium, temperantem, & caſtum.* *Leuit. 10.* *Num.6.* *Iudic.13.* *Lucæ 1.* *1.Tim.3.* *Tit. 1.*

Vide rurſum huius temulenti Principis imprudentiam ſimul & impudentiam. Pulchritudinem ac venuſtatem eximiam vxoris ſuæ omnibus conuiuis ſuis nititur oſtentare, & velut impuriſſimus leno pudicitiam eius tot hominibus proſtituere; quando elegans illius forma illos ad concupiſcendum eam allicere poterat, præſertim cùm etiam ipſi egregiè poti eſſent. Narrant enim Herodotus & Iuſtinus hiſtoricus Regem Sardorum Caudalem nomine, vxorem ſuam ſpecioſiſſimam ſanè, cuidam miniſtrorum ſuorum, cui nomen erat Gyges, dormientem nudam oſtendiſſe: quod cùm reſciuit mulier, vſque adeò exhorruit facinus, vt mariti mortem, & Gygis matrimonium vnà cum regno procurauerit. Quod ſi quid huiuſmodi accidiſſet Aſſuero, nonne iuſtas videretur luiſſe pœnas temulentiæ? Ait enim Poëta: *Vina parant animos Veneri.* Et iterum: *Nox, & amor, vinumq́; nihil moderabile ſuadent.* Rectè etiam Ariſtophanes vinum appellat fomentum & lac Veneris. Ambroſius verò ſcribit: Libido paſcitur conuiuijs, nutritur delitijs, vino accenditur, ebrietate flammatur. Et Hieronymus: Sponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Hæc enim aduerſus adoleſcentiam prima arma ſunt dæmonum. Et paulò poſt: Vinum & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis. Quid oleum ergo flammæ adijcimus? Legat pius Lector Homiliam D. Baſilij, in ebrietatem & luxum: Chryſoſtomum Hom. 157. & 71. ad populum Antiochenum: & Auguſtinum ſermone de ebrietate vitanda, &c. *Lib. 1.* *Lib. 1.* *Lib. 1. de pœnit. ca 4.* *Epiſt. ad Euſtochium de cuſtod. virg.*

Intuere quoque ebrium hunc Regem prudentiſſi-

mas & grauiſſimas Perſarum leges de verecundia & pudore mulierum, iiſq; non admittendis in conuiuia hominum publica, temerè & ſtolidè contemnentem, & prauo exemplo violantem & abrogantem. Ioſephus namque teſtatur legem fuiſſe apud Perſas, ne vxores ad aſpectum alienorum virorum venirent. Alij teſtantur, admiſſas quidem fuiſſe pellices, non autem vxores. Sed Legati Perſarum apud Herodotum dicunt: Nobis Perſis lex eſt, vt quoties magnam exhibemus cœnam, adhibeamus etiam in cõuiuium pellices, & adoleſcentulas vxores. Ex his autem facilè colligitur, initio apud Perſas vxores non fuiſſe adhibitas in conuiuia virorum: poſt verò etiam hanc laudabilem conſuetudinem corruptorum Principũ exemplis antiquatam fuiſſe. Quare cùm Aſſuerus vocauerit reginam Vaſthi in conuiuium virorum; aut voluit publicò Principum conſenſu hanc Perſarum legem abrogare, aut eam antea labefactatam exemplo ſuò penitus irridendam & contemnendam docere. Hoc autem nihil perniciofius reipublicæ accidere poteſt, quando qui cuſtodes & exactores legum eſſe debent, eas pro libidine violant: eaſq; præſertim, quæ præſentem habent vtilitatem, nullaque neceſſitas publica abrogare compellit. Notus eſt enim hic verſiculus poetæ: *Moribus antiquis res ſtat Romana, virisque.* Et illud Platonis: *Ἃ μὴ κατέθου, μὴ ἀνέλῃ*: Quæ non conſtituiſti, ne tollas. Docet quoque Iſidorus, Conſuetudinem eſſe ius quoddam moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur & tenetur, cùm ea deficit. Auguſtinus etiam ſcribit, Adoleſcentes ſtudioſos non debere negligere illa hominum inſtituta, quæ pro neceſſitate huius vitæ ad ſocietatem valeant ſecum bene conuenientium hominum, &c. At hæc quidem Rex: quid verò Regina?

Li. 11. Anti. cap. 6.

Li. 3. Etym.

Lib. 2. de doctrin. Chriſt. cap 39.

12. *Quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempſit.*

Factum Reginæ quidam eleuant ac mitiùs interpretantur, propterea quod lege prohibitum erat (vt iam ex Ioſepho & alijs diximus) hone-

ſtáſ

ſtas matronas virorum publicis conuiuijs intereſſe. Deinde, probè eam reſciuiſſe Regem tum egregiè potum fuiſſe. Poſtremò, quòd pudore ruboreq́; fœmineo perfuſa, formam ſuam ita cunctis ſubditis ſuis proſtituere recuſauerit, &c. Sed reipſa deprehendetur multum grauiterq́; in maritum ſuum peccaſſe, ſi facti ac rebellionis eius circumſtantias, vt decet, excuſſerimus. Tametſi enim Rex ebrius, minus prudenter vxoris ſuæ venuſtatem, gratiam, obedientiam inter pocula celebraſſet: atque vt eius rei faceret fidem coram aulicis & conuiuis, eandem importunè venire mandaſſet: illi tamen in re tam parui momenti vxor acquieſcere debuit, eò quòd & maritus, & Rex eſſet, quodq́; graui & honeſta ſeptem eunuchorum purpuratorum ſuorum legatione, nec ſemel, ſed aliquoties vocaretur. Scribit enim Ioſephus: Cùm Rex ſæpius eunuchos ſuos mitteret ad ipſam, nihilominus manſit recuſans venire. *11. Antiq. cap. 6.*

Deinde, peccat cùm ex faſtu & arrogantia, potius quàm ex muliebri pudore, mariti imperio ſubeſſe recuſat, tantum & obnixè poſtulanti, vt ſe & amicos vultus ſui elegantia & præſtanti forma corporis aliquantulum oblectaret atque exhilararet. Inſuper, non contenta quòd inter mulieres primum locum teneret, viro ſuo imperare ac dominari velle videtur. Præterea, occaſione ſumpta ex mandato Regis, alijs mulieribus oſtentat ſuperbiſſimè ſuam dominationem & ſupremam poteſtatem, palam negans ſe illi obſecuturam, vt ſignificaret alijs ſe illius Reginam & dominam eſſe, eaſdemq́ue prauo exemplo ad omnem virorum ſuorum contemptum ac inobedientiam concitans & inflammans. Poſtremò, ſua peruicacia & rebellione nō modò Regem ac maritum ſuum coram omnibus afficit contumelia & dedecore, verùm & omnes imperij eius proceres ſpernit, atq; publicam totius aulæ Perſicæ lætitiam ſua contumacia obſtinationeq́ue confundit & perturbat.

Ex his autem in primis obſeruandum eſt, mulierem in rebus honeſtis, ac etiam indifferentibus viro ſuo debere omnem reuerentiam & obedientiā, Deo

vero & viuo iſtud iubente & conſtituente, etiam ab initio mundi & humani generis conſtitutione. Namque fœminam fecit ex viro, non virum ex fœmina, eidemque dixit: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Hoc ipſum confirmat princeps Apoſtolorum exemplo ſanctiſſimæ Saræ, quæ Abrahæ viro ſuo cum omni modeſtia obediens in omnibus peregrinationibus ſuis, dominum ſuum illũ vocabat. Item & Paulus exẽplo Eccleſiæ Chriſtianæ, quę ſponſo ſuo Chriſto nunquam non obtemperat. *Mulieres* (inquit) *ſubditæ ſint viris ſuis ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ. Sicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis.* Alibi quoq; præcipit mulierem cum omni ſubiectione diſcere à viro, ea videlicet quę propriæ ſunt ſalutis, & domeſtici officij ſui, tanquam diſcipula à domino & præceptore ſuo. Hinc Auguſtinus: Poſſunt quidem coniuges per charitatem ſeruire inuicem, ſed mulierem non permittit Apoſtolus dominari in virum: Hoc enim viro potius Diuina ſententia detulit: & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, ſed culpa, &c. Officia virorum erga vxores, & vxorũ erga viros ſuos ampliore manu tradidimus Comm. in Ruth.

Geneſ. 3. *1. Pet. 3.* *Epheſ. 5.* *1. Tim. 2.* *Lib. 11. de Gen. c. 34.*

Dixi verò hanc obedientiam prętandam eſſe in rebus honeſtis & adiaphoris, quoniam ſi vir conſuleret aut iuberet vxori turpiter abuti corpore ſuo, ſcortari, lenocinari, furari, detrahere, mẽtiri, deficere à fide aut obedientia Eccleſiæ Catholicæ, aut quodcunq; aliud flagitioſum deſignare, pia matrona more Apoſtolico reſpondere debet: *Oportet obedire Deo* (iſthæc ſub pœnę æternæ cõminatione prohibenti) *magis quàm quibuſcunq; hominibus.* Neq; etiam ethnicos iſtud latuit, Plutarcho docente, Virum debere vxori dominari vt anima corpori, & non vt dominus pecori. Viro igitur volenti vxoris aut corpore aut opera qualitercunq; abuti, dicat vxor: Quandoquidem ea quę conaris, aut pręcipis, chariſſime coniunx, continent manifeſtã impietatem aduerſus Deum, & ſaluti meæ officiunt, nec debeo, neq; poſſum, nec volo in his tibi morigera eſſe. Et quoniam in his Deo refragaris, patere, vt nec tibi obediam.

Actor. 5. *Lib. præcept. connubialiũ.*

diam. Huius aũt muliebris conſtantiæ atque virtutis quædã exempla ſubnectamus. Teſtatur Euſebius, Sophroniã ſanctiſſimam mulierẽ maluiſſe ferro ſemetipſam tranſuerberare, quã marito ſuo impuriſſimi tyranni Maxentij libidini eam ad conſtuprandum permittenti, ac etiam prodenti nequiter obtemperare. Aliud refert Victor Vticenſ. de duab. matronis, Victoria & Dagila. Hæ cùm ſub perſecutione Vandalorum in Africa, peſtiferis maritorum ſuaſionibus, ac etiam nũ filiorum lamentis ſollicitarẽtur inter varia tormentorum genera, fidem Catholicam abnegare, & in errores tranſire Arianorum; incredibili conſtantia reſtiterunt, & fortiſſimo martyrio miſerę huic vitę finem impoſuerunt, vt meliorem inuenirent.

Lib. 8. hiſt. cap. 17.

Lib. 3. perſec. Vandalicæ.

Adhæc, Vaſthi ex præſtantis formæ concepta opinione ſuperbiens, & mariti iuſſa paruipendens, facto ſuo confirmat verum eſſe quod canunt Poëtæ: *Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam.* Itemq;: Multis viris vxorum forma damnum intulit, virtus nunquam. Ideoque Socrates apud Laërtium, formam appellat, modici temporis immodicum tyrannum. Non eſſe tamẽ corporum pulchritudinem (cùm ſit donum Dei) per ſe accuſandam, aut vituperandam, docet Tertullianus, quia eſt diuinæ plaſticæ acceſſio, fœlicitas corporis, & animæ veſtis vrbana. Attamen, inquit ille, timenda eſt propter iniuriam & violentiam ſpectatorũ, cùm hanc etiam pater fidei noſtræ Abrahã in vxoris ſuæ ſpecie timuerit; & ſororem mentitus Saram, ſalutem ſuã cõtumelia redemerit. His adde quod ſcribit Clemens Alex. Naturalẽ corporis pulchritudinẽ, longè minus q̃ animæ æſtimat Dominus. Et paulò poſt exclamat: O ad adulteria incitantẽ pulchritudinẽ, quę Græciam euertit, longũ bellum excitauit, vehementia cõmiſit prælia, campoſq; impleuit cadaueribus, Troianorum vrbes, & Achiuorum naues cõſũmpſit. Formoſo Narciſſo non bene ſucceſſit, quod ſuę fuerit cõtemplator imaginis. Nam cùm eam videret relucentẽ in fonte, proprię venuſtatis nimio captus amore infeliciter perijſſe refertur. Ambroſius quoq; adſerit, quendã Ethruſcũ iuuenem (Valerius Spurinam appellat) cùm

Ouid. 1. Faſt.

Lib. 5.

Lib. de cultu fœminar.

Lib. 3. pædag. cap. 2.

Exhortat. ad virgines.

Lib. 4. cap. 5.

propter admirandam pulchritudinem, in amorem ac- cenderet fœminas, vultum ſuũ ſtigmatibus inaraſſe, ne qua eum amplius adamare poſſet. Et Auguſtinus ſcribit: Tarpeïam mulierem Romanam oppidò formoſam, ſed ad peccatum luxuriæ nimiũ procliuem, vt caſtè viuere poſſet oculos ſibi eruiſſe, & panem tantùm cum aqua comediſſe, delitijs cunctis procul abiectis. Baptiſta quoque Fulgoſus recitat quandam Abbatiſſam vnà cum omnibus monialibus, in Ptolemaide, nares ſibi abſcidiſſe, vt hac deformitate vultus ab iniurijs Saracenorum, qui tum vrbem vi captam diripiebant, caſtitatem ſuam ſartam tectam conſeruarent & vindicaret: quod Deo bene aſpirante, eas minimè fefellit, &c.

Serm. 47. ad frat. in erem.

Lib. 4. cap. 5.

Optandum autem, vt vnà cum Vaſthi perijſſent hæc omnia mulierum vitia, nullæque deinceps inuenirentur, quæ maritis ob beneficia malam gratiam referrent: nullæ propter opes, genus, & formam maritos contemnerent; nullæ ſua proteruia illos pudefacerent; nullæ verbis aut factis illorum famam læderent, nullæ denique ebrios & diſcolos irritarent. Contra verò, diſcerent vniuerſæ præcipuam matronæ virtutem eſſe pudorem atque modeſtiam; deinde ſeueriorem alioqui maritum, propter Deum patienter ferre, domus ac totius familiæ diligentem curam habere, exemplo ad meliora prouocare, &c. At plures inuenias, quæ Agarem, Vaſthim, Dalilam, aut Herodiadem magis referant; quàm Saram, Abigailem, Elizabetham, Mariam, vel Monicam, & cæt.

1. Pet. 3.
1. Cor. 7.

13. Vnde

13. *Vnde iratus Rex, & nimio furore ſuccenſus, interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio ſcientium leges, & iura maiorum:*

14. *(Erant autem primi & proximi, Charſena, & Sethar, & Admatha. & Tharſis, & Mares, & Marſana, & Mamuchan, ſeptem duces Perſarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis, & primi poſt eum reſidere ſoliti erant.)*

15. *Cui ſententiæ Vaſthi Regina ſubiaceret, quæ Aſſueri Regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, facere noluiſſet.*

PERSEQVITVR author finem turbulentum, & infelicem exitum huius luxurioſi ac prophani conuiuij. Rex in ſummo gaudio ſummo mœrore & triſtitia afficitur, & ex ingenti gloria in ſummam contumeliam ruit; idque opera propriæ vxoris, in quam proprij regni decus, & proprij thori conſortium gratis contulerat. His adde quod hæc illi confuſio ſit facta coram cunctis Principibus ac ordinibus vniuerſi Perſarum & Medorum imperij. Itaq; ira ferueſcens & excandeſcēs Imperator intra ſe cogitat, tot populos ſuperaui, tot prouincias imperio ſubieci, tot hoſtium exercitus fregi, tot Satrapas vt imperata facerent coëgi; & nūc ab vna muliercula irrideor & contemnor! Ego tantus Rex cunctis Principibus, magiſtratibus, ſatellitibus, & ſubditis meis per 127. prouincias ſum timori atque venerationi: & ab vxore, in proprio palatio, toties rogata & inuitata, obſequiolum iſtud extorquere non poſſum? Hinc bilis, hinc ſanguis ebulliens circa cor, hinc furores, hinc minę iactantur, & pericula miſeræ Vaſthi intenduntur. Ex conuiuijs ergo fiunt comitia, imò & conuitia, cùm Rex oblitus omnis retro amoris, pro beneuolentia acerbam vindictam ſpirans, quærit à Proceribus & iudicibus, qui illi perpetuò pro more Perſarum aderant, quibus ſup-

plicijs & mulctanda ſit illius contumacia,& violatus regis honos vindicandus.

Hîc autem in primis conſideret ac ſecum animo contempletur vir pius,quàm vana, incerta, & breuia ſint mundi huius gaudia; quámque citò in luctum & mœſtitiam conuertatur vniuerſa carnis lætitia.Paulo enim antea Imperator iſte omni voluptate & lætitia geſtiebat,edebat,bibebat, de vxoris forma, venuſtate, & obedientia coram omnibus gloriabatur & triumphabat:nunc verò de illius contumacia confunditur, tabeſcit,frendet,furit,atque minatur. Veriſſimè itaque à Spiritu diuino per Sapientem pronunciatum
Prouerb.14. eſt:*Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occu-*
Eccli.2. *pat*.Et iterum:*Riſum reputaui errorem:& gaudio dixi; Quid*
Iob.20. *fruſtra deciperis*?Itemque à Diuo Patriarcha Iobo: *Scio quòd iubilatio impiorum breuis ſit,& gaudium hypocritæ ad*
Epiſt.114. *inſtar puncti*. Inde Bernardus: Illud eſt verè gaudium, quod nō de creatura,ſed de creatore concipitur:quod cùm acceperis,nemo tollet à te.Hinc aliunde comparata omnis iucunditas mœror eſt,omnis ſuauitas dolor eſt,omne dulce amarum eſt, omne decorum fœdum eſt, omne quod delectare poteſt breue & moleſtum eſt, &c.

Attendat etiam,quo fine vt plurimum claudantur conuiuia magnifica & ſumptuoſa Principum huius ſæculi.Vix enim contigit,vt nullæ illis oriãtur ſimultates,nullæ proditiones,nullę pugnæ, nullave prælia
2. Reg.13. aut homicidia. Abſalon celebrat conuiuium lautiſſimum fratribus ſuis,inuitato etiam ad id pijſſimo parente ac rege Dauid: ſed illic magna proditione per-
Iudith.12. & 13. imit Amnon eodem ſecum patre natum.Holofernes gulæ genioque indulget vnà cum pręfectis copiarum ſuarum:verùm, ſopitus vino capite minuitur, totuſq; conciditur aut profligatur eius exercitus. Noti ſunt e-
Gen.41. tiam calamitoſi & lugubres exitus compotationum
Num.25. Pharaonis & ſeruorum,Hebræorum cum Madianiti-
Marc.6. bus,Herodis cum primis Galilęæ, &c.

Intuere quoq; quàm terribiles & formidandę ſint iræ Regum ac Principum huius ſæculi,ac proinde ne temerè eas in caput tuũ prouoces vel accerſas;ſed pruden-

denter caue,quando media licita ſuppetunt. Procul à Ioue & fulminibus. Ignem gladio ne fodito. Non abs re Seneca: Potentioris iram (inquit) nunquam ſapiẽs prouocabit, imò declinabit non aliter, quàm in nauigando procellam. Salomon illam comparat cum rugitu leonis, qui adeo terribilis ac horribilis eſt, authore Baſilio, vt illa animantia, quæ celeritate ſua illius impetum euadere poſſent, horrendo eius ſonitu & fremitu conſternata, ac præ metu deficientia, facilè capiantur. Et rurſus idem Sapiens: *Nuncij mortis, ira Regis.* Hoc verum eſſe teſtantur cædes piſtoris Pharaonis, ſacerdotum Nobe, Ioannis Baptiſtæ, & 14. millium puerorum innocentum ſub Herode, &c. At quanto diligentius timenda & cauenda ira Dei, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam? *Horrendum eſt,* ait Apoſtolus, *incidere in manus Dei viuentis.* Ergo, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, &c.

Epiſt.14. *Prouerb.19.* *Hexaemer. hom.* *Prouerb.20.* *Geneſ.40.* *1.Reg.21.* *Matt.14.* *Matth 2.* *Matth.12.* *Hebr.10.* *Pſalm.6.*

Notandum præterea, quod & ſi vehementer iratus ſit Aſſuerus, alicuius tamen moderationis exemplum omnibus relinquit, quando nõ illicò præcipit ſatellitibus ſuis, vt Vaſthim ad ſe rapiant & violenter repugnantem adducant: nec ipſe furibundus pergit in eius conclaue, vt illam percutiat baculo, pedibus conculcet, aut gladio transfodiat; vt de Nerone, qui Octauiam vxorem ſuam obtruncauit, refert Suetonius: ſed facto Iudicum regiorum conſeſſu, petit ab eis, vt collatis ſententijs definiant, quibus pœnis illata ab vxore Regi ac marito contumelia coërcenda ſit atque plectenda. Et rectè ſanè, quandoquidem nihil iuſti rectique per iram & furorem fieri poteſt. Nam qui iratus accedit ad pœnam de alio ſumendam, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum. Iure ergo laudatur Architæ Tarentini dictum, qui villico propter agros negligentius cultos, iratus dixiſſe fertur: De te ſupplicium ſumerem, niſi iratus eſſem. Et Plato cùm aduerſus delictum ſerui vehementius exarſiſſet, veritus ne iuſtitiæ modum excederet, Speuſippo amico ſuo aduentanti, caſtigationis arbitrium relinquens, dixit:

Sueton. in Neron. *Tull.2. offic.* *Valerius Max.lib.4. cap.1.*

Caſtiga

Caſtiga hunc puerum, nam ego iratus ſum. Referunt quoque Athenodorum Imperatoris Auguſti præceptorem, cùm ab eo ſenio confectus recederet, iſtud pro inſigni præcepto reliquiſſe: Cùm fueris iratus, ne quid feceris, dixeriſve priuſquam 24. literarũ Græcarum nomina apud te recenſueris, vt vel tantilla mora interiecta, impetum animi ſedare poſſet. Theodoſio quoq; poſt cædem Theſſalonicenſem ſuaſit Ambroſ. vt legem & conſtitutionẽ promulgaret, quæ irę calculos condemnet, & iuſſionum imperialium adminiſtris iniungat (ſic enim loquitur Nicephori Latinus interpres lib.12.cap.41.) vt publica iudicia, & capitalium cauſarum pęnas ad trigeſimam vſque diem differant. Scribit namque Seneca Dilatione feruor irę elanguescit, & caligo mentem premens aut decidit, aut minor fit. Et Ariſtoteles: Tempus iram compeſcit atque ſedat, &c.

Lib. de ira. *Lib. 2. Rhetoricor.*

Quid porrò ad hæc tum dicta, tum exempla virtutis Ethnicorum Chriſtiani? Multi æſtimant non aliud tempus magis commodum eſſe ſumendi ſupplicij de his aduerſus quos excanduerint, quàm cùm ira efferueſcit: ex quo conſequitur, vt multa immaniter & crudeliter committant, de quibus ſerò pœnitent & dolẽt. Non ita Propheta, qui ne quis fidelis in hæc incidat, admonet: *Iraſcimini, ſed nolite peccare.* Et Paulus: *Sol non occidat ſuper iracundiã veſtram, & nolite locum dare diabolo.* Ne videlicet per hoc peccatum diutius retentum penetret poſſideatque cor hominis, illud ipſum ad detractiones, calumnias, maledicta, vltiones, homicidia denique perpetranda facilius accendat & impellat. Eſt igitur omnis iracundia fræno moderationis coërcenda, & à peccato iræ ſummoperè cauendum.

Pſalm. 4. *Epheſ. 4.*

Meditemur etiam Perſarum memorabile & laudabile inſtitutum, quo Reges ſuos conſultiſſimis Iudicibus, veluti cuidam grauiſſimo Senatui ſubiecerunt: & viciſſim Regum illorum exemplum nobile, qui ſe eiſdem ſubijci paſſi ſunt. Etenim reipſa compertum eſt, quod ſoluta Regum poteſtas facilè degeneret in tyrannidem: ideoque eorum libido legum & Senatorum authoritate, quaſi firmiſſimis vinculis eſt retinenda

nenda & claudenda: nec illis occinendum, Si libet, licet. Non eſt quidem poteſtas niſi à Deo; & qui legitimæ poteſtati reſiſtunt, diuinæ ordinationi reſiſtunt, damnationemque ſibi acquirunt: verùm tamen nullus Princeps; nullus Magiſtratus ita omni lege ſolutus eſt, vt quicquid voluerit de ſubiectis ſtatuat vel exequatur: ſed iure rationeque agat, & populi vtilitati ac cõmodo cõſulat neceſſe eſt; alioqui nec princeps nec magiſtratus cenſebitur, ſed latrò, prædò, atque tyrannus. Ergò vt intra hos iuſtitiæ limites & cancellos ſeſe continerent, ordinatæ ſunt piæ leges, atque ſeueri Iudices legum cuſtodes, qui prauas Regum cupiditates reprimerent, eoſdemque in officio continerent. Huiuſmodi fuerunt quondam inter Lacedæmonios Ephori, id eſt, efficiarij, qui Reges eorum delinquentes vel abdicatione, vel morte punirent. Apud Romanos Tribuni plebis, id eſt, Iudices è corpore populi creati, qui eum contra nobilium atque patriciorum violentiam defenderent. Apud Germanos ſeptem Principes Electores, & rurſum Cameræ Imperialis Iudices, partim clerici, partim laici, qui de Imperatoribus atq; etiam Electoribus ipſis iudicent. Apud Gallos duodecim Pares, quibus poſtremò adiuncti fuerunt octo Summi Senatus, qui iura tam Regibus quàm populis ſubditis æqualiter dicere debent. Apud Hiſpanos Arragonica iuſtitia, habens ſupra Regem ſummum imperium, ſi quid aduerſus patrias leges admiſerit. Apud Anglos & Scotos Conuentus ordinum totius regni, quem Parlamentum vocant. Inter Hungaros, Bohemos, Sueuos, Danos & Polonos primi regnorum efficiarij, quos Palatinos appellant, qui Regum poteſtatem ſub legibus contineant, & omnem eorum violentiam cohibeant. Quinetiam inter Taprobanæ inſulæ veteres incolas pro more ſeruatum ſcribit Plinius, vt recens creato Regi ſuo triginta gubernatores adhiberent, quorum conſilio regni negotia moderaretur, nec poteſtate abuteretur ad perniciem populi. Hæc autem regnorum forma, vt optima & humano generi commodiſſima diligenter conſeruari debet: ad hoc etiam inuocandus eſt Deus, qui

Rom.13.
Tull. li. offic.
Lib.6.ca.22.

qui ſua prouidentia eandem tueatur aduerſus tyrannorum impetum & improbos conatus,&c.

Iam verò quales etiam fuerint iſti Perſarum apud Aſſuerum iudices diligenter attende. *Erant*,inquit, *ſeptem*, numero inter profanos ſacrosque authores perfecto atque celebri. Omnes autem genere nobiles, ætate graues,& doctrina legum Perſicarum,veterumque hiſtoriarum & rerum geſtarum peritiſſimi & conſultiſſimi. His conſentiens Herodotus ſcribit: Iudices regij fiunt delecti è Perſis viri,ſuntque perpetui, niſi delicti alicuius rei comperti fuerint. Iſti apud Perſas ius dicunt,& legum patriarum ſunt interpretes,& ad eos omnia referuntur. *Erant*,inquit author huius libri,*primi & proximi*,videlicet,locò,dignitate,atque etiam affinitate:*videbant faciem Regis*,id eſt,intimi ac familiares ei erant. Neque enim cuiuis licebat videre Regem,cùm eius perſona (Iuſtino authore) ſub ſpecie maieſtatis occuleretur. Item,*primi poſt Regem reſidere ſoliti erant*. Nam ex Cyri inſtituto Perſarum ſatrapæ pro dignitate cuiuſque ſedes habebant apud Regem, vt declarat Xenophon. Huic conſentit R. Aben-Eſra his ab interprete verbis: In libro Regum Perſidis ſcriptum inuentum eſt,apud Perſas fuiſſe quatuor ordines principum, qui ſuis ſedibus ſingulis diſtincti erant,ita vt primi ordinis ſatrapę primo loco ſederent, & ſic deinceps,&c. Nihil ergo mirum quod ampliſſimum & feliciſſimum imperium haberet Aſſuerus, qui tam abſolutos graueſque aſſeſſores ſecum perpetuò haberet. Tum enim beatæ ſunt Reſpublicæ, diuini Platonis iudicio,cùm aut Philoſophi regnant, aut Reges philoſophantur. Ariſtotelem quoque in ore frequenter habuiſſe referunt, Regem ſine literis eſſe, velut eſt auis ſine pennis,miles ſine armis,& nauis ſine velis ac remis.

Lib. 3. — *Iuſt. lib.1. hiſtor.* — *Lib.8. inſtit. Cyri.* — *Scholijs Hebr.in hũc lib.*

Ioſue 1. Quid ſacra oracula? Ioſue fortiſſimo Hebræorum Imperatori præcepit Deus,vt volumen legis ſuę nunquam recederet ab eo, ſed in lectione eius verſaretur ac meditaretur die ac nocte; tum vt eam cuſtodiret, tum vt iuxta illius præſcripta vias ſuas dirigeret. Et de futuris Iſraelitarum Regibus rurſum præcipitur.

Rex

Rex cùm ſederit in ſolio regni ſui deſcribat ſibi Deuteronomium legis, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire ceremonias eius, &c. Florentiſſimum certè fuit regnum Hebræorum quandiu à Moſe, Ioſue, Samuele, Dauide, alijſque ſtudioſis principibus adminiſtratum fuit: miſerè autem laceratum & diſſipatum eſt ſub Heli, Roboam, Ieroboam, Achab, Manaſſe, Sedechia, & cęteris diuinæ legis contemptoribus. Glorioſiſſimè imperauit Nabuchodonoſor quandiu Danielis ſtetit doctrinæ atque conſilijs: ignominioſè autem perijt Balthaſar, qui contempſit. Horrendis calamitatibus afflictus fuit Pharao, quòd reiectis à ſe viris Dei Moſe & Aarone, ſe ſuaque committeret impiorum magorum artibus & conſilijs. An non Baaliticorum miniſtrorum opera conſortiaque exitioſiſſima fuerunt Achabo & Ieſabeli? Quàm felix extitiſſet Nero, ſi Petro & Paulo Apoſtolis Chriſti, aut ſaltem Senecæ præceptori, aurem potius quàm Simoni commodaſſet! Viderint itaque huius ſeculi Principes, qui libertinos, atheos, perfidos, prædones, lenones, aſſaſſinos, proditores, adulatores in aulis ſuis retinere & fouere malunt, quàm pios, graues, & Deum timentes viros. Qui Prophetas, id eſt, diuinæ legis ſynceros interpretes ac præcones calumniantur, irrident, omniq́ue odio & crudelitate perſequuntur. Exurgent in iudicio Principes ethnici Medorum & Perſarum, & iudicabunt iſtorum Pſeudochriſtianorum nobilium generationem, &c.

Deut. 17.

Exod. 5. 6. 7. 8. &c.

3. Reg. 18. 19. 20.

16. Reſpon-

16. *Reſponditq́, Mamuchan, audiente Rege, atque principibus: Non ſolùm regem læſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes qui ſunt in cunctis prouincijs Regis Aſſueri.*

17. *Egredietur enim ſermò reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & dicant: Rex Aſſuerus iuſſit vt regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit.*

18. *Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Perſarum atque Medorum paruipendent imperia maritorum. Vnde regis iuſta eſt indignatio.*

FACTVM Reginæ iudicibus regijs à Rege marito & accuſatore expoſitum audiuimus; ſequitur cauſſæ agitatio & dijudicatio. Mamuchan, qui inter illos nouiſſimo loco ac ordine commemoratur, de ſumma totius negotij primus deliberans; in tria capita conſultationem ſuam diuidit. Et primò quidem peccatum Reginæ recitat, ſimulque mirificè amplificat & exaggerat. Secundò, exponit quibus (iudicio ſuo) ſupplicijs ſit plectenda. Tertiò, edictum generale faciendum & promulgandum conſulit, quo omnes Perſarum & Medorum coniuges retineantur in ordine ac officiò, ne vnquam reginæ Vaſthi peruicaciam imitentur.

In primis autem notatione dignum eſt, poſtremum regiorum Iudicum primo omnium loco ſententiam ſuam dixiſſe. Sed hoc arbitror pio more gentis receptum, ne videlicet ad gratiam & adulationem primorum & maiorum quicquam dicere videretur, ſi priore loco ipſi dixiſſent: ſed è contrario, ex mera libertate plenoque voluntatis & rationis arbitrio. Nam ſicut Iudicibus prohibetur, ne perſonarum reſpectu moueantur in ferenda ſententia, ſic & in conſilijs atque deliberationibus. Ad vtrumque enim pertinent *Leuit. 19.* iſtæ leges diuinæ: *Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis.*

iudicabis. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultũ potentis. Iuſtè iudica proximo tuo. Item: *Quod iuſtũ eſt iudicate, ſiue ciuis ſit, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum; ita paruum audietis atque magnum: nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt.* Et poſtea: *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, & per ſingulas tribus tuas: vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonã, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum.* De his rurſum, Exod. 23. Deut. 24. 25. & 27. *Deut. 1.* *Deut. 16.*

Deinde, admiranda videtur huius conſiliarij regij conſtantia, quando nihil timet liberè loqui, & Reginæ peccata explicare, coarguere & damnare, idque coram toto ſenatu, adeoque ipſomet Rege. Non formidat in vtriuſque indignationem incurrere, nec cõgitat quod aliquando in gratiam redeuntes, nimiæ libertatis ſuæ pœnas ab eo repetent, aut ſuis opibus, dignitatibus & officijs ſpoliabitur: ſed conſtanter palamque pronunciat peccatum Reginæ omnibus modis grauiſſimum ſibi videri, primò in ipſum Regem, dehinc in vniuerſos regni ordines, qui tunc aderant, denique in abſentes: quando malo exemplo ſuo concitatura ſit ſeditionem mulierum aduerſus maritos in toto Perſarum imperio. Hoc autem quantum confuſionis, dedecoris, & turbarum adferet?

Vtinam, iterum autem vtinam, pari virtute, ac robore animi, præditi eſſent omnes huius æui principum conſiliarij & regij iudices, qui ob perſonarum laruam nec in hãc nec in iſtam partẽ declinarent, nec vllo metu amoreve, aut munerum cupiditate à iuſto & æquo abriperentur: ſed æqua lance magnis & paruis ius dicerent & adminiſtrarent. Eſt enim eis propoſita iſta lex diuina: *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Rectè etiam Iethro conſuluit Moſi, vt Iudices conſtitueret viros ſapientes, timentes Deum, in quibus eſſet veritas, & qui odiſſent auaritiam. *Eccli. 7.* *Exod. 18.*

Sed neque ſolos laicos, id eſt, profanos Iudices iſta

 in co-

in coarguendis vitijs magnorum hominum conſtantia, verùm multò magis Epiſcopos, paſtores, doctoreſque diuini verbi præditos eſſe oportet, ſiquidem noluerint aut officio ſuo aut vocationi ſuæ deeſſe. Sic
1.Reg.15. cõſtanter & liberè Saulis regis hypocriſin, inobedientiam, auaritiam, immanitatem, Samuel Propheta re-
2.Reg. 12. prehendit: Nathan, adulterium & proditionem Daui-
3.Reg. 21. dis: Helias, apoſtaſiam & crudelitatẽ Achabi & forni-
Marc. 6. cationes Iezabelis: Baptiſta, inceſtum Herodis: Chri-
Matt. 23. ſtus Scribarum & Phariſæorum plurima & teterrima ſcelera palam coarguit atque damnauit. Nec minore confidentia Petrus & Paulus, Neronis impietatem damnauerunt: Hilarius & Athanaſius, Conſtantij & Conſtantis hæreſibus reſtiterunt; Baſilius & Nazianzenus, Valentis & Iuliani impetus fregerunt: Ambroſius Theodoſij, Valentiniani, & Iuſtinæ conatibus ſeſe oppoſuit: & Chryſoſtomus Gaynæ, Arcadij, & Eudoxiæ furores compreſſit: nobiliſſimo conſtantiæ ac virtutis exemplo poſteris ſuis derelicto. Contrà verò etiam ipſius Dei proprio ore maledicti ſunt pal-
Ezech.13. pones & adulatores, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vni-
Iſaiæ 5. uerſæ ætatis ad capiendas animas. *Væ*, inquit Deus, *qui iuſtificatis impiũ pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Et per alium Prophetam miniſtris adulatoribus exprobratur:
Oſeæ 7. *In malitia ſua lætificauerunt Regem, & in mendacijs ſuis principes. Væ eis, quoniam receſſerunt à me, vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me, & ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabunt in cubilibus ſuis, &c.*

Præterea, ex iſta Mamuchani oratione patet magnorum ac excellentium virorum peccata publica, eſſe priuatorum delictis longè deteriora & pernicioſiora. Nam innatum eſt hominibus exemplis maiorum plus moueri & incitari, quàm verbis. Quo enim perſona clarior & dignior habetur, eò magis nocet publicis ſceleribus. Ait enim Poeta:

Omne

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Ideo Cyrus apud Xenophontem, putabat ſe aulicos ſuos ad præclaras & laudabiles actiones efficacius excitaturum, ſi ſubditis oſtenderet ſe ſe ſupra omnes virtute ornatiſſimum. Rectè etenim Plutarchus Reges ac Principes populi comparat cum publicis fontibus, ad quos omnes conueniunt, qui ſi intoxicati fuerint, incredibilem adferunt perniciem. Itemque cum ſpeculis atque regulis, ad quorum normam ſe componere ſtudent in primis aulici omnes, deinde magiſtratus, officiarij, demum populi. *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Ea de re & frequenter arguitur & grauiter damnatur in ſacris Ieroboam filius Nabath, quod ſuo exemplo & authoritate *peccare fecit Iſrael*, id eſt, decem diuini populi tribus à ſacræ legis obſeruatione & cultu ad vitulorum aureorum & idolorum adorationem peccans abduxiſſet. Redarguuntur etiam Achaz, Achab, Ammon, Manaſſes, & alij apoſtaſiæ Iſraeliticæ authores, quod populum aliâs minimè malum, malo cultu, prauiſque opinionibus corruperint, atque deprauarint. Quanta ergo ſupplicia manet miſeros huius ſeculi quoſdam Principes, qui ſua negligentia vel malitia ſinunt rapaces lupos, id eſt, abominandarum hæreſeon & blaſphemiarum miniſtros cum innumerabilium animarum æterna perditione, in ouile Domini noſtri IESV CHRISTI introire?

Li.8. de Cyri inſtit.

3. Reg. 13. 14 & c.

Actor. 20. Matth. 7.

19. *Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad regem, ſed regnum illius, altera quæ melior eſt illa, accipiat.*

HAEC ſecunda pars orationis Mamuchan continet ſupplicia, quibus illi videtur multanda eſſe Vaſthi publica rebellio in Regē ac maritum, ſimulq;

prauum alijs mulieribus datum exemplum. Et ne arrogantius videatur Regi ſuo imperare, aut aliorum Iudicum ſententijs aliquod adferre præiudicium, ita modeſtè exorditur: *Si tibi placet, &c.* Quaſi dicat: Cum bona venia totius iſtius nobiliſſimi Senatus, tuæque regiæ maieſtatis obſeruantia & honore, quæ iuſta videntur loquar, Regum potentiſſime. Aequum & opportunum cenſeo, vt peccatum Reginæ, quia publicum eſt, publica lege atque pœna caſtigetur. Digniſſimum autem ſuperbiæ & rebellionis eius ſupplicium eſt, vt omni honore regio priuetur, quæ talem tantumque Imperatorem contempſit. Noluit eſſe contenta ſua ſuper reliquas mulieres excellentia, in ordinem viliſſimarum muliercularum reducatur. Illegitimam dominationem in virum vſurpare conata eſt, ab omni conſortio viri detrubetur. Maritum confudit, à marito in perpetuũ repudietur. Principes regni dedignata eſt, omni principatu, diademate, ſtola, inſignijſque regijs priuetur: alia verò longè melior & dignior eiſdem ornetur ac decoretur, &c.

Verùm, vt magna vſus libertate Mamuchan de Regina dixit, ita & nos liberè pronunciemus de tota eius oratione & cenſura. Certè enim auſterior, durior, & grauior eſt, quàm delicta reginæ contra regem meruerint. Nam omnia mitiorem in partem potuiſſet interpretari, & probabiliter excuſationis loco afferre, illam pudore ac verecundia primis mulierũ ornamentis, prohibitam, quo minus conuiuio iſti, ad quod tot extranei vocati eſſent, intereſſet. Vel ſperare Regẽ ipſum vbi edormiſſet crapulam, pœnitentiam acturum, quòd illam contra laudabilem Perſarum conſuetudinem vocaſſet. Item coniugum eſſe, vitia alterius noſſe, non in crimen vocare: æquiſſimo inuicem animo occultare & ignoſcere, non in propatulum efferre. Præterea, non mirandum, ſi ſemel moroſior appareat, cùm nec Iuppiter omnibus idem: mulieres ſuos quoque pati manes. Deinde, Reginam denuò accerſendam, & quam ob cauſam Regi non paruerit, accuratius percontandam. Rationes eius audiendas & maturius iudicandas, nec ſententiam pronunciandam,

donec

donec pars altera audita eſſet, & locum ſatisfactionis accepiſſet. Iudicium differendum in aliud tempus, cùm tunc omnes vino maderent.

E cõtrario verò clamat, facinoris huius famam per totum imperium volaturam. Verùm, peccata longè grauiora, ſæpe cælata, vel leuiſſimo tantùm rumore ſparſa fuerant At nulla mulier deinceps maritum ſuum debito honore proſequetur. Reſpondeo non omnes eſſe eodem ingenio prædítas. Multas blandioribus verbis vel pœnis leuioribus mariti in officio retinent. Denique, abſentiam Reginæ conſultius in iocum traxiſſet, dicendo eam in ſuo mulierum conuiuio poculis forſan, vt & viri, ſuo modo certaſſe, ideoque nonnihil à mentis ſtatu deturbatam abfuiſſe. His itaque & alijs modis peccatum reginæ potuiſſet aut excuſare, aut ſaltem eleuare, & non ita ſummo in ipſam iure agere. Sed & Rex ipſe planè iram comprimere debuiſſet, & hanc apud ſe rationem iniuiſſe. En tot tantisq; prouincijs imperas: ecquid ergo belluam iſtam, id eſt, iracundiam, tibi imperare patieris? Pulcherrimum victoriæ genus eſt ſeipſum vincere. Nam fortior eſt qui ſeipſum vicit, quàm qui plurima regna. Sed quid? Rex animum impotentiſſimum declarat, & Mamuchan communi aulicorum morbo laborat. Solent enim iſti Regum affectibus ſeſe accommodare, & paſſionibus quantumuis prauis & turpibus penitus inſeruire, vt eorum gratiam & fauorem iure vel iniuria aucupentur. Princeps aliquem odio habet? eidem etiam contra proprium conſcientiæ teſtimonium detrahunt, verbiſque atrociſſimis leues offenſas ſine fine exaggerant, ex muſca facientes elephantum. Amore ac beneuolentia proſequitur alium? Omnes & ſi intus oderint, exterius tamen venerantur, extollunt, adorant. Ionadab videns Amnonem propriæ ſororis captum amore, illum turpi conſilio iuuat, vt inceſtuoſo raptu potiatur. Dauidi adulteriũ cum Beth-ſabea meditanti, non defuerunt in aula turpitudinis miniſtri qui eam accerſerent. Volenti necem Vriæ, Ioab operam ſuam præbuit. Seruus Annæ videns Chriſtum domino ſuo minus gratum, eum

Prouer. 16. *2. Reg. 13.* *2. Reg. 11.* *Ioan. 18.*

Lucæ 23. in faciem cædit. Herodi mundi huius Redemptorem & iudicem illudenti, tota aula & exercitus turba conſenſit. O ter quaterque miſeram aulicorum conditionem! Hic ergo conſiliarius aulicus, expendens Aſſuerum excandeſcentem in propriam coniugem, oleum addit camino, peccatum illius amplificat, & abſq; vlla commiſeratione aut moderatione duriſſimam fert de ea ſententiam, vt principi gratificetur, ſuamque fidelitatem & obſeruationem commendet.

Rurſum, ex iſta Reginæ dijudicatione litiſque diſcuſſione obſeruandum eſt, Reges, Reginas, alioſque Principes huius ſeculi non eſſe ita publicis legibus ſolutos, aut à iudicijs pœniſque per leges conſtitutis liberos, vt quidam politici aſſentatores illis perſuadere conantur. Nam cùm ſacræ leges, etiam Platone & Tullio authoribus, non niſi à mente diuina proceſſerint, neceſſe eſt illos eiſdem ſubiectos eſſe, in Gygantum aut dæmonum more aduerſus Deum bellare voluerint. Deinde, conſtat leges ad communem hominum vtilitatem, publicam honeſtatem, iuraque naturæ ſeruanda ordinatas & promulgatas fuiſſe: igitur & publici iuris, & naturæ hoſtes ſunt, ſi eas contempſerint. Exemplis denique & ſacris & humanis facilè conuincitur, eos legibus & pœnis cùm deliquerint, eſſe ſubiectos: quando & Vaſthi regina hoc loco
Num. 24. ſecundum leges dijudicatur & plectitur: & Moſes duodecim tribuum Iſraëlis principes totidem affixit
1. Reg. 14. patibulis: & Ionathas primogenitus regis Saulis, iu-
2. Reg. 21. dice patre capite damnatur: ſeptem alij Saulis filij de cruce pependerunt: ſeptuaginta filij Achab capitibus minuuntur: Saul & Achab regnis exuuntur, & cæt.

Et vt de Reginis heroidibuſque etiam proponamus exempla, Helias doctor paſtorque Iſraëlis de Ieſabele regina dixit: *Canes comedent Ieſabel in agro Ieſrael:*
3 Reg. 21. quod paulò poſt propter multas impietates illius ac-
4 Reg. 9. cidit. Ioiada ſummus Synagogæ Pontifex iuuantibus
4. Reg. 11. eum Leuitis, pioque Hebræorum populo Ieroſolymitano, Athaliam morti tradidit, quæ deleto ſanguine regio, regnum ſeptem annis contra ius vſurpauerat.

uerat. Sigebertus, AEmilius, & Guaguinus ſcribunt, Clotharium regem Francorum, de procerum & iudicum regiorum ſententia, Brunechildem reginam equorum indomitorum caudis alligatam, tandiu trahi & raptari feciſſe, donec animam exhalaſſet: eò quòd tam veneno, quàm diuerſis alijs artibus, decem Principes de medio ſuſtuliſſet, regnumque Franciæ multo tempore conturbaſſet. In promptu eſſet ex hiſtorijs plurimos enumerare Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, & aliarum per totum Occidentem prouinciarum Reges: inſuper & Germaniæ, Græciæque Imperatores, qui ab Ordinibus regni publicè in ius ſunt vocati, exutique omni poteſtate, atque authoritate; quinetiam extremo ſupplicio pro ſceleribus in rempublicam, adiudicati & affecti. Sed de his prolixius diſſeremus ad finem huius capitis.

Neque prætereundum eſt, quod Mamuchan adfirmat, *leges Perſarum & Medorum infringi ac præteriri illicitum eſſe.* Nam ex Daniele patet eas fuiſſe tam conſtantes ac irreuocabiles, vt & ipſi Reges quantumuis reluctari conarentur, eis tamen compellerentur obedire. *Daniel. 6.* Præclarè quoque dixit Alexander Seuerus; Nihil tam proprium eſſe imperij, quàm legibus viuere. Et Theodoſius cum Valentiniano ſcripſit: Digna vox eſt maieſtatis regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeo de authoritate iuris noſtra pendet authoritas, & reuera maius imperio eſt, ſubmittere legibus Principatum. Iuſtinianus denique & ipſe Imperator: Licet legibus ſoluti ſimus, attamen legibus viuimus. Cenſuit poſtremò Paulus Iuriſconſultus; Decere Principali maieſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur. Et certè permultum intereſt, ſi leges iuſtæ & honeſtæ obſeruentur. Quamdiu Græci & Romani leges ſuas tutati ſunt, potentia & authoritate conſpicui, omnium rerum copijs affluxerunt. Habuère quoque νομοφύλακας, quorum officium erat, leges quæ per νομοθέτας, legumque latores poſitæ erant, communique conſenſu comprobatæ, tueri ac defendere, & in omnes illos, qui in eas aliquid commiſiſſent, ſeuerè animaduertere.

A quo vbi diſceſſerunt, legeſque aranearum telis (vt dicebat Anacharſis) ſimiles factæ ſunt; rempublicam imminuerunt, libertatem amiſerunt, patriam imperiumque perdiderunt. Ideo rectè Tullius leges appellat, vinculum Reipublicæ, fundamentum libertatis, omniſque æquitatis fontem ac originem: legumque idcirco omnes, ait, ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. Et rurſum idem: Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus vt neruis, ſanguine, & membris vti non poteſt. De fine verò legum hæc pronunciat Iſidorus: Factæ ſunt leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tuta ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocendi facultas. Quibus adijcit Caſſiodorus: Iura publica, certiſſima ſunt humanæ vitæ ſolatia, infirmorum auxilia, & potentium fræna: vnde & ſecuritas venit, & conſcientia proficit, &c. Finis itaq; legum, iudiciorum, ac ſuppliciorũ humanorum eſſe debet, vt ſeruentur leges ſecundæ tabulæ, quę nos dirigunt erga proximum, publica conſeruetur pax, & honeſtas, ſtent rectæ politiæ, pręmia ſint virtutibus, & pœnæ ſceleribus. Quod ſi his non ſtetur, ſed audacter eas quilibet violauerit, actum erit de virtutibus, ſurſum deorſum omnia voluentur, nec regna erunt regna, ſed magna latrocinia.

Pro Cluent.

Lib. 2. Etymolog.

Auguſt.

Denique, ex abdicatione Vaſthi reginæ videmus diuino iudicio fieri, vt hominum faſtus, ſuperbia, contumacia, perduellio vt plurimum etiam in hoc ſeculo puniatur dedecore atque ignominia publica: adeò vt qui arroganter ſuper omnes alios ſeſe extulerit, infra omnes humilietur & deijciatur. Hoc iudicium celebrat in diuino cantico ſanctiſſima Deipara; dicens: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Apoſtoli quoque ſcribunt, Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam. Exempla etiam huius cæleſtis iudicij certiſſima & vulgatiſſima ab exordio mundi extare voluit; vt Adæ, qui cùm voluit eſſe vt Deus, ſimilis factus eſt iumentis inſipientibus. Lucifer conatus exaltare ſolium ſuum ſuper aſtra, ſicut fulgur deſcendit in tartarum. Pharao

Lucæ 1. *Iacob 4.* *1. Pet. 5.*

Pſalm. 48. *Lucæ 10.*

dicens;

dicens; *Neſcio Dominum*, dominicis flagellis correptus, cõfiteri coactus eſt, *Dominus pugnat pro Iſraele*, demumque fluctibus maris cum toto exercitu obuolutus, didicit non eſſe pugnandum contra Deum. Antiochus multa contra legem, cultumque Dei molitus, tandem victus fatetur, rationi conſonum eſſe *hominem ſubiectum fieri Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Qui ſpernis*, ait Iſaias, *nunquid & ipſe ſperneris? Cùm fatigatus deſieris contemnere, contemneris, &c.* Plenæ ſunt hiſtoriæ gentium ſimilibus exemplis, vt cùm Dionyſius Siculorum rex in tantam miſeriam cecidit, vt expulſus regno, compulſus ſit pueros in triuijs docere, & pulſare tympanum, vt panem ſibi oſtiatim conquireret. Plutarchus etiam refert Perſeum Macedonum regem ſuperbiſſimum, à Paulo Aemilio victum, vinctumque manibus, & ſeruili veſte indutum, Romam pro triumpho adductum, tandem in carcerem coniectum fuiſſe, vbi apud concaptiuos mendicans, ab eiſque illuſus, fame, pedore, morboque perijt. Euſebius & Nicephorus ſcribunt Valerianum Imperatorem poſt cruentas Chriſtianorum perſecutiones, bello victum à Perſarum rege Sapore, eidem ſcabelli loco fuiſſe quoties in equum conſcenderet. Hoc idem accidit & Bazaieto Turcarum tyranno ferociſſimo, cùm poſt multas victorias à Tamerlane ſuperatus fuit, &c. Ita multi pro tempore tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Diſcant ſuperbi, opulenti, glorioſi non inſoleſcere, nec alios habere contemptui, ſiquidem hæc diuina iudicia effugere voluerint. Subijcit Mamuchan.

Exo 5. & 15. *2. Mach 9.* *Iſaiæ 33.* *Aelian. li. 9.* *Euſeb. hiſtor. Eccleſiaſt. li. 7. Et lib. 4. de vita Conſt.* *Fulgoſ. lib. 9. cap 5.* *Claudian.*

20. *Et hoc in omne (quod latiſſimum eſt) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum quàm minorum deferant maritis ſuis honorem.*

HAEC eſt tertia pars orationis Mamuchan, qua poſtulat iudicium de abdicatione Vaſthi toto regno promulgari, ſimulque legem adiũgi, qua verbo & exemplo diſcerent vniuerſæ Perſarum

rum vxores in ſua ſe ſubiectione humiliter continere,& maritos omni honore & obedientia tanquam capita dominoſque ſuos præuenire. Timore, inquit, ac reuerentia in viros ſuos afficientur, cùm audierint neque Reginæ condonatum fuiſſe, quando marito ſuo obaudire detrectauit: inſuper, & grauiſſimo ſenatuſconſulto conſtituto cautum eſſe, vt maritis ſuis pareant. Atque hæc fuit iſtius Conſiliarij ſententia & conſultatio, quam & rex ipſe & reliqui alij ſuis ſuffragijs comprobauerunt, vt paulo poſt dicetur.

Ex his autem facilè colligitur ad Reipublicæ vtilitatem, & manifeſtorum ſcelerum correptionem maximè ſpectare, vt iudicia publica in reos ſtatuantur & promulgentur: quinetiam vtile & conducibile eſſe, vt & reorum corpora, capita, ſeu alia quædam membra Magiſtratus authoritate vel in patibulis, vel in compitis aut vrbium portis aliquandiu ſuffixa affixave remaneant Non quod tam fœdo humanorum membrorum ſpectaculo homines delectentur: ſed quod ad terrorem præfractis & impijs incutiendum expedire videatur. Ideo putarim factum vt Adami, Euæ, Caini, Gygantum, AEgyptiorum, Moſis, Aaronis, Dauidis, Ionæ, & multorum aliorum peccatorum non tantùm facinus, & iudicium, verùm etiam & diuino conſilio irrogata ſupplicia in ſacris literis publicata ſint, & pro concionibus palam annuncientur.
Deut. 21. Cùm diuina lex corpora malefactorum iubebat
Ioſue 10. tolli de patibulis ante ſolis occaſum, patiebatur ſanè eadem illuc aliquanto tempore permanere ad exem-
Iudith. 14. plum & terrorem aliorum. Iudith à ſe abſciſſum caput Holofernis ſuper muros Bethuliæ ſuſpendere conſuluit, vt illius aſpectu terrerentur Aſſyrij, animarentur Hebræi, diſcerent omnes ad diuina trepidare
2. *Mach.* 15. iudicia. Machabæus quoque victi Nicanoris caput cum humero & brachio præcepit deferri Ieroſolymam, illicque ſuſpendi è regione templi: linguam verò, qua ille Deum verum blaſphemauerat, conſciſſam particulatim auibus dari ad deuorandum.

Refert

Refert etiam ſacra regum hiſtoria ſeptem filiorum Saulis corpora in patibulis manſiſſe à principio meſſis vſque ad finem. Cyprianus recitans ſupplicia eorum, qui ſuo tempore indignè accedebant ad menſam Domini, ait: Plectuntur quidam, quo cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum, &c. *2. Reg. 21.* *Tractatu de lapſis.*

Sed prius quàm ad alia pergamus, æquum videtur vt diſcutiamus paulo diligentius, An Vaſthi è tam ſublimi gradu atque ſtatu, iure vel iniuria deiecta fuerit? Oſtendimus ſupra, orationem ſententiamque Mamuchan duriorem, grauioremque fuiſſe, quàm delictum illius in regem aut purpuratos eius mereretur: potuiſſeque leuius interpretari, aut ſaltem eleuari. Verum, Perſæ erga vxores duriores & atrociores ſemper fuerunt, vt conſtat ex his quæ Plutarchus ſcribit: Cùm plerique barbari, tum verò præcipuè Perſæ grauiter eo à natura inſito vitio laborant, quod de mulierum pudicitia in ſiniſtras ac grauiſſimas ſuſpitiones facilè prolabuntur. Itaque non modò coniuges ſuas, ſed & empticias concubinas, & pellices accurata obſeruant cuſtodia, ita vt à nemine alio conſpiciantur, ſed domi incluſæ vitam exigant: in itinere autem faciendo eædem ſub tentorijs circumcirca obſeptis ſupra curribus vehuntur. Nec his contradicit Athenæus, quando ſic loquitur: Apud Perſas Regina multarum pellicum copiam perpetitur, quia Rex velut dominus imperat vxori. *In Themiſt.* *Lib. 13. ca. 1.*

Ergo, vt etiam ſententiam noſtram de his dicamus: tametſi tam ſeueram ſententiam non meruiſſet apud homines: nihilominus coram Deo longè grauioribus ſupplicijs plectenda erat, vtpotè quia infidelis, idololatra, populi diuini hoſtis, (vt ſuperius ex Hebræis annotatum fuit) & totius Eccleſiæ grauis aduerſaria. Hæc enim non ſolam è regio ſtatu honoreque abiectionem merebantur: ſed & ſempiterna gehennæ ſupplicia. Non habet ergo Vaſthi quod iniuriam ſibi factam conqueratur, quando Deus hoc conſilio manifeſtat quantopere ſibi diſpliceat infidelitas,

cultus falſorum Deorum, crudelitas in ſeruos ſuos, faſtus, arrogantia, rebellio, & contumacia. Accedit quod Deus iſta occaſione volens Eſtheram in ſummum honoris & poteſtatis gradum inter Perſas euehere, quò populum ſuum iam tum ingruenti tempeſtati clementiſſimè eriperet, iſthæc omnia, ſecreto altoque, ſed tamen iuſto iudicio fieri permiſit. Ergo vt Eſther iuſtè electa & ſublimata fuit, ſic & Vaſthi meritò deturbata & abdicata. Ita frequenter contigit, vt multi ab hominibus quidem iniuſtè affligantur, ſpolientur, torqueantur, occidantur: qui tamen coram Deo grauiorum pœnarum reipſa ſunt digniſſimi. Quod etſi coram mundo nequaquam fateātur, ſurdo tamen conſcientiæ verbere flagellati, vltrò animis a-
Geneſ.42. gnoſcunt, & in exomologeſi non diſſimulant. *Meritò hæc patimur*, aiebant fratres Ioſeph, *quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: ideo venit ſuper nos tribulatio.* Et Dauid ſub diuinis flagellis ſuſpirans excla-
Pſalm.118. mat: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Et tres
Daniel.3. pueri in Babylonia captiui apertè confitentur: *Omnia quæ nobis feciſti, in vero iudicio feciſti Domine, quia peccauimus tibi, &c.*

21. Placuit conſilium eius regi, & principibus: fecitqúe Rex iuxta conſilium Mamuchan,

22. Et miſit epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, vt quæque gens audire & legere poterat, diuerſis linguis & literis, eſſe viros principes ac maiores in domibus ſuis: & hoc per cunctos populos diuulgari.

FACTO adimpletur quod oratione perſuaſit Mamuchan. Etenim alij ſex Iudices ſeu Conſiliarij non minus quàm ille obſeruationem & fidem ſuam Regi commendare deſiderantes, eiuſdem conſilium & ſententiam magno conſenſu comprobauerunt. Forſitan ex vultu & geſtibus colligebant hoc iudicium ei gratiſſimum ac iucundiſſimum eſſe, & id-

& idcirco ei tum gratificari ſtudent, cùm ad parcendum atque reconciliandum vxori admonere debuiſſent. Rex quoque maiore ira quàm prudentia vſus, idem conſilium ratum habet, quàm primùm exequitur, Vaſthi perpetuæ repudiationis libellum mittit, aulam exire iubet, omnique honore ac gradu deinceps carere imperat. Addunt Hebræi, ex patrum traditione, eam etiam publicè necatam fuiſſe, Deo iuſtas pœnas repetente afflicti ab ea populi ſui, & ſacri templi impeditæ reſtaurationis. Denique aſcitis Scribis aulę, publico per omnes linguas & prouincias ſubiectas edicto ſtatuitur, Viros eſſe dominos & principes in domibus atque familijs ſuis, vxores autem viris ſubditas, &c.

Ex quibus primò notandum, repudium vxorum olim quidem Iudæis permiſſum fuiſſe, ad duritiem cordis eorum, videlicet vt minoris vnius mali conceſſione, multa & grauiora cauerentur, nimirum adulteria, vxoricidia, veneficia, iurgia, rixæ perpetuæ & domeſticæ, &c. Inter ethnicos ferè vulgare fuit etiam leuioribus de cauſis, proprias vxores dimittere, & alias ducere, vt indicat Hieronymus, referens Paulum Aemilium interrogatum ab amicis; Cur vxorem caſtam, formoſam, opulentam repudiaſſet? protendiſſe pedem, & dixiſſe eis: Et hic ſoccus, quem cernitis, videtur vobis nouus & elegans, ſed nemo ſcit præter me, vbi me premat. Chriſtus autem Euangelio ſuo huiuſmodi diuortia, quæ ſacri matrimonij vincula ſoluerent, omnino fieri prohibuit, illius iura reuocans ad primam legem & inſtitutionem: quæ fuerunt, vt vnus vir vnam tantùm vxorem haberet, eamque penitus non dimitteret, ſicut Adam Eua ſua perpetuò contentus fuit. *Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam,* inquit ęternus Dei filius, *excepta fornicationis cauſa* (qua fieri poteſt ſeparatio, quo ad thorum duntaxat) *facit eam mœchari Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Et idem rurſum: *Moyſes ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & alteram duxerit, mœchatur.* Et Apoſtolus ait:

Deut 24. Malach. 2. Matth. 19. Marc. 10.

Lib. 1. adu. Iouin.

Geneſ. 2. et 3.

Matth 5. & 19.

1.Cor.7. ait: *His qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere. Et vir vxorem non dimittat. Alligatus es vxori: noli quærere ſolutionem.* His accedit, quòd matrimonium Euangelicæ legis ſacramentum eſt, ſignificans vnionem Verbi cum homine, & Chriſti cum Eccleſia tum militante tum triumphante. Igitur ſicut Filius Dei aſſumptum in ſuam hypoſtaſin hominem deſeret nunquam, aut cum Eccleſia ſponſa ſua nullum faciet diuortium: ita nec homini conceſſum eſt ſic dimittere vxorem ſuam, vt alteram ducere poſſit. Atque hoc eſt argumentum, quo Apoſtolus matrimonij vinculum indiſſolubile confirmat: ſimulque ſtatuta Geneuenſia de vxoribus relinquendis, & nouis ducendis, refellit & damnat.

Epheſ.5.

Patet etiam ex iſta Vaſthi abdicatione, qua ex glorioſiſſima imperatrice efficitur vilis, abiecta, repudiata, imò quoque turpis ac cruenti alicuius carnificis ludibrium; honores, glorias, pompas, delitiaſque huius ſeculi res eſſe inconſtantiſſimas & vaniſſimas, atque nunquam inſoleſcendum vel ſuperbiendum eſſe ob aulicos fauores. Haman & decem filij eius de eximijs principibus, breui momento facti ſunt miſeri furciferi. Pharaonis piſtor in crimine deprehenſus, illicò in malam crucem actus eſt. Daniel imperatori Perſarum & Medorum chariſſimus, æmulorum artificijs ſemel & iterum leonibus traditur diſcerpendus. Quis ergo Regum fauoribus tutò confidere poterit? Ioſeph, Moſes, Dauid, Helias, Præcurſor Domini, in aulis regum varijs grauibuſque periculis expoſiti fuerunt. Chriſtus in Herodis domo illuſus eſt, in prætorio Præſidis Romani flagellatus, ſpinis coronatus, & morti adiudicatus. Petrus in atrio Cayphæ dum timuit mori, vitam negauit. *Nolite ergo confidere in principibus, aut filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Fugiat aulam, qui volet eſſe pius.

Eſther. 8. & 9. Geneſ. 40. Daniel.6. & 14. Pſalm. 145.

Præterea, cùm edictum regium dicatur ſcriptum fuiſſe diuerſis linguis & literis, vt vnaquæque gens illud ſuo idiomate legere atque intelligere poſſet, ſatis perſpicuum euadit, illos principes ethnicos aut varia genera linguarum calluiſſe, aut certè Scribas notarios

rioſque præ ſe habuiſſe, qui eadem & intelligere & ſcribere poſſent. Hos Scribas regios nominat Herodotus: Eſdras ſimpliciter, Scribas: regem vbique comitabantur, etiam in bellum externum proficiſcentem, vt non ſolùm quaque verborum formula reſcripta, edicta, decretaque regia perſcriberent: verùm etiam res ſiue bello, ſiue pace geſtas, memoratuque dignas in commentarios referrent. Hoc peregrinarum literarum ſtudium plurimum commendat Valerius Maximus, ſcribẽs Catonem in poſtrema ſenectute literis Græcis operam dediſſe: laudans etiam Pythagoram, quòd linguam Aegyptiacam, Perſicam, Italicam cum Græca ſibi natiua didicerit. Et vt de viris principibus dicamus, celebrat Themiſtoclem, quòd Perſicô ſermoni ſeſe aſſuefecerit, antequam ad Xerxem eorum regem confugerit. Denique & Cyrum maximum imperatorem, quòd omnium militum ſuorum nomina; & Mithridatem regem Ponti, quòd duarum & viginti gentium, quæ regno eius parebant, linguas didiciſſet: vt eos, quibus imperabat, ſine interprete & alloqueretur, & de rebus ad politiam pertinentibus aptius conueniret. Hoc autem æuo, videmus multos principes ac nobiles à bonis literis & linguarum cognitione ſic abhorrere, vt malint choreis, ſaltationibus, pilæ, venationi, libidini, alijſque nęnijs vacare, quàm melioribus diſciplinis nauare operam, &c.

Lib. 3. *Lib. 1. cap 4.* *Lib. 8. ca. 7.*

Inſuper, cùm Perſæ tam ſolenni lege decernunt, Viros eſſe principes in domibus ſuis, ſatis oſtendunt naturalem atque diuinam legem de virorum in vxores poteſtate, ſic antea inter eos deprauatam & obliteratam fuiſſe, vt mulieres aut pro ſua ſuperbia, aut maritorum ignauia ſocordiaq;, illis contra naturã & ius omne, dominarentur, iſti obſequerentur. Id quod etiam alijs gentib. à Perſis cõtigiſſe his verbis refert Diodorus: Inter Aegyptios plus honoris ac honeſtatis impendi ſolet Reginæ, quàm regi: & in priuatis, mulierẽ viro dominari, profitentibus in connubiali cõtractu, viris omnib. eſſe vxori parendũ. Ariſtoteles quoq; ſcribit, illas tũ præcipuè velle præeſſe, cùm amplum patrimonium conſequutæ ſunt. Rhodiginus adfirmat

Lib. 1. Bibl. cap. 2. *Lib. 8. ethic. cap. 16.*

Li.14.ca.14. Catonem ſeniorem, ac Themiſtoclem principes inter Romanos Græcoſque viros, dicere ſolitos: Nos omnibus imperamus, at vxores nobis. Præclarè etiam dixit ſapiens ille Hebræus: *Forte eſt vinum, fortis eſt rex, ſed fortiores ſunt mulieres.* Contra verò, diuina & immutabili lege conſtitutum eſt, vt mulieres viris ſuis ſubijciãtur, eiſdemque vt dominis ſuis pareant: quod nec ſapientes huius mundi latuit. Ariſtoteles namque docet virum in vxorem ciuile imperium tenere, eò quòd vir potior ſit honore, ſermone, grauitate, & dignitate. Et Menander poëta ſcribit: Natura non dedit fœminę imperium. Euripides quoque: Mulierem oportet ſemper viro ſuo acquieſcere, &c. Nullus porrò debet ambigere & hanc Perſicam legem, & iſta Philoſophorũ axiomata, è diuina naturęque lege primaria tanquam riuulos ex certiſſimis fontibus ſuis emanaſſe, quando Deum Optim. Max. primæ omnium mulieri dixiſſe nemo dubitet: *Eris ſub viri poteſtate, & ipſe dominabitur tui.* Quam legem vt rationi humanæ atque æquitati maximè conſentaneam Apoſtolos per vniuerſum orbem promulgaſſe, vel ex eorum ſcriptis certiſſimum ac euidentiſſimum eſt. Epheſ.5. Coloſſ.3. 1.Timoth.2. 1.Pet.3. Seriò tamen monendos eſſe viros cenſerem, ne tyrannicè hac ſua in vxores poteſtate aliquando abuterentur: quandoquidem Deus ipſe per Apoſtolum ſuum diſtrictè iuſſerit, vt pari amore & charitate amplectantur vxores ſuas, qua Chriſtus Eccleſiam. Quis autem poſſet tantæ dilectionis ſummam ſatis dignè aut mente cõcipere, aut verbis recenſere? Idem Apoſtolus paulò poſtea ſubijcit: *Vnuſquiſque vxorem ſuam diligat ſicut ſemetipſum.* Et cõapoſtolus Petrus docet, cohabitandum eſſe cum illis, *veluti cum infirmioribus vaſculis, cohæredibus tamen vitæ ſempiternæ.*

[Margin: *3.Eſdr.3. & 4.* — *Lib.1. Polit. cap.8.* — *In Electra.* — *Geneſ.3.* — *Epheſ.5.* — *1.Pet.3.*]

Denique, vt audimus regem Aſſuerum principum ſuorum conſilium, licet minus prudens ac ſanum, ſecutum eſſe; ita quoque noſtrum eſt parentum, aliorũque, qui nobis bene volunt & conſulunt ſanctis monitis parere. Ait enim nobilis orator, Sapientiſſimum dicunt eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè verò accedere illum, qui alterius bene in-

[Margin: *Cic. pro Cluentio.*]

uentis

uentis obtemperet. Heſiodus quoque rectè monet: *Lib.2.*

Eſt bonus hic etiam, ſequitur qui vera monentem.

Et Liuius: Sæpè ego audiui, cum primum eſſe virum, *Lib.22.* qui conſulat, quid in rem ſit: ſecundum autem, cum qui bene monenti obediat. Hinc ſenex Tobias ad iuniorem: *Conſilium ſemper à ſapiente require.* Et Ambroſius: *Tob. 4.* In acquirendis conſilijs plurimum valet vitæ *Lib.2.offic.* probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, facilitatis gratia, &c. Et non multo poſt: Quanto vtilius regem Pharaonem Ioſeph conſilio iuuit, quàm ſi pecuniam contuliſſet? Facilè pecunia conſumitur, cōſilia exhauriri neſciunt. Atque hæc de Aſſueri imperio, conuiuio, vxoris repudio, totoque primo huius libri capite.

DE REGVM *ſummorumque principum abdicatione.*

MONET autem nos iſta Reginæ ac imperatricis Vaſthi deturbatio, vt antequam ſequens caput attingamus, aliquid dicamus de graui ac periculoſa quæſtione iſta; An iure iuſteque poſſint Imperatores, Reges, ſummique huius ſæculi Principes aliquando de ſedibus ac thronis ſuis deturbari?

Ac primò quidem loco diligenter obſeruandum eſt, hic non quæri de pijs Regibus ac Principibus, qui omne ſtudium ac operam ſuam collocant in Dei cultu ac honore tum in propria familia ſeruando, tum inter cunctos prouinciarum ſuarum incolas atque ſubditos defendendo & propagando. Pro his enim atque prouinciarum & regnorum illorum ſalute, & priuatim orat Eccleſia Catholica: eiſdemque precatur à *Tertull. Apol.ca.30.&* Deo, vitam prolixam, imperium ſecurum, domum *lib. ad Scap.* tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; pij hominis & Cæſaris vota ſunt. Sacrificamus, inquit vir Apoſtolicorum temporum, pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius, ſed quomodo præcepit Deus, pura prece. Nihil eſt ergo quod de hac diſputatione pij Magiſtratus reformident, nihil quod veri Reges ac legitimi Principes ſibi timeant: ſed potius quod gratu-

lentur in Domino, quoniam de illis non commouetur hæc diſputatio; ſed de his ſolummodò, qui poteſtate ſibi tradita abutentes, in apertam tyrānidem degenerant, & huiuſmodi ſceleribus ſine vllo Dei metu ſe ſe commaculant, quæ ſummam perniciem Eccleſiæ & Reip. adferunt, vt ſine multarum animarum præſenti iactura tolerari nec poſſint, nec debeant.

Secundò notandum, tres eſſe qui valeant iſtiuſmodi Reges, ſeu potius Tyrannos ac humani generis peſtes de ſolijs ſuis deturbare ac deijcere: meliores aūt & commodiores horum loco conſtituere: videlicet; Deus Rex regum, & Dominus dominantium: Eccleſiæ Catholicæ ſummus Paſtor & rector: & legitimus conuentus Ordinum alicuius Regni ac principatus: de quibus nunc eſt ſigillatim ac ordine dicendum.

De primi authoritate nemo qui Diuinis literis fidem habeat, ambigere poteſt, Propheta dicente, *Deus* *Daniel. 2. & 4.* *mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit.* Et rurſum: *Excelſus dominatur ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit, dat illud.* Quod illicò illuſtri ac memorabili exemplo confirmat, videlicet Nabuchodonozoris Chaldæorū imperatoris ac orbis monarchæ deiectione. Sauli primo Hebræorum regi dictum eſt: *1. Reg. 15.* *Pro eo quod contempſiſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex: & alium meliorem te elegit:* quod paulò poſt accidit, Dauide eiuſdem loco ac ordine ſubſtituto. *Prouerb. 8.* Ait quoque Deus per ſapientiſſimum Hebræorum: *Per* *Eccli. 10.* *me Reges regnant.* Et Syracides: *Regna de gente in gentem transfert propter iniuſtitias & dolos.* Ac ne in re tā clara & certa ſimus effuſiores, de altero capite iā dicendum.

Secundò itaque Eccleſia Catholica, quæ in ſummo Paſtore ſuo, id eſt Chriſti in terris Vicario ac Petri ſucceſſore, vnà cum fratrum, id eſt, Cardinalium ſacro Conſiſtorio præſertim attenditur, Reges impios, ac Reipublicæ Chriſtianæ perturbatores & hoſtes regnis ſuis abdicare, & omni poteſtate dignitateque priuare poteſt, vt ſubiectis argumentis confirmabitur. PRI- *Matth. 16. & 18.* MO: Chriſtus Petro & ſucceſſoribus dixit: *Dabo tibi claues regni cælorum, &c. Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, &c.* Clauium autem nomine omnis poteſtas in Eccleſia militante intelligitur, De-

inde, ſine vlla Regum aut Principum exceptione dici-
tur: *Quæcunque ligaueritis, &c.* Igitur etiam in illos ſum-
mam poteſtatem Petri ſucceſſores acceperunt. Præter-
ea, ſi poſſunt Reges pro delictis ſuis à corpore Chriſti,
quod eſt Eccleſia, & regno cælorum abijcere, multo
magis à thronis temporalib. deturbare. SECVNDO:
Hæc poteſtas promiſſa & data Petro & ſucceſſoribus
eius extenditur ſuper totum Chriſtianorum gregem,
ac viuentia veraque membra Eccleſiæ, iuxta illud: *Pa-* *Ioan. 20.*
ſce agnos meos, paſce oues meas. Item: *Confirma fratres tuos.* *Lucæ 22.*
Deinde, Apoſtolo dicente; *Omnes vnum ſumus, qui de v-* *1. Cor. 11.*
no calice participamus. Vnum corpus in Chriſto, &c. Ergo *Rom. 12.*
ſummus huius gregis Paſtor & rector poteſt Regem
nefarium, ſicut ouem peſtiferam à grege ſeparare: &
velut caput, membrum putridum à reliquorum con-
ſortio ſubmouere. TERTIO: Huiuſmodi poteſta-
tem Eccleſiæ daturum ſe quondam per veteres Pro-
phetas Deus omnipotens promiſerat. Pollicetur e-
nim per Iſaiam; *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutri-* *Iſaiæ 49.*
ces tuæ: vultu in terra demiſſo adorabunt te, & puluerem pe-
dum tuorum lingent. Et iterum: *Ambulabunt gentes in lumi-* *Iſaiæ 60.*
ne tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Et paulò poſt: *Gens*
& regnum quod non ſeruierit tibi, peribit. Regibus item
præcipitur: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum* *Pſalm. 2.*
tremore. Ergo clarum eſt ſummos orbis monarchas &
Reges ſubiectos eſſe Eccleſiæ Catholicæ poteſtati.
QVARTO: Cùm Reges Chriſtiani cõſtituuntur & in-
augurantur, omnem obedientiã & reuerentiã Sedi A-
poſtolicæ repromittunt, confirmantq; publico ac ſo-
lemni iuramento talẽ ſe ei præſtituros, qualem decet
filios morigeros deferre optimo & chariſſimo Parẽti.
Igitur vt pater contumelioſũ & rebellẽ filium poteſt
exhæredare, ita & is qui præſidet in Sede Apoſtolica
Principẽ pernicioſum & immorigerũ principatu ſuo
abdicare. QVINTO: Nõ minor, imò multo maior &
auguſtior eſt poteſtas ſummorũ Eccleſiæ Chriſtianæ
Pontificum ſuper omnes Chriſtianos, quàm fuerint
ſummorum Antiſtitum Synagogę ſuper Iudęos. Sed
iſti non ſolùm potuerunt reges Reipub. pernicioſos
deponere, & alios vtiliores cõſtituere, vt Samuel loco *1. Reg. 15.*

2.*Paral.* 26. Saulis,Dauidem:Azarias,pro Ozia, conſtituens Io-
4.*Reg.*9. than:Eliſeus pro Achab,vngens Iehu:verùm etiam in
eorum poteſtate fuit peſtiferos Principes pro ſceleri-
4.*Reg.*11. bus ſuis morti adiudicare & tradere, ſicut Samuel A-
3.*Reg.*21. gag,Ioiada ſummus põtifex Athaliam,Elias deniquè
Achabum & Iezabelem.Propterea enim etiam de hoc
Eccli. 48. dicitur à Sapiente:*Deiecisti Reges ad interitum, & de ſede ſua glorioſos,eorumque potentiam fregiſti.* Verè ſiquidem
hoc fecit,quãdo etiam duos quinquagenarios Ochoziæ,cum ſuis turmis; & quadringentos quinquaginta Baalis miniſtros,poteſtatę ſibi à Deo tradita, etiam inuitis Principibus,neci tradidit.Cùm itaque tantam habuerint ſummi ſacerdotes & Prophetæ in Reges impios authoritatem ſtante Synagoga, nemo ſanæ mentis ambigere poteſt Vicarium Chriſti Ieſu, Petrique legitimum ſucceſſorem, non modò ęqualem,ſed & potiorem à Deo accepiſſe. SEXTO:Chriſtianos Antiſtites non debere tolerarę Regem perfidum,Apoſtatam, vel hæreticum,qui conatur ſubditos ſuos abducere à vera religione ad falſas & diabolicas hereſes; manifeſtè probatur ac euincitur ex hoc diuino decre-
Deut. 13. to,quo conſtituitur,vt etiam vir vxorem ſuam,& frater fratrem,& quiſque proximum ſuum publicæ poteſtati prodat tradatque morte plectendum,ſi quando conatus fuerit à diuino cultu ipſum ſeducere. Item
Deut. 17. diſtrictè prohibitum eſt Regem eligere aut conſtituere,*qui non ſit de fratribus*, id eſt, diuinæ auitæque religionis.Sed eiuſdem periculi eſt impiũ tolerare, quàm conſtituere: igitur deficientem à vera fide,& ſubditos ſecum in eandem perditionis foueam abducentem, principatu ſuo Chriſtiani gregis paſtores debent abdicare.

SEPTIMO: Iſtud confirmatur illuſtriſſimis exemplis, ac omnium ferè gentium probatis hiſtorijs, quæ à Paulo Diacono,Sigeberto,Nauclero,Reginone,Blondo, Palmerio, Platina, Onufrio, AEmilio, Guaguino; & ne deſint Græci, Nicephoro, Zonara,Cedreno, alijſque Chronographis ac hiſtoriographis referuntur. Conſtat enim Gregorium Secundum excommunicaſſe Leonem Imperatorem Iconomachum,

machum, prohibuiſſeque, ne vectigalia eidem velut legitimo principi ſoluerentur: indeque à Zonara & Cedreno, plurimum commendari. Deinde, Leonem Tertium Romani imperij ius, nomenque à Græcis ad Germanos tranſtuliſſe, propterea quod Eccleſiam Chriſtianam à Saracenis, Mauris, Hunis, alijſque externis hoſtibus impunè vaſtari permitterent. Hinc Gregorium Quintum poteſtatem eligendi Imperatorem, ad ſeptem tantummodo viros Germanos tranſtuliſſe, videlicet Moguntinum, Treuirenſem, & Colonienſem Archiepiſcopos; Marchionem Brandeburgenſem, Comitem Rheni Palatinum, Ducem Saxoniæ, & Regem Bohemiæ. Igitur & ſuper Imperatores, & ſuper eiuſdem Electores ſummus Eccleſiæ Pontifex inſignem magnamque poteſtatem ſemper obtinuit. Inde Gregorius Septimus, quem dono prophetiæ & miraculorum claruiſſe veteres aſſeruerunt, Henricum huius nominis Quartum Roman. Imperatorem, propter manifeſtas Simonias, rapinas, adulteria, Sodomiticas impuritates, & ſchiſmata in orbe Chriſtiano excitata, imperio priuauit: & alium Radulphum nomine, eligi & præfici curauit. Idem quoque Boleſlaum Poloniæ regno ſpoliauit, propterea quod Staniſlaum Epiſcopum Cracouienſem ad ſanctum altare crudeliter trucidaſſet. *Martin. Cromer. de reb. Polon. lib. 4.* Ad hæc, vt paucis plurima complectamur, Adrianus Primus Gulielmum Siciliæ regem regno abdicauit, eo quod Eccleſiarum bona nefariè diriperet. Alexander Tertius Fridericum Primum Imperatorem omni gradu ac honore deiecit, quòd per tres Antipapas Eccleſiam multis annis laceraſſet & confudiſſet. Honorius Tertius Fridericum Secundum prædeceſſoris ſcelera non tam imitantem quàm augentem; Innocentius Tertius Othonem Quartum, Pontificiam ditionem improbè vexantem; & Ioannes vigeſimus ſecundus Ludouicum Quartum propter publica, eaque non diſſimulanda ſcelera, imperij iure ac titulo ſpoliauit. Præterea, vt ſpeciatim de Regibus noſtræ Franciæ dicamus, Zacharias Papa rogatus à Francorum primoribus, Childericum regem, & religionis & reipubli-

cæ ſalutem nihil curantem regno depoſuit: & Pipinum Caroli Magni parentem eius loco præcepit conſtitui.

Ac, vt etiam quorundam impudentiſſimorum Politicorum, dicentium Reges Franciæ non poſſe pro quocunque ſcelere, etiam à Romano Pontifice excõmunicari, ora obſtruamus, conſtat ex hiſtoriis, Agapetum cõmunione Chriſtianorum ſubmouiſſe regem Clotharium, quòd Yuetoti dominum ipſa ſancta die Veneris, quo Chriſti paſſionem oẽs recolimus, ſupplicem ſibi factum propria manu cõfodiſſet. Vrbanum quoque Secundum, Philippum regem huius nominis Primum; & Cœleſtinum Tertium, Philippum Auguſtum anathematibus percuſſiſſe, eò quod legitimis ac proprijs vxoribus relictis, quaſdam impuras pellices in earum locum ſibi ſumpſiſſent. Rurſum, Bonifacius Octauus Philippum cognomento Pulchrum pari fulmine percuſſit, quòd Epiſcopum Apamenſem, Sedis Apoſtolicę Legatum, in carcerẽ coniecíſſet. Nicolaus Primus, Lotharium; Paſchalis quoq; Ludouicũ Craſſum à ſacris alienos eſſe iuſſerunt, eò quòd Franciæ clerum grauiſſimè diuexarent. Imò verò & à ſimplici bus Epiſcopis aliquoties à communione Chriſtiana Reges ac Imperatores ſeiunctos fuiſſe legimus, veluti Heribertus Rex à ſancto Germano Pariſienſi Epiſcopo: & Ludouicus Craſſus à Stephano Pariſiorũ quoq; Præſule. Hoc nemini abſurdum videri debet, cùm etiam D. Ambroſius, Mediolanenſis Antiſtes, Theodoſium Orientis & Occidentis ſimul Imperatorem, ob cædem Theſſalonicenſem excõmunicationis ſententiæ ſubiecerit, vti à Ruffino, Theodoreto, Nicephoro, & Caſſiodoro refertur: & Auguſtinus Hyponenſis ſolùm epiſcopus Bonifacium totius Africæ proregem tandiu ſacris noſtris interdixerit, quandiu reum ex ſacro aſylo, ad quod confugerat, vi abſtractum retinuit. Et hucuſque de poteſtate Eccleſiæ, ac eius ſummi in terra Pontificis ſuper Reges ac Principes laicos atque terrenos authoritate: iam de ordinum regni in Reges ſuos iure dicamus.

Tertiò igitur Conuentus legitimus Ordinum totius

tius regni, qui ex Eccleſiaſticis, nobilibus, & populi ſelectis viris coaleſcit, cùm vniuerſi regni maieſtatem, poteſtatem, & faciem referat, ſicut Concilium generale Epiſcoporum vniuerſam repræſentat Eccleſiam, Regem religioni & populo pernicioſum, tyrannum, & infeſtum poteſt exauthorare, & alium eius loco ſubſtituere: vt ſequentibus ſex argumentis planum efficiam. PRIMO: Eius eſt poſſe deſtituere, cuius eſt ordinare atque conſtituere: ſed ad regni ordines legitimos ſpectat Regem ſibi vtilem ac commodum eligere, decernere, & ſuſcipere: Nam populus Iſrael dicitur conueniſſe *ad conſtituendum ſibi regem* Saulem, tametſi iam à Deo fuiſſet delectus. Et Dauid regni adminiſtrationem non ſuſcepit, niſi poſtquam viri tribus Iuda ſuſceperunt & vnxerunt eum in Hebron. Iterumque exactis ſeptem annis, à decem populi tribubus aſſumptus & inauguratus fuit. Salomon quoque, populo fauſtis acclamationibus approbante, patri ſucceſſit. Quo mortuo, dicitur *populus rurſum conueniſſe, vt conſtitueret Roboam ſibi in Regem*. Sed neque populus Iudaicus cogitaſſet vnquam Chriſtum Dominum noſtrum ſuper ſe Regem conſtituere, niſi hanc poteſtatem ſe ſe habere perſuaſiſſet. Primi denique Reges gentium, ac Romanorum Cæſares non niſi vel à militibus, vel à ſenatu, vel à populo, vel ab his omnibus ſimul quondam creati atque conſtituti fuerunt, vt ex priſcis hiſtorijs ac monumentis manifeſtum eſt. Igitur ijdem quoque cùm expediens ac Reipublicæ ſaluti neceſſe videbitur, eoſdem omnino abdicare, & omni dignitate ſpoliare veteri ſuo iure poterunt.

1. Reg. 9. 11. *2. Reg. 2.* *2. Reg. 5.* *3. Reg. 1.* *3. Reg. 12.* *Ioan. 6.*

SECVNDO: Populus, ſeu Ordines regni conſtituendo ſuper ſe Regem, non ita omnem poteſtatem & maieſtatem ſuam in eum omnino trãſferunt, quin ſibiipſis, maximè in caſu neceſſitatis, eandem conſeruent ac retineant. Confirmatur exemplo Hephron Etheorum regis, qui non eſt auſus concedere Abrahæ ſpeluncám duplicem ad ius ſepulturæ, niſi de conſenſu populi: nec cum Iacob fœdus inire,

Geneſ. 23. *Gen 34.*

niſi de eiuſdem populi conſilio atque ſententia. Ionathas quoque populi Iſraelitici authoritate, liberatus eſt à nece, quam in eum pater idemque Rex Saul inferre tentabat. Amaſias Regum ingratiſſimus populi quoque authoritate non tantùm regia Ieroſolymorum ciuitate expulſus, & ſolio deiectus eſt, ſed etiam morte affectus: aliuſque eidem ſuffectus. Quid quod populus decem tribuum (cum prodigijs & miraculis, prædicante Elia) quadringentos & quinquaginta miniſtros Baalis, etiam inuitis Achabo & Iezabele, occidione occidit? An non tot cædium poteſtatem ſibi ſeruatam oſtendit? Nec ſenatus populuſque Romanus, Neronē, Caium, Maximinum, Heliogabalum, & quoſdam alios Imperatores ſuos adiudicaſſent morti, niſi ſuam ſibi ſeruatam poteſtatem conſtanter credidiſſent. Poſſunt igitur ac debent Ordines Reipublicæ proditores ac euerſores Principes caſtigare atque depellere.

1. Reg. 14. *4. Reg. 14.* *2. Paral. 26.* *3. Reg. 18.* *Sueton.*

TERTIO: Reges magis dependent ab Ordinibus populi, quàm populus à Regibus: quandoquidem nulli naſcantur Reges, ſed fiant: naſcuntur autem omnes & filij & membra Reipublicę atque populi. Deinde, prius fuerunt ordines populi, videlicet ſacerdotes, nobiles, mercatores, agricolæ, ciues, opifices, quàm Reges. Poſtremò, Reges nequeunt eſſe ſine populis; populi autem ac reſpublicæ facilè ſubſiſtunt ſine Regibus, vt cernitur in Heluetijs, Venetijs, Genuenſibus, Lucenſibus, Piſanis, Raguſianis, & alijs, qui abſque Regum maieſtatibus adhuc hodie feliciter vigent & florent. Prætereà, Iſraeliticus populus à Patriarcha Iacob vſque ad regnum Saulis, id eſt, plus octingentis annis Regibus feliciter caruit, omnemque Palæſtinæ terram ſibi ſubiecit: quam ſub Regibus perdidit. Igitur Ordines Reipublicæ eximiam in Reges ſuos retinent poteſtatem. QVARTO, neque tam abſolutè conſtituuntur Reges aut Imperatores, quin cum certis legibus, conditionibus, pactiſque mutuis ac reciprocis cum ſubditis ſuis conueniant & deuinciantur: videlicet, quod ipſis imperabunt ſecundum iura legeſque regni: vnumquemque præſertim

F. Hottom.

in ve-

in vera fide & religione Catholica conſeruabunt, omnem hæreſim è regno extirpabunt, & omnem iniuriam à ſubditis propulſabunt,&c. Igitur ſi à pactis defecerint,iam non ſunt Reges legitimi, ſed latrones atque tyranni,ab Ordinibus coercendi.

QVINTO: Superius probatum eſt, nec Imperatores,nec Reges, nec Principes, omnino ſolutos eſſe communibus ac ſanctis Regni legibus, ſed ſubiectos: vti etiam Romanorum Imperatorum à Senatu populoque iure damnatorum exempla paulo ſupra à nobis producta ſatis confirmant. Igitur ſi has violauerint & contempſerint,ſunt ab Ordinibus ſubmouendi ac plectendi. SEXTO: Vt etiam domeſticis, id eſt,Francicis Hiſtorijs & geſtis agamus, manifeſtum eſt,Ordines regni iam octo Reges Reipublicæ incommodos omni gradu mouiſſe, aliosque in eorum locum incredibili totius regni commodo conſtituiſſe. Primus,Chilpericus,eò quòd nimia luxuria diffluẽs, ſubditorum filias vxoreſque raperet atque fœdè conſtupraret.Secundus,Eudo,quòd poteſtate abutens nimijs exactionibus populum opprimeret. Tertius, Childericus, quem in venatione vnà cum Regina prægnante ſeſe exercentem trucidarunt,eò quod plurimos pios viros peſſundaret: & inter hos Bodilum principem virum innocentem,palo affixum, verberibus palam & turpiter laniaſſet. Quartus, Theodoricus,cui eò quòd rebus adminiſtrandis penitus eſſet ignauus,caput totonderunt, & eum in monaſterium recluſerunt.Quintus,Childericus huius nominis ſecundus, Regum autem Francicorum decimus octauus,quem etiam ob ſummam inertiam, crine tonſo, pro Rege monachum effecerũt.Sextus,Carolus Craſſus,quem ob parẽ inertiam repudiarunt. Septimus,alter Carolus,ob ignauiã & ſocordiam,Simplex appellatus.Octauus,fuit Ludouicus,quẽ propter imbecillitatem animi,& quod ad omnia,præterquã ad libidinẽ, ineptus eſſet,Gallicè, *Fai-neant*,id eſt, Nihil faciẽtem, appellauerunt. An non verò tot ab omnibus probatis & confirmatis exemplis apertè confirmatur, Ordines regni in Reges ſuos non modò peſtiferos, impios,ac

tyrannos;verùm etiam inertes ac ſocordes ſingularē ſibi retinuiſſe authoritatē & poteſtatem? Supereſt igitùr vt de cauſis àc criminibus,propter quæ ſunt deponendi nunc etiam diſſeramus.

Quarto itaque ac poſtremo loco ſunt inueſtigandæ rationes,quibus Reges vel à ſummo Eccleſiæ Pontifice,vel ab Ordinibus,poſſint exauthorari. Non propter peccata perſonalia,ſecreta,vel leuia planè ſunt deturbandi de ſolijs ac regnis ſuis, quoniam etiam moroſis ac diſcolis dominis ſerui iubentur ſubiacere: ſed duntaxat propter publica,eademque nefaria & ſcandaloſa ſcelera,quibus vel ſancta Dei religio, ſalúſque animarum periclitetur:vel Reſpublica magnis ruinis & oppreſſionibus exponatur; cuiuſmodi poſſunt eſſe duodecim crimina,quæ ſubijciemus.

Primum,hæreſis,quæ vel aperta vi introducitur, vel fraudibus occultiſque conſilijs propagatur,videlicet,Miniſtris illius fauendo, vel impunè vagari, & ſubditos à Catholica fide ſeducere liberè eos permittendo. Nam error cui non reſiſtitur, probatur. Et
Lucæ 11. Chriſtus apertè pronunciat: ***Qui non eſt mecum, contra***
Deut.13. ***me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.*** Et in lege Moſis præcipitur Magiſtratui ac Principibus populi, vt Pſeudoprophetas è medio tollant,nec ſinant eos ſuæ curæ crediti populi animas ſeducere. Apoſtoli tanto zelo doctrinam ſidemque Catholicam ſartam tectam
Actor.8. 13. eſſe curauerunt,vt huic contradicentes pſeudoapoſto
Tit.3. los & hæreſiarchas vel cæcitate percuſſerint, vel Sata-
2.Tim.2.&. næ torquendos tradiderint, vel domibus admitten-
2.Theſſ.3. dos prohibuerint,aut vllo verbo,aut vllo ſalutationis
Ioan. 2. officio conueniendos permiſerint: ſed procul veluti
Apocal 2. præſentiſſimas peſtes fugiendos eſſe iùſſerint. Ioan-
Iren.li.3.c.3 nes nec quidem in profanum communeq; balneum
Euſeb.lib.4. cum Cerintho hæreſiarca intrare, vel tantillum ma-
cap.13. nere voluit,*eò quod inimicus*,inquit,*eſſet veritatis*. Poly-
Epiph. cont. carpus preceptoris zelo pietatiq; ſuccedens,Marcionē
hæreſ.30. hæreticū ſibi obuiū alijs verbis conuenire noluit, quā
Euſeb.lib.6. iſtis:*Cognoſce te primogenitum Satanæ*. Origenes nec cum
hiſtor. Paulo hæretico menſæ aſſidere,nec gratias agere vnq̄
Matt 7 13 voluit Chriſtus deniq; hæreticos cū lupis rapacibus,

&in

& inimico homine, id eſt, diabolo zizaniorũ ſeminatore cõparans, ſatis docuit illos nunquam tolerandos, ſed vel procul à finibus Chriſtianorum abarcendos, vel à legitimo magiſtratu è medio tollendos eſſe, ne pias oues diſſipent, mactent, & perdant. *Ioan.* 10.

Secundum eſt ſchiſma, id eſt, nefaria diuiſio ab vnione & obedientia Eccleſię Catholicæ, vel introducta, vel tolerata, fota, & permiſſa Obſeruant namq; Optatus Mileuitanus & Auguſtinus peccatũ ſchiſmatis grauius eſſe homicidio, adulterio, idololatria, cunctiſq; alijs peccatis: quoniã Deo iudice, illis omnib. grauius & acerbius vindicatum fuit. Nam Caino, mundo, Aegyptijs, Iſraelitis, Dauidi induciæ correctionis datæ ſunt; Dathan verò & alij ſchiſmatici, pœnitentię tempore denegato, illicò cum vxoribus, liberis, & tętorijs viuentes à terra ſunt abſorpti, & deuorati. Hieronym. quoq; epiſtola ad Damaſum, Schiſmaticos ideo militibus crucifigentibus Chriſtũ deteriores eſſe iudicat, quòd illi corpus Chriſti, id eſt, Eccleſiam miſerè lacerent & diſſipent: iſti autem nec tunicam eius inconſutilem partiri voluerint. Denique Chriſtus præcipiens eos habendos eſſe *pro ethnicis & publicanis, qui Eccleſiam non audiunt*, & Apoſtoli docentes vnicam tantùm eſſe Eccleſiam ſponſam Chriſti, ſicut vnicus tantùm Deus eſt, & fides vnica: ſatis apertè conſtituunt ac decernunt Schiſmaticos, horumque fautores nunquam eſſe permittendos. *Lib.1. aduer. Parm.* *Li.1. de baptiſ. ca.26.* *Num.16.* *Ioan.19.* *Matth.18.* *Epheſ.4.*

Tertium eſt magicæ artis ſtudiũ, vſus, approbatio, vel cum his qui illud exercent commercium. Etenim huius ſceleris participes ſeuera morte plectendos eſſe diuina lege ac ſententia conſtitutum eſt. Quod & re ipſa exemplis præſtitum & confirmatũ legimus, cùm Pharao, Saul, Ochozias, & Manaſſes his peſtiferis artibus & hominibus addicti malè perierunt, regnorum ſimul & animorum iacturam facientes: ſicut poſtea quoque Neroni, Iuliano, Valentique contigiſſe relatum eſt in hiſtorijs Eccleſiaſticis. *Leuit.20.* *Deut.18.* *Iſaiæ 47.* *Ierem.27.*

Quartum, publicorum ac ſolemnium iuramentorum, per ſacrum nomen Dei, per diuinum altare, per SS. Euchariſtiam, per ſacratiſſima Euangelia Chriſti

con-

conceptorum ſacrilega præuaricatio; quæ communi nomine Periurium appellatur. Eſt enim hoc peccatum ideò grauiſſimum, quòd contra primum legis Diuinæ mandatum committatur: eodemque Deus contumelia afficiatur, tanquam eſſet mendax, fallax, traditor, & impoſtor: ac idcirco multis diuinarũ ſcripturarum teſtimonijs prohibitum atque damnatum. Enimuerò ſeptem filij Saulis, propterea quod pater eorum fidem à IoſueGabaonitis datam violaſſet, Deo iudicante & pronunciante, crucibus ad mortem ſunt confixi. Et Sedechias rex Iuda, propter violatum iuſiurandum, quo ſe Nabuchodonozori deuinxerat, captus, oculis priuatus, & in vinculis miſera morte conſumptus eſt: populus autem qui periurum Regem ſequutu: fuerat, ferro, flamma, fame, captiuitateq; perijt, etiam ipſis euerſis Ieroſolymis, in quibus periurium conceptum fuerat.

Exod. 20. Leuit. 5. Ierem. 7. Ezech. 17. Malach. 3. Pſalm. 14. & 37. 2. Reg. 21. 4. Reg. 25. 2. Paral. 36. Ierem. 42.

Quintum eſt Aſſaſſinatus, quo videlicet per ſicarios ac deſtinatos homicidas aliqui proditoriè necantur. Dauid enim duos aſſaſſinos Rechab & Baana, qui Isboſeth ſuper ſtratum ſuum dormientem occiderant, & caput ſibi attulerant, illicò de terra tolli præcepit. Idem rurſus in teſtamento ſuo iuſſit Salomoni filio & ſucceſſori, vt duos Ioabi aſſaſſinatus, quibus duos principes Abnerum & Amaſan imparatos proditoriè necauerat, nunquam ſineret inultos. Quod & ſtrenuè præſtitit, quando etiam in Tabernaculo Domini, aras amplexantem, eundem ipſum confodi præcepit. In hiſtorijs quoque relatum eſt, multos imperijs, regnis, ac dominijs ſuis abdicatos & exutos fuiſſe, propter illatas alijs tam nefarias mortes: videlicet, quando Ptolemæus Phyſcus rex Aegypti, Tarquinius Superbus Romanorum rex, Eduardus Secundus Anglorum rex, Ordonius Secundus Caſtiliæ rex, Nicolaus Danorum rex, alijque quamplurimi, propter aſſaſſinatus vel à ſe factos, vel procuratos, vel probatos, ſuis dignitatibus & regnis ſunt deiecti. Extat quoque aperta Eccleſiæ definitio, decretumque aduerſus aſſaſſinos factum ab Innocentio Quarto, in concilio Lugdunenſi, & relatum in ſexto libro decretalium, titulo

2. Reg. 4. 3. Reg. 2.

tulo 3.cap.1.cuius initium eſt, *Pro humani redemptione generis.* Illic enim ſanctè definitum eſt, Vt quicunque hominem Chriſtianum per aſſaſſinos occidi fecerit, aut eos receptauerit, defenderit, vel occultauerit, excommunicationis,& depoſitionis ab omni honore, & beneficio ſententiam ipſo facto ſic incurrit, tanquam religionis Chriſtianæ aduerſarius,& corporum animarumque quantum in ſe eſt, occiſor,&c.

Sextum eſt Simonia, quâ res ſacræ vel pro pecunia, vel pro mercede temporalis ſeruitij improbè conferuntur. Etenim Ieroboam idcirco & regnum temporale & ſempiternum perdidit, quod quiſquis ipſius vel officiariorum eius manum impleſſet, ſacerdos fiebat excelſorum. Similiter & Antiochus Syriæ rex, eò quod Iaſonem, Menelaum, & Lyſimachum pro numeratis pecunijs ſummo Iudæorum ſacerdotio præfecerit. Refert Nicephorus Beatũ Chryſoſtomum tredecim Epiſcopos dignitatibus ſuis mouiſſe, propterea quod per ſimoniam eas obtinuerant. Inſuper, Iuſtinum Imperatorem in phreneſin lapſum, quòd ſacerdotia pretio venderet. Nicephorum deniq; Conſtantinop. Imperatorem, omnium odio habitum,& à Bulgarorum rege acie victum, ac peremptum, eò quòd militaribus viris, pro mercede Epiſcopatus & Monaſteria contuliſſet. 3.Reg. 12 2.Mach.4

Septimum eſt Sacrilegium tum rerum, tum perſonarum Deo conſecratarum. Propter priorem ſacrilegij ſpeciem, Nabuchodonozor throno deiectus, cum beſtijs, mente captus, conuerſatus eſt: Balthaſar in conuiuio necatus, Heliodorus ab Angelis flagellatus, Antiochus incredibili mœrore & dolore percuſſus, Craſſus & Pompeius victi, eiecti de templo mercatores, Iudæorum pontifices omni ſacerdotio & libertate priuati,&c. Ob poſteriorem ſacrilegij ſpeciem, quæ in ſacrarum perſonarum conſtuprationе attenditur, olim viuentes in terram defoſſæ ſunt inter Romanos Veſtales, vt ex Liuio, Valerio, alijſque colligitur. Et inter Chriſtianos, Adolphus & Henricus Quartus Germani Imperatores, Andronicus Comnenus Græcorum Daniel.4 & 5. 2.Mach.

Impe-

Imperator,& Ludouicus Tertius Gallorum rex, ſuis imperijs ac regnis fuerunt deiecti.

Octauum eſt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium,qui nobis ordinem Apoſtolorum referunt in terris,violenta percuſſio. *Actor.12.* Herodes namq; Iudæorũ rex non multo poſt ab Angelo cæſus, & à vermibus conſumptus eſt,quã occidit Iacobum fratrẽ Ioannis gladio,& Pĕtrũ coniecit in carcerẽ. Henricus quoq; Anglorum rex,excommunicatus, & regno priuatus eſt, eo quod inter multa alia ſcelera, Epiſcopum Roffenſem,Cardinalem deſignatum,poſt longũ carceris tędium publico ſupplicio affeciſſet. Acceſſit deniq; Eccleſiæ grauiſſimũ de hac re decretum,in Sexto,capite *felicis recordationis*,quo HonoriusQuartus,deinde Pius Quintus in Bulla de hoc negotio ædita, decreuerunt; Omnes cuiuſcunq; gradus, honoris & poteſtatis eſſent,excõmunicationis, & priuationis omnium dignitatum atq; dominationũ ipſo facto ſententiæ ſubiacere,qui ſanctę Rom.Eccleſię Cardinalẽ violauerint.

Nonum eſt Fidei publicæ violatio Dicitur aũt hic publica fides,quę vel à Principe,qui eſt perſona communis,vel à republica alicui, vel aliquibus ſub iuramento promiſſa & data eſt. Exemplum deſumatur à *Exod. 12. 14.* Pharaone Aegyptiorum ręge,qui cùm fidẽ publicam datam Iſraelitis de libero è terris ſuis diſceſſu,infeſtis armis violaſſet,vnà cum toto exercitu in mari rubro *Gene.34.49.* vindice Deo,ſubmerſus eſt.Iacob etiã moriturus grauiſſimis maledictionibus execratus eſt Simeonem & *2.Reg.10.11.* Leui filios ſuos,eò quòd fidem publicè Sychimitis datam temerariè audacterque fregiſſent. Dauid Hanonem Ammonitarum regem publico bello adortus, & regno & vita ſpoliauit,quoniam legatos ad ſe conſolandi gratia miſſos,contra fidem publicam, iuſque gentium contumelijs affeciſſet. Quod ſi falſos mendaceſque teſtes Diuinæ literæ morte plectendos eſſe docent,quid de Principibus non modò falſum teſtimonium,ſed & publicam fidem,iuramẽtis firmatam frangentibus ac violantibus ſentiendum eſt? Siqui*Prouer. 17.*dem *vt non decent ſtultum verba compoſita, ſic nec Principem labium mentiens.*

Decl-

Decimum, publici æris, quod ex vectigalibus & tributis ad publicã regni neceſſitatẽ congregatur, diſſipatio atq; decoctio. Etenim cũ Reges ſint velut tutores populi, vt puſillorũ & orphanorũ, iuſtè quaſi prędones & latrones publici mulctandi ſunt, ſi bona illorum in aſſentatores, lenones, molles aulicos, ſimiliſq; furfuris nebulones diſſipauerint. Rex Achab ideo diuina ſententia, ipſo eidẽ pronunciante Elia, morti deſtinatus, & diademate priuatus eſt, quod Nabothi innocentis ciuis vel agricolę vineã agrumque fraude & violentia vſurpatum, in proprios vſus conuertiſſet. Nam bona ſubditorum non ſunt Principum, niſi vt eadem tueantur & defendant in bonæ fidei ſubiectorum poſſeſſione. 3.Reg.21.

Vndecimum, publica tyrannis, qua boni viri iniuſtè vexãtur, & reipublicę libertas, authoritas, iuraq; opprimuntur. Nam vt Rex legitimus & pius dicitur imago Dei propter ęquitatẽ, ſolicitudinẽ, amoremq; paternũ in ſubditos: ſic è contrario, tyrãnus diaboli refert imaginem, cùm ſua poteſtate per ſuperbiã, arrogantiam, malitiam, & crudelitatem abutens, eum imitatur. De huiuſmodi tyrannis dicitur à Domino: *Ipſi regnauerunt, ſed non ex me.* Oſeæ 8. Et per Iſaiam: *Principes tui infideles, ſocij furum, diligunt munera, pupillo & viduæ non iudicant, &c.* Iſaiæ 1. Item per Ezechielem: *Principes tui quaſi lupi rapientes prædam, prompti ad effundendum ſanguinem. Effudi ſuper eos indignationem meam, in igne iræ meæ conſumpſi eos, viam eorum in caput eorum reddidi, dicit Dominus.* Ezech.22. Huiuſcemodi autem tyrannos cenſuit diuinus Plato, veluti parricidas, de Republica eijciendos eſſe. Li.8.de rep. Et Tullius ſcripſit: Pulchrũ, beneficio dignũ, & fama glorioſum eſſe talem tyrannum occidere. Philip.2. Ariſtoteles quoque in Politicis, retulit, lege ſtatutum fuiſſe inter Græcos, vt occiſores tyrannorum præmio maximo donarentur. Lib.5.ca.10.

Duodecimũ ſcelus, propter quod ſua dignitate carere poſſint & debeant Principes huius ſæculi, eſt, cũ tyrannidem non tantùm fraudibus inuehere, ſed & armis publicis, & piorũ cædibus ſtatuere nituntur: ſimulq; verã, Apoſtolicã, & Catholicã doctrinã de Deo, de Sanctis, de Eccleſia, & de Sacramentis commutare

& labe-

& labefactare conantur. Tum enim quia armis & gladijs ſuis abutuntur contra Deum: ideo pro Dei zelo, cultu, atq; gloria ab his, ad quos ſpectare diximus, nō modò deturbari ſedibus, ſed & gladio coerci cædique merentur. Eſt enim decretum Dei viuentis, à quo nec impij Reges excipiuntur: *qui fuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis eius.* Et rurſum: *Qui gladio percuſſerit, gladio peribit.* Sic cum maxima æternaque laude Iudith circumuenit, peremitque Holofernem, & patriæ & religionis ſuæ hoſtem infeſtiſſimum. Dauid aperto cęrtamine Goliathem in Dei nomen, & ſeruos eius debacchantem proſtrauit & confecit. Aod pio dolo Eglonem regem Moabitarum diuini populi oppreſſorem, à ſe circumuentum gladio confodit. Pari propemodum arte, Iahel fortiſſima virago Siſaram, verę religionis inimicum, nutu Dei ſuſtulit de medio. Mathathias ſummus Iudæorum ſacerdos, ſceleſtum Ducem ab Antiocho rege Syriæ miſſum, vt Iudæos populares ſuos diuinam religionem eiurare, & idolis ſacrificare compelleret, ad aram trucidauit: & Antiocho grauiſſimum bellum propterea indixit: quod filij eius Machabæi fortiſſimè & ſtrenuiſſimè pro legibus patrijs defendendis, bellantes bella Domini aliquot annis confecerunt.

Geneſ 9.
Matt. 26.

Atque hæc de quæſtione propoſita, ſatis, ac forſan, pluſquam tyranni, ac tyrannidis fautores aulici, & multa togata mancipia expeterent, diſputata ſunto Nunc ſecundum hiſtoriæ noſtræ caput perſequamur.

LIBRI ESTHERIS CAPVT SECVNDVM.

1. His ita geſtis, poſtquam regis Aſſueri indignatio deferbuerat, recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet.

2. Dixeruntq́; pueri regis ac miniſtri eius: Quærantur regi puellæ virgines ac ſpecioſæ, & mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas & virgines:

3. Et adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant eas in domum fœminarum ſub manu Egei eunuchi, qui eſt præpoſitus & cuſtos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cætera ad vſus neceſſaria.

4. Et quæcunque inter omnes oculis regis placuerit, ipſa regnet pro Vaſthi. Placuit ſermo regi, & ita vt ſuggeſſerant, iuſſit fieri.

POST deſcriptum conuiuium Aſſueri, & Vaſthi repudium, ſubijcitur hoc capite quopacto in eius locum aſſumpta fuerit Eſther piiſſima puella, per quam Deus populum ſuum ab extremo periculo liberare diſpoſuerat. Sunt autem totius capitis quatuor præcipuæ partes. Prima continet ſuaſionem factam regi ab aulicis de noua vxore quærenda & deligenda, quæ prioris locum acciperet. Secunda, ipſam conquiſitionem multarum puellarũ, in quibus Eſther in aulam Perſicam adducta fuit. Tertia, admiſſam placuiſſe regi, ab ipſoque publicis nuptijs pro vxore ductam, & regio diademate ornatam. Quarta, complectitur hiſtoriam duorum eunuchorum conſpirantium aduerſus regem, quorum cùm proditionem manifeſtaſſet Mardochæus, magnam

ſibi gratiam & authoritatem conciliauit.

Principio autem refertur, quomodo Aſſuerus tranſacta ebrietate atque iracundia, recordatus fuerit Vaſthi, de eademq; ſermones fecerit inter miniſtros ſuos: videlicet, quàm pulcra, quàm ſuauis, quàm delicata, quamque non ita pridem chara ſibi fuiſſet. Deinde, quòd eius delictum, non adeò graue, excuſari facilè potuiſſet. Poſtremò, quod ſupplicio omnium inter mulieres grauiſſimo affecta fuiſſet. Atque ſic ſuperioris facti pœnitentia ductus, non diſſimulabat, ſe magno illius deſiderio & amore teneri. Iſtud his

Lib.11.antiq. cap.6. verbis confirmat Ioſephus: Aſſuerus amore coniugis detentus, grauiter eius diſiunctionem ferebat, & conciliari quidem propter legem non poterat: triſtis tamen in ſolitudinibus permanebat, &c. Ex quibus animaduertere licet hominis ſummam leuitatem & inconſtantiam. Parum enim antea incredibili gaudio & lętitia bacchabatur, mox ira atq; etiam aduerſus propriā coniugem furore inſanit: & qui paulo ſupra iubebat eam omni gradu cadere, excedere palatio, ſimulque regnandi & viuendi finem facere; nunc propter amorem eius tabeſcit, mœrore conficitur, factum infectum vellet. Tanta certè leuitas & ſi in quolibet turpis, in Rege ac magiſtratu profectò turpiſſima eſt.

In Scipione. Plutarchus ſcribit Scipionem Africanum non rarò dixiſſe: Turpe verbum eſt Imperatori, Non putaram. Et Auguſtus (Suetonio authore) ſubinde repetebat, Nihil minus in perfectum ducem conuenire, quàm feſtinationem ac temeritatem. Idem crebrò illud iactabat, σπεῦδε βραδέως, Feſtina lentè. Carpitur à Tullio aliquis, qui eundem & lędit & laudat. In ſacris etiam grauiter vituperantur, qui inſtar arundinum

Matth.11. Epheſ.4. Sap.4. Iacob.3. hinc inde flectuntur, & ad omnem ventum doctrinæ circunferuntur & fluctuant. Et Sapiens ſcribit: *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia.* Et Iacobus Apoſt. *Vbi zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum.*

Sed quæſo te, quænam tantorum tumultuum origo? Ebrietas, ſic omnibus affectibus habenas relaxās, vt nihil moderati eſſe poſſit. Rectè enim dictum eſt

ab an-

ab antiquis, Vinum & iram eſſe conſultores peſſimos.
Alexander ebrietate atque iracundia percitus Clytum *Quint. Curt.*
exercitus ſui ducem clariſſimum, & alios quoſdam *lib. 8. de ge-*
præcipuos amicos crudeliter occidit: qua de re tanta *ſtis Alex.*
pœnitentia ſobrius ductus eſt, vt fame & ſiti ſemetip-
ſum occidere tentauerit. Herodes contriſtatus eſt de *Marc. 6.*
ſtolida promiſſione facta ſaltatrici inter epulas, audi- *Matth. 14.*
to quòd caput Ioannis peteret. Ebrietate igitur multa
pœnitenda committuntur, vt etiam euincunt dome-
ſtica & quotidiana exempla: itaque coercenda & fugi-
enda eſt hæc bellua.

Temulentus coniugem abiecerat, ſobrius recogi-
tat ſe cauſam iſtam nimis acerbè & acriter egiſſe.
Pœna grauior delicto iam videtur. Leuiſſimum belli
domeſtici ſimulachrum fuiſſe cernit, quod placidius
compoſuiſſet. Iam diſcit verum eſſe quod ſcribit Co- *Terent. in*
micus: Amantium iræ amoris redintegratio eſt; Ira- *Andria.*
toſque coniuges, nullo etiã deprecatore ac ſequeſtro
interueniente, in gratiã denuò redire, præſertim ſi a-
more ſyncero à iuuentute coaluerint. Sed vt quã ma-
ximè velit ipſam ad ſe recipere, tamen decreta princi-
pum & comitiorum Perſidis id nunquam permittũt.
Memorabile certè, & iſtis gygantum fraterculis, qui
ſe omni lege ſolutos eſſe putant, frequenter inculcan-
dum exemplum. Regibus itaq; non licet omne quod
libet: ſed communium regni legum decretis oportet
eos ſtare, vt legum maieſtas maneat inuiolabilis. Rex
Achis bene voluiſſet Dauidẽ cuſtodẽ corporis ſui ſe- *1. Reg. 28.*
cum in bellũ Iſraëliticum ducere: ſed à ſatrapis cõpul
ſus eſt illũ remittere ad propria. Et Darius Danielẽ Pro *Daniel. 6.*
phetã à miniſtris accuſatũ omni ſtudio & opera illæ-
ſum ſeruare conatus eſt: verùm principes congregati
vim inferunt, propterea quòd lex Medorum & Per-
ſarum eſſet, *vt omne decretum quod conſtituiſſet Rex, nõ li-*
ceret immutari. Rectè Stagyrites ille ait: Qui legẽ impe- *Lib. 3. Polit.*
rare iubet, imperare iubet & Deũ & Legem: qui verò *cap. 12.*
homini ſine lege mandat imperiũ, admouet imperio
beſtiam. Nam cupiditas veluti quædã beſtia eſt, & ira
peruertit eos qui præſunt, etiã ſi optimi ſint viri. Lex
aũt mens eſt nullo perturbata affectu. Notius eſt enim

quàm dicere oporteat, quàm promptè & facilè regia poteſtas degeneret in crudeliſſimam tyrannidem, ni maturè ſeueris legibus cohibeatur. Atque idcirco fieri credo, vt nullus Rex, nullus Imperator ad principatum recipiatur, ſaltem inter Chriſtianos, qui nō prius fidem ſuam publico iuramento aſtrinxerit, ſe legitimè & accuratè iura regni ſeruaturum, & iuxta illius receptas leges ius ſuum vnicuique redditurum.

Vide etiam horum regiorū iudicum ſingularem ſuperbiam & contumaciā. Quantumuis oēs iuſtitiæ formas prætererint, tamen ne leuitatis crimen incurrāt, exiſtimationiſque ſuę aliquam iacturam faciant, ſententiam ſuam nec reuocare, nec quidem mitigare volunt. Sic mens hominum adeo ſuperba eſt, vt peccatum ſuum agnoſcere, aut confiteri eos pudeat pigeat-
Pſalm. 140. que. Quęrit potius excuſationes in peccatis, tergiuerſaturque impura ſoboles Adami cum parēte quęrens
Geneſ 3 *et* 4. latebras, dicitque, *Mulier decepit me.* Aut, ſerpens impoſuit mihi. Aut cum primo fratricida: *Nunquid cuſtos fratris mei ſum?* Sicque peccata ſua non imminuit, ſed adauget: nec veniam quęrit, ſed iram Dei ſibi theſaurizat. Non ſic Dauid, non ſic: ſed admiſſum ſcelus luce
2. Reg 12. ac palam confitetur dicens: *Peccaui Domino.* Et iterum:
Pſalm. 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino. Ini-*
Pſalm. 50. *quitatem meam ego cognoſco, &c.* Meminerat enim ab
Num. 5. ipſo Domino in lege præceptum fuiſſe: *Vir ſiue mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, confitebuntur peccatum ſuum.* Vox rurſus Spiritus
Prouerb. 28. ſancti eſt; *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.*
Eccli. 17. Iterumque: *Confiteberis viuens, & viuus, & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miſerationibus eius.*
Iacob. 5. Et per Iacobum Apoſtolum: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini.* Præclarè de
Auguſt in Pſalm 66. *& ſerm.* 30. *ad fratres in eremo.* his Auguſtinus: O homo, quid times confiteri? Illud quod per confeſſionem ſcio, minus ſcio quàm illud quod neſcio. Cur confiteri erubeſcis peccata tua? Peccator ſum, ſicut & tu: homo ſum, humani à me nihil alienum. Confitere homo homini, homo peccator homini peccatori. Elige quod vis: Si non confeſſus lates, in-

tes, in-

tes,inconfeſſus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confeſſionem, vt liberet hominem humilem:ad hoc damnat inconfitentem,vt puniat ſuperbiam. Et Ambroſius:Qui ſe accuſat,etſi peccator ſit,iuſtus eſſe incipit, quia nec ſibi parcit, & Dei iuſtitias confitetur. Ceſſat autem vindicta diuina, ſi confeſſio præcurrat humana,&c. *In Pſal.* 118.

In his quoque perpende mores ac ingenia iſtorum fereque omnium aulicorum. Omnes ad vnius hominis nutum attendunt,omnia tentant vt eius gratiam ineant,ſiue probus,ſiue improbus fuerit. Ait,aiunt; negat, negant. Accommodant ſe vnius libidini,eidemque, quantumlibet ſub æternæ perditionis comminatione prohibuerit Deus omnipotens,in rebus etiam nefarijs obſequuntur. Lenocinantur,produnt, blaſphemant, peierant,toxica miſcent,innocentibus mortem machinantur & inferunt, omnem religionem aſpernantur. Et quid non audaciſſimè & impudentiſſimè aggrediuntur? Quoniam ergo miniſtri huius Aſſueri eum mulieroſum eſſe nouerãt,eidem hac in re gratificari ſtudent. Nec vnam aliquam puellam rege dignam quærunt:ſed infinitas,vt libidine libidinem prouocante,nihil niſi muliebris fiat. Interim verò proſtituuntur ad Regis ſalacitatem optimorum ciuium filiæ, nimium ſeruiliter huic hirco ſubiectorum. Sic cùm Abraham & Sara Aegyptum appuliſſent,aulici verò Pharaonis mulieris formam admirarentur,eam continuò regi ſuo proponunt:quàm citò in gynæceum rapiunt: & niſi obſtitiſſet Deus, Rex coniugi Patriarchæ vim intuliſſet. In idem rurſum incidit periculum,quando in Palæſtinam redijt. Nec Sauli defuit Doeg,qui in ſacerdotes Domini irrueret: nec Pharaoni,qui paruulos Hebræorum ſubmergeret aquis:nec Apolonio Heliodorus,qui ſacrum Domini templum popularetur: nec Herodi, qui trucidaret Innocentes: denique nec principibus Iudæorum ſatellites ac miniſtri, qui æternum Dei Filium illuderent,conſpuerent,flagellarent,damnarent, crucifigerent. Quis huiuſmodi miniſtros,& adulatores toto pectore non abhorreret, ac tanquam auſpicia mala

Geneſ. 12. *Geneſ.* 20. 1. *Reg.* 22. *Exod.* 1. 2. *Mach.* 3. Matth 2. *Matt.* 26 27.

deteſtaretur? Præſtat itaque abiectum eſſe bubulcum, mulionem, aut agaſonem, modò pium, quàm iſtiuſmodi aularum miniſtrum aut ſeruum. Attamen multis hodiè nulla videtur amplior gloriatio, quàm de regum ſeruitute. Superbo ore & inflatis buccis concrepantes illos ſemper audias: Bonus regis ſeruus ſum: regi ſum à cubiculis, à ſecretis, à menſa, &cæt. de diuino autem obſequio, cultu, amore, aut parum, aut nihil, &c.

Nec mirum quòd aulicorum conſilium regi placuerit, quando eius cupiditatibus & impudicis deſiderijs tam bellè & accuratè inſeruierint. Ob hanc etenim cauſam primos in aula locos & fauores facilè obtinent huiuſmodi aſſentatores, quod ad palatum regum & principum loquantur, & illud Harpagi ſemper in ore habeant; Mihi placet quicquid rex facit: & Stratoclis decretum ſequuntur: Quicquid rex Demetrius iubet, id & erga Deos ſanctum, & erga homines iuſtum eſt.

Plutarch. in vita Demet.

Atque hæc quidem viris ethnicis ore excidiſſe minùs forſan mirum quis exiſtimabit: verùm hominem Chriſtianum, literatum, ſacerdotem, in publicis Comitijs, idque poſt execrabiles imprecationes & peierationes ſuper ſanctiſſimam Euchariſtiam factas, poſt crudeliſſimum aſſaſſinatum, in hæc verba prorupiſſe: OMNIA FACTA REGVM SVNT HONORANDA, quis patienti animo ferre poſſet? quis poſterorum credet? Imò verò, quis non toto pectore & animo deteſtabitur, vt (quemadmodum de blaſphemo Marcione ſcriptũ reliquit Irenæus Martyr) verè os diaboli exiſtens? Quid enim magis diabolicum Satan ipſe euomere potuiſſet? Ergo honoranda fuit tyrannis Nembrothi, honoranda crudelitas Pharaonis, honoranda Saulis perfidia, honoranda ſuperba verba Nabuchodonoſoris, honoranda prophanatio Balthaſaris, honoranda ſcortatio & proditio Dauidis, honoranda apoſtaſia Ieroboami, honoranda idololatria Achabi, honorandus Manaſſes proprium filium diabolo ſacrificans, honoranda infanticidia Herodis, honoranda barbaries

Lib. 1. ca. 29.

Anti-

Antiochi, & à quo etiam calamus abhorret, honorandæ huic homini Sodomiæ Neronis, Tiberij, Caligulæ, Heliogabali, Antonini, &c. Obſtruat Dominus meus IESVS CHRISTVS ſuo prompto aduentu ora loquentium tam iniqua.

Verùm, quis finis adulatorum? aut quis fructus adulationum? Adulatores tandem mendaciorum ſuorum meritas pœnas exoluunt cum Tymagora, Demagora, Euagora, quos ob adulationes Dario factas capitis damnauerunt Athenienſes: fuit ergo inter eos capitale crimen. Aſſentationibus porrò deliniti principes in grauiſſima pericula incidunt, ex quibus vix, ac ne vix quidem ſeipſos expedire poſſunt. Teſtes ſunt Pharao, Saul, Roboam, Achab, aliique plurimi. Et huic quidem Aſſuero aulici videntur bene conſulere, quando nouas delitias & voluptates ei procurant: ſed reipſa eum mille curis & anxietatibus inuoluunt & fatigant, cùm diuortium ſuadent, reconciliationem coniugum præpediunt, & innumeros ſumptus pro tot puellis perquirendis, adducendis, & ornandis facere compellunt.

5. *Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini.*

6. *Qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat.*

7. *Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther: & vtrumque parentem amiſerat: pulchra nimis & decora facie. Mortuiſque patre eius ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam.*

QVIA non conſueuit Scriptura mulierum genealogias contexere, quemadmodum obſeruant Sanctus Hieronymus & Lyranus, hîc veluti ex occaſione deſcribitur genus & conditio Mardochæi; deinde educatio beatæ Eſtheris, cuius *In cap. 1. Matth.*

 opera

opera Deus Eccleſiam ſuam liberam eſſe volebat. Primò autem Mardochæus dicitur fuiſſe *vir Iudæus*, non quòd ſimpliciter eſſet ex tribu Iuda: ſed latæ ſignificationis nomine, id eſt, Iſraelita. Deinde, quòd habitauerit in Suſan Perſarum regia atque metropoli ciuitate. Ioſephus adfirmat quidem euocatam fuiſſe Eſtherem ex Babylone: ſed qua fide, is viderit: Nam hîc non obſcurè docemur, quod erat in Suſis: Niſi fortaſſe dixeris eum maiori parte temporis Babylonem incoluiſſe, in qua & propriam familiam, & in ea Eſtherem educauerit: verùm propter vrgentia gentis ſuæ negotia tum Suſis in aula Perſica fuiſſe, cùm hoc de congregandis puellis decretum factum eſt. Tertiò, dicitur vterque fuiſſe de tribu Beniamin, ſtirpe verò Kis, quæ aliquando regia fuerat. Oportet ergo Mardochæum vel ab alio filio Kis quàm Saul deſcendiſſe, vel certè per Ionathan & Miphiboſet, traxiſſe originem, cùm tres alij filij Saulis ſine ſobole in bello Palæſtino cum patre ceciderint; Isboſeth à facinoroſis iugulatus ſit, & quinque alij à Gabaonitis ſuſpenſi legantur; ſicque Saulis progenies, dempta ſobole Ionathæ pij principis & Dauidis amiciſſimi. Conditio porrò atque ſors tam Mardochæi quàm Eſtheris ſatis calamitoſa tunc erat, veluti exulum, qui ſuperioribus Chaldæorum bellis contra Ieruſalem ſuſceptis, in captiuitatem fuerant abducti cum alijs plurimis: Eſtheris præſertim, quandoquidem vtrumque parentem amiſerat, pupilla, orphana, atque miſera remanſiſſet, niſi pietate ductus Mardochæus eam ſibi adoptaſſet, ac velut vnicam filiam dilexiſſet atque fouiſſet.

Li. 11. Antiq. cap. 6.

Ad hæc, non deſunt qui longos contentionum funes hîc contexant tum de cognatione Mardochæi ac Eſtheris, tum de eiuſdem Mardochæi ætate. Quantum ad primum ſpectat, Ioſephus apertè vocat Mardochæum Eſtheris auunculum. Huic conſentit Aben Ezra, exponens verba Hebræa MAHVLAH, diſertè pronuncians Mardochæum Eſtheris patruum fuiſſe. Hieronymus quoque exponens verſum primum capitis octaui: *Confeſſa eſt*, inquit, *ei Eſther, quod eſſet*

Li. 11. antiq. cap. 6.
R. Aben.

eſſet patruus ſuus. Subſcribit Lyranus his verbis: Venit Mardochæus in conſpectum Regis tanquam ei familiaris, tum quia vitam eius ſeruauerat, tum quia reginæ patruus erat. Contrà verò, apud Hebræos ex hoc loco ſatis patet eum patruelem, (Gall. *Couſin germain*) non patruum aut auunculum (Gallic. *Oncle paternel*) illius extitiſſe; quoniam illi conſtanter legunt, *Filiam patrui ſui*. In eadem ſententia ſunt Septuaginta, apud quos extat, θυγατὴρ ἀδελφοῦ πατρὸς αὐτοῦ, filia erat fratris patris ſui. Cum his facit Seuerus Sulpitius; Eſther (inquiens) vtroque parente orba, à Mardochæo patruele educata, cùm ad regales nuptias duceretur, &c. Verùm aut fuit olim in editione Latina; *Qui fuit nutritius filiæ fratris patris ſui*, & vox *patris*, librariorum negligentia excidit, quam Chaldæi, Hebræi & Græci codices ſeruauerunt: aut certè, *patruum* accepit pro *patruele*, ſicut fratris & ſororis nomina in ſacris frequenter capiuntur pro cognatis ſeu patruelibus.

Seuerus lib. 1. Hiſt. ſac.

Quantum verò ad ætatem illius attinet, Hebræi & Philo Annianus conſtanter adfirmant eum decem & octo annis ætatem Iſaac ſuperaſſe, ſicque vixiſſe annos centum nonaginta & octo. Accedit quod hic dicitur in captiuitatem abductus fuiſſe eo tempore, quo Iechonias Rex Iuda captiuus factus eſt à Nabuchodonoſore: ex quo conſtat eũ totis 70. annis Babylonicæ captiuitatis in Aſſyria ſeu Chaldæa manſiſſe, à cuius ſolutione prima, quæ contigit initio regni Cyri, vſq; ad tertium annum Darij Hyſtaſpis Aſſueri fluxerunt anni viginti & ſeptem, qui faciunt annos nonaginta & ſeptem. Quod ſi volueris natum eundem fuiſſe annos tredecim cùm captiuus fuit, comperies eum adhuc tantùm attigiſſe annum centeſimum tertium aut quartum, quando ad finem conuiuij Aſſueri Vaſthi repudiata fuit: Eſther verò neptis aut conſobrina eius in illius locum aſſumpta. Quapropter non fuit tanto ſenio confectus, vt ad res magnas gerendas eſſet tam ineptus, vt aliqui fingunt. Multis tamen videtur relatiuum qui, non Mardochæum referre: ſed Kis abauum eius. De his cum nemine peruicaci-

ter contenderim: quiſque (modò verbo Dei nihil detrahatur) abundet in ſuo ſenſu. Atque de his hactenus: quæ verò magis ædificant perſequamur.

Primò autem notandum ex eo, quod Mardochæus cum ſua Eſthere dicantur ex genere Kis deſ-
1.Reg.20. cendiſſe per Ionatham filium Saulis, qui inuito & frendente patre fœdus amicitiæ perpetuæ cum Dauide pepigerat, & à paterna in illum inuidia immanitateque ſemper abhorruerat, quàm vtile ac commodum ſit pijs atque Deo gratis & charis ortum eſſe parentibus: quando quingentis poſt Ionathæ obitum annis poſteri eius non ſolùm ſuperſunt, verùm etiam in regno Perſarum & Medorum glorioſiſſimè exaltantur & regnant. Ita enim Deus zelotes, qui
Exod.20. viſitat iniquitatem patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem, *facit miſericordiam in millia*, id eſt, vſque in milleſimam generationem, *his qui diligunt eum, & cuſtodiunt præcepta eius.* Sic promiſit
Geneſ.17. Abrahæ, quod non eius tantùm, ſed & feminis ſui
3.Reg.13. foret Deus, id eſt, ſaluator & conſeruator. Trecentis
& 15. & 4. plus minus annis à morte Dauidis, poſteris eius di-
Reg.19.20. cebat: *Protegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid.* Sic patris vita functi merita preceſque filijs etiam ingratis, erant ſolatio. Hinc Salomon precaba-
Pſalm 131. tur, *Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chri-*
Pſalm.36. *ſti tui.* Et in Pſalmis dicitur, *Semen impiorum peribit: iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam.* Hoc autem contigit, quando diutius in ea vitam viuunt felicem cum honore & benedictione. Et ibidem iterum: *Qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram.* Denique: *Sunt* (inquit) *reliquiæ*, id eſt, poſteri & facultates, *homini pacifico: iniuſti autem diſperibunt ſimul, reliquiæ impiorum interibunt.* Nullum ergo maiorem vel pretioſiorem theſaurum parentes liberis relinquere poſſunt, quàm pietatis erga DEVM,
Prouerb.14. & iuſtitiæ erga ſeruos eius. *Domus namque impiorum delebitur, tabernacula verò iuſtorum germinabunt.*

Sed mirum ac ſtupendum videtur, quod Mardo-

chæus

chæus tantæ virtutis ac religionis vir, vnà cum impio rege Iecónia, alijſque Diuinæ legis contemptoribus captiuus abductus fuerit in Babylonem, tanquam & ipſe diuinorum mandatorum fuiſſet aſpernator & cultor idolorum. Hoc idem queri etiam poſſet de Tobia, Daniele & ſocijs, Ezechiele, Eſdra, & alijs compluribus, qui tametſi iuſti & innocentes, cum gregibus impiorum Iſraelitarum in duriſſima barbarorum exilia quondam ſunt abacti. Hanc enim ob rem plurimi offenduntur, & animis deficiunt à Deo; vel eius prouidentiam negantes, vel blaſphemantes, quaſi aut nulla, aut iniuſta eſſet, eò quòd ſineret innocentes & pios ſeruos ſuos eiſdem cum impijs calamitatibus inuolui, ac ſi nullum eſſet inter eos diſcrimen. Vociferantur enim; *Quid nobis prodeſt, ſi orauerimus Deum?* Et rurſum, referente Malachia: *Vanus eſt omnis qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, ſi cuſtodimus præcepta eius?* Et iterum per Salomonem: *Omnia æqualiter veniunt iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & ſacrificia contemnenti, & cæt.* Pij autem hoc Diuinum iudicium attentius conſiderantes, etſi non blaſphement aut deficiant, grauiſſimis nihilominus tentationibus tanquam machinis concutiuntur, & præ anguſtijs gemunt, ſuſpirant, conqueruntur coram Deo, à quo videntur abiecti & neglecti. Iſtud ſatis indicant hæ lamentabiles & triſtes Dauidis querelæ: *Mei penè moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* &c. *Poſuerunt in cælum os ſuum; & lingua eorum tranſiuit in terra.* &c. *Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſeculo, obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis,* &c.

Iob. 21. *Malach. 3.* *Eccli. 9.* *Pſalm. 73.*

Ad hæc porrò triplex eſt reſponſio, quæ pijs omnibus conſolationis loco debet eſſe. Prima ſumitur ex eodem Pſal. nimirum, quòd intrandum eſt in ſanctuarium, id eſt diuinum ſecretumq; iudiciũ Dei, & conſi-

deranda nouiſſima hominum. Hęc autem ſunt mors, iudicium, gehenna, & gloria cæleſtis: ex quorum meditatione perſpicuum erit, ſanctos pro certo Deo curæ eſſe, vt hos ſaluet atque glorificet: improbos autem plectat & damnet. Piorum gemitus, anguſtias, calamitates, breues eſſe probationes & caſtigationes, quibus Deus paterno planè animo filios ſuos erudit & probat, vt in æternum coronet: impiorum autem proſperitates non ſemper duraturas, ſed breui commutandas in æterna lamenta. *Ducunt in bonis dies ſuos,* ait Iob, *& in puncto ad inferna deſcendunt. Tanquam fœnum velociter areſcent, &c.* *Cùm dixerint, pax & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, &c.* De ſecunda reſponſione ſeu conſolatione his verbis diſſerit martyr Cyprianus: Donec corruptiuum iſtud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, quæcunque ſunt carnis incommoda, ſunt nobis cum humano genere communia. Sic cùm fœtu ſterili terra ieiuna eſt, neminem fames ſeparat: ſic cùm irruptione hoſtili ciuitas aliqua poſſeſſa eſt, omnes ſimul captiuitas vaſtat, &c. Quinimmò ſi qua conditione crediderit Christianus noſcat, ſciet plus ſibi, quàm cæteris in ſæculo laborandum, cui magis ſit cum diaboli impugnatione luctandum, præmonente ſcriptura: *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. In igne probatur aurum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.* Sic Iob, poſt rerum damna, non victus, ſed probatus, dixit: *Dominus dedit, &c.* Et Tobias cæcitatem luminum paſſus, benedicens Deum, per ipſam corporis ſui cladem creuit ad laudem, &c. Hanc tolerantiam iuſti ſemper habuerunt, hanc Apoſtoli diſciplinam tenuerunt, &cæt. Sit licet rei familiaris amiſſio; ſit de morbis aſſidua membrorum vexatio; ſit de vxore, de liberis excedentibus triſtis auulſio: non ſint tibi ſcandala iſta, ſed prœlia: nec debilitent aut frangant Chriſtiani fidem, ſed potius oſtendãt in colluctatione virtutem, cùm contemnenda ſit omnis iniuria malorum præſentium, fiducia futurorum bonorum, &cæt. Hactenus ille, ex quibus

Iob 21. *Pſalm. 36.* *1. Theſſ. 5.* *Serm. de mortalitate.* *1. Cor. 15.* *Eccli. 2.* *Iob. 1.* *Tob. 2.*

bus patet bonos frequenter cum malis eiſdem ruinis inuolui, & in hoc ſeculo affligari vt probentur; diſcant quoque huius mundi miſeram vitam ſeriò deſpicere, & feliciorem ardentius anhelare, &cæt. Tertia reſponſio eſt Auguſtini inquientis: Manet diſſimilitudo paſſorum (veluti Chriſti & latronis in cruce) in ſimilitudine paſſionum; & licet ſub eodem tormento, non ſunt tamen idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub eodem igne aurum rutilat, palea fumat: & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo amurca cum oleo confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur. Ita vna eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vaſtat, exterminat. Mali deteſtantur & blaſphemant, boni precantur & laudant. Hæc ille. Itaque ſeruis Dei nunquam, vel etiam in ipſa morte deſperandum eſt, quaſi à Deo relicti eſſent; ſed multo magis de eius bonitate ac clementia confidendum: quoniam de ipſis tum maximè cura eſt Deo, cùm iuxta ſenſum carnis periclitari videntur. Ait enim: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, &c.*

Lib. 1. ciuit. ad cap 8.

Pſalm. 90.

Notandum præterea Mardochæi exemplo, quid propinqui & tutores debeant pupillis & orphanis proximorum ſuorum. Hic enim Eſtherem puellulam in captiuitate vtroque parente orbatam, de vita pudicitiaque inter barbaros periclitantem, domo ſua colligit, veſtit, fouet, docet, atque vt propriam filiam curat: quod eximiæ charitatis & pietatis opus fuit. Nouerat enim præceptum de dilectione proximi, omnium maximè pertinere ad curam habendam de propinquorum & conſanguineorum pupillis atque viduis: quoniam non ſolùm iure diuino, ſed etiam carnis ac naturæ legibus his opem ferre tenemur.

Exod 20.
Deut. 5.

DE TV-

DE TVTORIBVS, *ſeu curatoribus pupillorum.*

CONSTITVVNT leges humanæ eis tutores atque patronos; quorum officium primum eſt, illos veluti proprios liberos, ac ſibi à Deo commiſſos & datos amare, & ab omni defendere iniuria, educareque in diſciplina & timore Domini. Deinde, ſi facultates à parentibus relictas habeant, eas diligenter conſeruare, & potius augere, quam conſumere: ſin nullas, eos veluti pauperes, propinquos tamen, propter Deum omni beneuolentiæ genere proſequi, vt vellent ſuos liberos tractari ſi in parem calamitatem inciderent. Eſt enim Iureconſultis, Tutela ius ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit. Itaque appellantur Tutores; quaſi tuitores atque defenſores: ſicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur. Vt autem rebus pupillorum gerendis & curandis aptiores eſſent, voluerunt illos non eſſe præficiendos, niſi vigeſimum & quintum annum ſuperarent.

Inſtit. lib. 1. Tit. 15. & Digeſ. L. 26. — *Tit. 14.*

Quibus porrò patris teſtamento tutor datus non erat, his ex lege duodecim tabularum agnati erant tutores. Si cui verò nullus omninò tutor eſſet, ei dabatur in vrbe Romana à Prætore Vrbano, & maiore parte tribunorum plebis tutor ex lege Atilia: in prouincijs verò à præſidibus prouinciarum, ex lege Iulia & Titia. Ad illorum etiam officium ſpectat ex eiſdem legibus, pupillorũ conditionẽ pro viribus meliorem facere, nunquã deteriorem. Ideoq; non habent poteſtatem donandi aut alienandi res pupillorum, niſi ex cauſis à iure permiſſis. Bona etiam tutorum pro geſtis & non geſtis ſunt tacitè obligata pupillo. Non implentes conditionem vtilem pupillo, tenentur ad intereſſe: Si pupillos curæ ſuæ commiſſos à litibus eis motis non defenderint, vt ſuſpecti ſunt remouendi; & de proprio illorum damna pupillorum reſarcire debent. Si res pupillares, quas ſuo tempore in rem eorum venundare debent, ſeruauerint, & igne conſumptæ fuerint, vtpote fruges in horreo: tenentur de peri-

Tit. 15. Tit. 20. Tit. 26. Cod. li. 5. tit. 37. Pandect. li. 26. Tit. 10. lib. 3.

periculo propter ſegnitiem ſuam. Omnia pupillis *Pandect.lib.*
reddere tenentur, quæ lucrati ſunt ex horum tutela: *26.tit. 7. le-*
ſunt quippe ad augmentum dati, non ad detrimen- *ge 58.*
tum. Debent inſuper facere quod diligens paterfami- *Tit.7.lege*
lias facturus eſſet: quod cùm non præſtiterint, cuiuſ- *33.*
cunque conditionis exiſtant, accuſari poſſunt, etiam
à quolibet, de ſuſpecto. Si pupillis negauerint alimen- *Tit.10.li 1.*
ta indebite, remoueri debent, atque puniri. Denique, *Tit.10 lib.3.*
cùm non rebus duntaxat, ſed etiam moribus pupillo- *Tit.7.li.12.*
rum præponantur, præceptoribus eorum mercedes
pro facultate patrimonij, proque dignitate natalium
conſtituere tenentur. Atque hæc de tutorum inſtitutione atque munere ex legibus humanis.

Diuinæ etiam multa in fauorem & gratiam pupillorum & orphanorum decernunt; grauiſſima verò
minantur his, qui illos contempſerint & læſerint. *Vi-* *Exod.22.*
duæ & pupillo non nocebitis, ait Deus omnipotens: *ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam: percutiamque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.* Et alibi: *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater,* *Eccli.4.*
& pro viro matri eorum: & eris tu velut filius altiſsimi obediens, & miſerebitur tui magis quàm mater. Quid his promiſſis ſuauius & deſiderabilius? Iob inter virtutes &
beneſacta ſua numerat; *Auris audiens beatificabat me, eò* *Iob.29.*
quòd liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adiutor. Apoſtolus Iacobus adſirmat religio-
nem puram & immaculatam eſſe apud Deum, *viſita-* *Iacob.1.*
re pupillos & viduas in neceſsitatibus illorum. Denique ſatis oſtendit Deus quàm eos amet, charoſque habeat, quando patrem vindicemque illorum ſe toties appellat, Pſalm. nono, decimo, ſexageſimo ſeptimo, octua-
geſimo primo, 131. 145. &c. Iudæis autem grauiter ſuc- *Ezech.22.*
cenſet, eis exprobrans quod pupillos & viduas con- *Ierem.5. 7.*
triſtauerant, ideoque in duriſſimas calamitates & ſer- *Zach.7.*
uitutes abducti eſſent. *Malach. 3.*

Quantum verò Sanctis Apoſtolis fuerint curæ
ac ſolicitudini, manifeſtant hi à Diuo Clemente *Lib.4.Conſt.*
illorum diſcipulo excepti canones. Si quis Chri- *Apol. cap. 1.*
ſtianus orphanus fiat, ſiue puer, ſiue virgo, bene *& 2.*

erit ſi aliquis ex fratribus puerum ſuſcipiat,& filij loco habeat:hoc enim qui faciunt,opus magnum præſtant,orphanorum patres facti,& à Domino Deo conſequentur huius officij mercedem.Si quis deſpexerit, cùm ſit diues,orphano quidem prouidebit orphanorum pater,& viduarum iudex: illi verò occurret aliquis,qui ipſius parſimoniam deuorabit, fietque in illum quod dicitur;Quæ non comederunt ſancti, comederunt Aſſyrij. *Viduam veſtram coram vobis alieni deuorant.* Vos Epiſcopi,ſolliciti eſtote de eis alendis, in nullo deficientes,orphanis pręſtantes munera parentum,viduis virorum;adultis nuptias,artifici opus,infirmo miſericordiam, eſurienti cibum, ſitienti potum,nudis veſtitum, ægrotis medicinam, in carcere incluſis opem.Præterea, maiorem curam de orphanis ſuſcipite, ne quid illis deſit: virgini quo ad nubilem ætatem perueniat,& eam in matrimonio fratri detis: puero vt ſit ſubſidium quo artem diſcat,& alatur ex miniſterio, &c. Hactenus Clemens ex ſanctiſſ. Apoſtolorum ordinationibus pro pupillis & orphanis,&c. Hæc verò non minore ſacrilegio ac inhumanitate nunc paruipenduntur à multis, quàm damnabili ſimonia diabolicisq́ue artificijs opima ſacerdotia occupantur & cumulantur.

Iſaiæ 1.

Cæterùm,attenta huius loci ac hiſtoriæ conſideratio etiam morituris parentibus non paruum adferet ſolatium: quando ſibi tutò repromittere poterunt. Deum liberis ſuis pro certo adfuturum, ſi piè illos educauerint,& ex animo Diuinæ pietati & curæ commendauerint. Nam aliquem Mardochęum aut Nicolaum illis tandem ſuſcitabit,qui miſericordia motus, horum curam habebit. Moſi à parentibus in flumen eiecto, ſuſcitauit filiam Pharaonis, quæ vagientem paruulum excepit,fouit, adoptauit in filium.

Exod. 2.

Si vera referunt hiſtoriæ gentium, plurimi paruuli à parentibus crudeliter expoſiti; vel ab alijs humaniter collecti,vel(quod longè mirabilius)etiam à brutis animantibus lactati & nutriti fuerunt. Tradit enim Liuius Romulum & Remum infantes à Rhea Syluia Veſtali editos,& Amulij iuſſu in ripam Tiberis proiectos,

Lib. 1.

iectos, à lupa lactatos & ſeruatos. Iuſtinus ex Trogi hiſtoria ſcribit, Cyrum Perſarum regem potentiſſimum, ab Aſtyage auo, per Harpagum feris expoſitum in ſylua, à cane tandiu lactatum, & à feris defenſum, donec à paſtore inueniretur, & in tugurium abductus ab eodem nutriretur. Sabellicus etiam author eſt, Camillam Volſcorum reginam, infantem expoſitam armentali lacte fotam & educatam fuiſſe. Aelianus adfirmat Atalantam Iaſionis, vel (vt alij volunt) Iaſij, Argiuorum regis filiam à patre expoſitam, (non enim fœminis, ſed viris opus ſe habere dicebat) ab vrſa catulis per venatores ſpoliata, turgentibus præ lactis nimia copia vberibus lactatam, & à morte ſeruatam. Idem Pindarum, è patria domo eiectum vt periret, ab apibus mella ſua in os paruuli congerentibus aliquanto tempore altum teſtatur. Eadem prorſus de Hierone, poſtea Syracuſanorum rege, à patre quòd ex ancilla natus eſſet, expoſito, literis prodiderunt. Iuſtinus hiſtoricus & Alexander ab Alex. Diodorus quoque confirmat, Telephum Herculis filium ex Auge (ſiue Agaue) Arcadiæ regis filia ſuſceptum, auique iuſſu expoſitum, in ſyluis à cerua nutritum: ideoque Telephum appellatum. Ecquid incredibile, ſi Deus, cuius nutibus non ſolùm feræ, verùmetiam cuncta inanimata ſubſeruiũt, ad arguendam hominũ immanitatem & barbariem, & curam quam de paruulis habet maximam oſtentandam, iſthæc omnia altiſſimo prouidentiæ ſuæ conſilio procurauerit: qui coruos, vt Heliæ miniſtrarent; leones, vt Danielem ſeruarent; & immanem cetum, vt Ionam à ſe deglutitum triduo poſt euomeret in littus præparauit? Magna igitur fide omnem curam ſuam in Deum reponant parentes letho vicini, & curæ diuinæ paruulos ſuos committant, ſecuri quod eos multo magis commendatos ipſe habebit, qui & Angelis ſuis commendatos fecit, & cæleſtem hæreditatem repromiſit.

Lib. 1.
Lib. 1. cap. 2.
Lib. 13.
Lib. 12.
Lib. 23.
Lib. 2. ca. 31.
Lib. 4.
3. Reg. 17.
Dan. 6. et 14.
Iona 2. & 3.
Matth. 18.

8\. *Cumq́ percrebuiſſet Regis imperium, & iuxta mandatum illius multa pulchra virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur eunucho: Eſther quoque inter puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum.*

9\. *Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius. Et præcepit eunucho, vt acceleraret mundū muliebrem, & traderet ei partes ſuas, & ſeptem puellas ſpecioſiſſimas de domo regis, & tā ipſam quā pediſſequas eius ornaret atq; excoleret.*

QVoniam ſtatuerat Deus Eſtherem puellam, exulem, & orphanam in hoc mundoglorioſiſſimè exaltare, eiuſdemque operâ Eccleſiæ ſuæ pericoloſiſſimè laboranti ſuccurrere, iam hoc loco deſcribit Author quo pacto in aulam Imperatoris Perſarum euocata fuerit. Cùm enim ad ſuperius regis mandatum formoſiſſimæ puellæ vndique accerſerentur, perducerenturque in aulam Suſianam; hæc verò forma & pulchritudine maxima præſtaret, inter cæteras illuc eſt adducta, & ab eunucho, qui curam earum habebat, in gynæceum regium non ſolùm comiter & honeſtè recepta: verùmetiam præ alijs electa, adamata, & ſpecialibus prærogatiuis honorata. Nam & odores, & vnguenta, & veſtes, & armillas, & torques, & alia, quibus delectantur ſponſæ, ornamenta plurima ſuſcepit ab illo; demumque honeſtum ſeptem regiarum puellarum comitatum, ad decorem & omne obſequium.

1.Cor.1. Ex quibus colligitur, quàm verè ſanctéq; Paulus poſtea docuerit, Deum quę ſtulta ſunt mundi elegiſſe, vt confundat ſapientes: & infirma mundi, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quę non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in cōſpectu eius. Quid enim infirmius puellula? aut quid ignobilius contemptibiliusúe orphana, exule, nata populo cūctis alijs nationibus inuiſo ac odioſo? Quid verò econtrario, carnis & mundi huius æſtima-

æſtimatione, ſapientius, prudentius, glorioſius aut potĕrius Aſſuero, Vaſthi, Hamane, alijſq; Perſarũ, atq; Medorum Satrapis: Hi tamen vnius Eſtheris miniſterio confunduntur, ſuperantur, deijciuntur. Miniſterio dixi, ſed Dei ope, iudicum authoritate & prouidentia, cuius Eſther ſolummodò fuit organum, ne quid haberet caro, quo gloriaretur: ſed omnis laus ſeruatæ in regno Perſarum Eccleſiæ in Deum referretur. Potuiſſet vniuerſum hinc inde diſperſum populum ſuum ſub fortiſſimo aliquo Samſone aut Gedeone colligere, eundemq; armis & viribus communite, vt cunctos hoſtes ſuos ingenti commiſſo prælio internecione deleret. Verùm in his aliquid ſibi homines arrogaſſent, forteque dixiſſent: *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 32. Eſtheris ergo lacrymis, ieiunationibus, & orationibus hoc ipſum maluit perficere, vt toti mundo conſtaret opus duntaxat Dei eſſe, non hominis. Aegyptiorum infidelitatem & contumaciam caſtigaturus, & Iſraelem inde vindicaturus, Moſen exulem ſola paſtorali virga munitum ad tantum facinus deſignat: deinde tenebris, ranis, muſcis, locuſta, brucho, cynomyia, cyniphe, & alijs inſectis animalculis potentiſſimum imperium vaſtat, conterit, euertit: & populum ſuum gloria & opibus cumulatum potentiſſimè liberat. Exod. 3 4. 7. 8. 9. 10. & c. Pſal. 104. *Egò Dominus* (inquiebat) *qui educam vos de ergaſtulo Aegyptiorum, & eruam de ſeruitute, ac redimam in brachio excelſo, & iudicijs magnis.* Exod. 6. Pari modo eripuit eum ab Amalechitis, Exod. 17. non tam armis Ioſue totiuſque populi, quàm vnius Exod 23. Moſis precibus. Septem gentes fortiſſimas Chananæorum, emiſſis prius crabronibus in eaſũ fines Deut. 7. perterruit, fugauit, conſumpſit, quàm vel Ioſue, vel alius Ioſue 24. Iudicum Hebraicorum illis bellum inferret. Sic tandem à Neronis, Domitiani, Traiani &c. crudeliſſima carnificina & vaſtitate populum Chriſtianum, non arte aut vi humana, ſed ſingulari virtute ſua frequenter aſſeruit.

Animaduerte hîc rurſus, quã promptè ac expeditè miniſtri Aſſueri edicto regis ſui paruerint, tametſi nõ exiguam mali ſpeciẽ præ ſe ferret. Nã quid attinebat

Li.11. *Antiq. cap.* 6. quadringentas puellas (tot ſiquidem numerat Ioſephus) huic cani conſtuprandas offerre? Aut tributa ex laboribus ſanguineque vulgi collecta in earum ornamenta conſumere? Nullus tamen aduerſus tantam inſaniam obmurmurat, nullus refragatur, aut ſeſe opponit. Nemo virtuti contra flagitium, nemo caſtitati contra ſtuprum, nemo publicæ honeſtati contra manifeſtam turpitudinem patrocinatur: immò & parentes, ſeu potius parricidæ, quaſi filiarum atq; integritatis illarum proditores, iſto ſe inquinant ſcelere, vt ſuas quiſque certatim offerrent, in aulam perducerent, ſibique belli ac beati viderentur, ſi gratioſè tantùm admiſſę reciperentur. Eſt profectò Magiſtratui parendum non ſolùm propter iram illius declinandam, ſed & propter conſcientiam. Nec tantùm bonis ac modeſtis dominis ſeruiendum, ſed etiam diſcolis, quemadmodum docent Apoſtoli: cuius rei grauiſſima nobis exempla reliquerunt Ioſeph, Daniel, parentes Chriſti, ipſe denique Chriſtus, profanis Magiſtratibus in rebus politicis ac ciuilibus morem gerentes. Verùm, iſta obtemperatio cum ea ſemper exceptione intelligenda retinendaque eſt, ſi modò nihil præcipiunt Diuinis ac Eccleſiaſticis inſtitutis contrarium. Tunc enim (vt ait Auguſtinus) contemne poteſtatem, timendo poteſtatem: ſatiuſque eſt generoſos illos iuuenes Machabæos imitari: *Non obediemus* (dicebant) *præcepto Regis, ſed Legis*: & illud vſurpare Apoſtolorum: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

[Margin: *Rom.* 13. 1.*Petr.*2. *Gen.*41. 42. *Dan.*1.2.4. *Luc.* 2. *Matth.* 17. *Ser.* 6. *de verb. Domini.* 2.*Mach.* 7. *Actor.* 5.]

Deinde cùm Eſther in aulam admittitur & fouetur, docemur, verſari in aulis Principum, ibique miniſtrare, per ſe peccatum non eſſe, tametſi difficile atque periculoſum. Nam plurimi & ſanctiſſimi viri in illis vixerunt, ab hiſq; ſtipendia meruerunt & acceperunt, quos ſcriptura ob hanc rem non reprehendit. Ioſeph ſecundus à Pharaone declaratur; Moſes in aula Aegyptiaca nutritur, & in omni diſciplinarũ genere inſtituitur; Daniel & ſocij in Palatio Chaldæorũ Imperatoris tres annos fouentur, erudiuntur, deniq; cæteris Satrapis præficiuntur. Sub Euangelica lege habes pijſſimos Imperatorum Ethnicorũ officiarios Centurionem

[Margin: *Matth.* 8. *Ioan.*4.]

rionem, Regulum, Eunuchum Aethiopem, & Cor- *Act.8.&10.*
nelium. Paulus item ſalutans eos qui de Cæſaris do- *Philip.4.*
mo erant, ſatis indicat etiam Neronis aulam pijs & Chriſtianis hominibus non caruiſſe, &c. Sed longè alia nunc ſunt tempora, quando, iuxta Senecam, Fraus ſublimi regnat in aula: omniaque in aulis adeò ſunt corrupta & deprauata, vt videantur officinæ nequitiæ, atque diuerſoria flagitiorum omnium: ſic vt qui vniuerſa ſcelera vno nomine comprehendere, & in caput alicuius conflare conatus fuerit, id feciſſe videatur, ſi illum vocauerit *Aulicum egregium.* Inde prouerbium natum & vulgatum, *Exeat aula, Qui vult eſſe pius.* Illinc enim prodeunt Iannes & Mambres, Abſalones, Doëgni, Achitopheles, Nabuzardani, Malchi, Herodiades, & omnium impietatum turpitudinumque authores & miniſtri.

His adde, quod cùm Eſther inter cæteras puellas traditur eunucho, oſtenditur vxores ac pellices regias diſtricta eunuchorum cuſtodia in aula Perſarum ſeruatas, atque diſtinctis in palatio cellulis velut recluſas cuſtoditas fuiſſe, quæ Græco nomine Gynæcea, id eſt, mulierum domus appellantur. Nam cùm delicatiſſimè nutrirentur, ocioſiſſimè viuerent, & Rex ad eas propter multitudinem rarò conueniret, magna difficultate caſtitatem coniugalem ſeruaſſent, ſi licuiſſet vel eas ad viros, vel viros ad eas liberum habere acceſſum & commercium. Notæ ſunt in hiſtorijs tam ſacris quàm prophanis aulicarum mulierum impudicitiæ. Vxoris Phutipharis, Dalilæ, Bethſabeæ, Ieſabelis, Herodiadis exempla cuiuis in promptu obuia ſunt in ſacris Biblijs: in gentilium verò ſcriptis Semiramidis, Clytemneſtræ, Deianiræ, Semproniæ, Fauſtinæ, Meſſalinæ, & aliarum abſque numero.

Intemperantiſſimæ porrò huius Aſſueri luxuriæ & libidinis argumentum eſt, quòd tot ſibi coäceruauerit vxores pro vna Vaſthi, quam repudiauerat. Nam qui vnica vxore legitima non eſt contentus, vix ac ne vix quidem duabus, tribus, decem, centum, contentus erit; quandoquidem laſſari, nun-

quam ſatiari poteſt huiuſmodi hircorum petulca libido. Salomon dicitur habuiſſe trecentas concubinas, & ſeptingentas reginas. Sed quid de tam portentoſo numero conſecutus eſt? Nimirum auerterūt cor eius, *cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres vt ſequeretur Deos alienos, &c.* Ab his itaque malè affectus, pœnitentiaque ductus, conqueritur, quod nullam earum reperit, quæ bonæ & perfectæ matronæ officio reſponderet, dicens: *Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.* Curtius refert Darium Perſarum regem vltimum in bello aduerſus Alexandrum ſecum in exercitu trecentas pellices regias in varijs rhedis traxiſſe, quæ omnes in poteſtatem victoris venerunt. Ipſum quoque Alexandrum orbis domitorem hunc luxum Perſicum adhuc ſuperaſſe, cùm præter Roxanem, trecentas & ſexaginta concubinas ſibi aſciuerit. Sed quid ex tam belluina libidine retulerunt, præter corporis & animi perniciem?

3. Reg. 11. *Eccleſ. 7.* *Li. 3. de geſt. Alex.* *Lib. 6.*

Hæc porrò vxorum, concubinarum, aut pellicum pluralitas planè contraria eſt primæ matrimonij inſtitutioni, qua Deus vnam tantùm Euam creauit, Adamoque dedit vxorem, dicens; *Erunt duo in carne vna*: quod & in Euangelica lege Chriſtus repetiuit atque confirmauit. Romanæ quoque leges ab huiuſmodi polygamia abhorruerunt; Nam in Codice, de inceſtis & inutilibus nuptijs, Diocletianus & Maximianus decernunt, ne quis habeat plures vxores: & ſi quis contra faciat, vt puniatur: adduntque id receptum fuiſſe antea in edictis Prætorijs. Alibi etiam infamia notatur, qui bina ſponſalia, binaſve nuptias in eodem tempore conſtitutas habuerit. Idem quoque habetur in C. ad legem Iuliam, de adult. Quinetiam Theodoſius, Arcadius & Honorius, quamuis multa Iudæis permiſerint, polygamiam tamen in eis ferre nunquam voluerunt, ſed hac lege diſtrictè prohibuerunt. Nemo Iudæorum morem ſuum in coniunctionibus retineat, nec iuxta legem ſuam nuptias ſortiatur, nec diuerſa ſub vno tempore coniugia conueniat. Concubinatum etiam

Gene. 2. *Matth. 19.* *Mar. 10.* *Codicis li. 5. Tit. 5. qui eſt de inceſt.* *Digeſtorum lib. 3. Tit. 2. De his qui notantur infamia.* *Codicis li. 1. Tit. 9 qui eſt de Iudæis et cælicolis.*

etiã taxant leges iſtæ, quando non patiuntur filios ex cõcubinis ſuſceptos hæredes eſſe iuſtos ac legitimos, niſi ex cõcubina fiat vxor, aut principis interponatur authoritas. Quin & ipſa Comœdia ſatis docet polygamiam ingentem eſſe corruptelam matrimonij. In Phormione ſiquidem ſenex Chremes, cùm vxorem haberet Athenis diuitem, & aliam ducere vellet in Lemno, cogebatur mutare nomen, & ſe Stilphonem appellare, aliàs Lemnienſi non nupſiſſet. Imò Chremes à paraſito Phormione de polygamia notatur, tanquam de graui ſcelere. Decreta quoque Eccleſiæ prohibent Clericis, ne huiuſmodi nuptijs benedicãt, ſed potius cõtrahere volentibus pœnitentiã ſuadeãt. *31. q. 1. c. de his qui frequenter.*

Sed obijcitur, veteres Patriarchas, viros ſanctiſſimos & Deo viuenti chariſſimos, Abraham, Iacob, Elcanam, Dauidemque multas ſimul vxores legitimas domi habuiſſe. Reſpondent Hebræi diuina indulgentia id eis conceſſum, modò ſeptimam non excederent. Clemens Alex. ait, Deum primis illis temporibus ab eis polygamiam exegiſſe. Chryſoſtomus, Deũ illis conceſſiſſe, Hieronymus, id factum fuiſſe pro varietate temporum, & ad myſteria Synagogæ & Eccleſiæ deſignanda. Ambroſius, nulla adhuc latá lege prohibitam eis fuiſſe vxorum pluralitatem: quodq; non ardore libidinis, ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ religioſæ ſobolis, id fecerint. Auguſtinus, patres pro temporum ſuorum conditione, temperanter, licitè, & inculpabili conſuetudine pluribus vxoribus ad ſanctam prolem educendam vſos adfirmat. Eucherius autẽ ſcribit: Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen eſt, quia mos non eſt. Innocentius tertius nihil dubitat eis diuina reuelatione conceſſam fuiſſe polygamiam; idipſumq; inter Eccleſiæ decreta ſua refert authoritate. Et de his hactenus: Ad Eſtherem in aula conſiſtentem redeo. *Lib. 4 ſtrom. Epiſt. ad Geruntiam. Lib. de Abraham. cap. 4. Lib. de doct. Chriſt. ca. 18. 19 20. 21. Lib. 3. in Ge. cap. 30. Lib. 4. decretal tit. 19. de Diuortijs, cap. 8.*

Cùm dicitur placuiſſe eunucho curatori regiarum puellarum, gratiamque ſingularem apud eundem inueniſſe, adeò vt propenſiore animo daret illi quanta vellet ornamenta, honeſtiſſimum pediſſequarum comitatum, & commodiſſimam Palatij partem

ad habitandum, obſeruandum eſt hunc fauorem non illi contigiſſe ex genere, ex conditione, ex opibus, ex adulatione, aut alia quadam externa cōmendatione: ſed ſolummodò quia Deum omnipotentem haberet ſibi fauentem & propitium. Ille namque poteſt animos & corda hominum, quantumuis infidelium & barbarorum flectere quocunque voluerit, ac proinde conuertere in amorem & fauorem piorum ſeruorum ſuorum; idque vt plurimum præſtat quando innocentia, humilitate, charitate, & alijs pijs moribus illi ſoli (vt Eſther fecit) placere ſtudent. Sic olim conuertit

Geneſ.31. & 32. ferocia corda Laban & militum eius in gratiam Iacob, & impediuit, ne quid hoſtile in illum admitterent, vt antea animis deſignauerant. Inſuper corda

Geneſ.39.40 & 41. infidelium hominum Phutipharis & Pharaonis ita conuertit in amorem Ioſephi exulis & ſerui, vt ille toti domui ſuæ; iſte vniuerſo imperio ſuo eundem prę-

1.Reg. 17. 18. & 19. ficeret. Pari modo animum Principis Ionathæ flexit in obſeruationem Dauidis, quem pater infeſtis armis vbique perſequebatur. Et de captiuis Hebræis dicitur,

Pſal. & 105. *Dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos*: quod Tobiæ, Eſdræ, Danielis, Zorobabelis, & multorum aliorum exemplis confirmatum eſt. Salomon

Prouerb. 16. quoque ait: *Cùm placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem*. Nihil eſt ergo quod odia improborum aut totius huius mundi timeamus, modò Deum habuerimus propitium. ſtudeamus itaque pietate & iuſtitia bonam eius gratiam inire, eidemque ante omnia placere; ille quantum ſaluti noſtræ & gloriæ ſuæ expediens fuerit, bonis nos reddet gratioſos & charos. Ter quaterque miſeri ſunt ac infelices, qui malis probari volunt. Deo placere vera & vnica felicitas.

DIGRES-

DIGRESSIO de Eunuchorum nomine, origine, varia ſpecie, affectu, prohibitione vel approbatione, varijsq; miniſterijs.

QVoniam verò tam frequens in hoc libro, & a- 1.
libi paſſim occurrit Eunuchorum commemo-
ratio, de his libet aliquanto fuſius nunc diſſere-
re. Supra enim ſeptem ſuis nominibus appellantur,
qui Regi Aſſuero miniſtrabant: Hîc Egeus eunu-
chus dicitur præfuiſſe puellis regijs, inſuper & alium
anonymum habuiſſe ſpadonem, qui ei ſubſeruiret:
& paulo poſt Suſagazus eunuchus nominatur pel-
licum atque concubinarum regiarum præfectus. Præ-
terea Bagathan & Thares eunuchi regiæ aulæ iani-
tores dicuntur. Denique refertur Athac eunuchus *Eſther.4.*
datus Eſtheri in obſequium & ſeruitium. Comme- *Geneſ.37.39.*
morantur & in Geneſi eunuchi Pharaonis, & in Da- 40.
niele Nabuchodonoſoris; in libris quoque regno- *Dan.1.*
rum tam Iudæ quàm Iſraelis legimus reges ſuos ha- *1.Reg.8.*
buiſſe eunuchos. Quinetiam Græcorum Romano- *3.Reg.22.*
rumque hiſtoriæ de his non raró tractantes, ſatis in- *4 Reg.8.9.*
dicant nullam propemodum gentem eunuchis ſuis *20.23.24.25.*
caruiſſe: ideoque diligenti ac curioſo lectori non in-
iucunda erit hæc digreſſio.

Hos itaque Hebræi vocant SARISSIM, id eſt, 2.
ſpadones, qui virilibus careant. Chaldæi RABRE-
BANIM, id eſt, magnates, laxiore forſan vocabu-
lo, quod etiam alijs ab exſectis conueniret. Græcis
εὐνοῦχος dicitur ab εὐνὴ, quod eſt cubile, & ἔχω, cuſto-
dio, quòd hi plurimum adhiberentur principum ſer-
uandis cubilibus. Stephanus lib. de vrbibus putat ip-
ſam Spadonum appellationem à Perſis ortam eſſe.
Sed viderit ille, an vox Græca Σπάδων, deriuata à ver-
bo Σπάω, quod eſt euello, potuerit fieri Perſica. Scri- *Digeſtorum*
bit autem Vlpianus Spadonum generalem appella- *lib.50. Tit.*
tionem eſſe, quo nomine tam hi qui natura ſpado- *16. L.128.*
nes ſunt, quàm Thlibiæ, Thlaſiæ, ſed & (ſi quod a-
liud genus ſpadonum eſt) continentur: quod in
Pandectis refertur. Sunt autem Thlibiæ, vt hoc obi-

 ter di-

ter dicam,qui ob meatum genitalem diſtortum gene-
rare non poſſunt. Thlaſiæ verò,quibus attriti fuerunt
Li. 3. Strom. teſtes . Veteres quoque Theologi , Clemens Alex.
Li. de virgin Baſilius, Hieronymus, & alij,ex Chriſti Domini no-
Lib. 1. adu. ſtri ſententia Euangelica,ſatis apertè colligunt, Spa-
Ioui. donum ac eunuchorum tres eſſe ſpecies. *Sunt enim qui*
de matris vtero ſic nati ſunt, & ſunt eunuchi facti ab homini-
Matth.19. *bus, & ſunt qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum.* De
hac poſtrema eunuchorum ſpecie ſcribit Epipha-
Quæſt. in ſcri nius, & recitat ab illo Anaſtaſius Nicenus: Hi ſunt
pturam, q. præclari Apoſtoli, & qui deinceps fuerunt virgines
79. & monachi: Ioannes quidem & Iacobus filij Zebe-
dæi,qui manſerunt in virginitate, & neque ab homi-
nibus ſunt caſtrati, neq; coniuncti matrimonio; ſed
aduerſus carnem mirabili peracto certamine, huius
caſtrationis gloriam & coronam retulerunt. Atque
Li. 3 pædag. hos ſolùm veros eunuchos eſſe iudicat Clemens A-
cap. 4. lex. quippe qui cùm poſſint, nolint tamen operam
dare voluptati. Verùm cùm de ſecunda eunuchorum
ſpecie hoc loco præſertim inquiramus, iſtis omiſſis,
de illorum principio dicamus.

3. Ammianus Marcellinus putauit Semiramidem
Lib.14. Aſſyriorum quondam fortiſſimam imperatricem,
primam omniū teneros mares caſtraſſe,velut vim,in-
uidia ſexus,iniectans naturæ. Alij cenſent iſtam pue-
rorum violentam caſtrationem, adeoque Spadonum
appellationem ortam eſſe à Perſis: alij à Medis: alij à
Nabuchodonoſore, quem aliquos ex Iudaica iuuen-
4. Reg. 30. tute bello captos, in ipſo ætatis flore caſtrari curaſſe,
Iſa. 39. iuxta quod à diuinis Prophetis vaticinatum fuerat,
certiſſimum eſt. Verùm, horum prima mentiò in ſa-
cris literis habetur ſub eo Pharaone Aegyptiorum re-
ge,cui Ioſeph ſeruiuit quando Phutiphar ſemel & ite-
rum appellatur eunuchus Pharaonis: inſuper & duo
Gen. 37. 39. miniſtri eiuſdem eunuchi vocantur. Sed parum re-
& 40. fert quis hominum aut fœminarum hanc naturæ hu
manæ iniuriam primùm intulerit, quando pro certo
conſtat, non niſi à diabolo, & malo fine inductam
fuiſſe.

4. Scribit enim Baſilius omnibus modis magnus:

Conſtat profectò dæmonis artem & inuentionem id opus eſſe. Nam quos prior ætas apud gentiles prodidit, eos modò apud nos quoque prodiiſſe monſtratum eſt, caſtitatiſq; nomen & tunc apud illos, & modò apud nos huiuſmodi abſciſione contra naturæ iura inueniſſe, &c Et Chryſoſtomus: Membrorum inciſio diabolicæ fraudis ac inuentionis opus à principio fuit, vt operi diuino detraheretur, vt rationale animal læderetur, vt non voluntati, ſed membrorum naturæ vniuerſa re attributa, largas ſibi ad peccandum homines portas reſerarent, tanquam rationem non eſſent reddituri. Quæ omnia diabolica ſunt, &c. Contendunt etiam Theologi, per hanc membrorum abſciſionem, præſertim ſi iam adultis inferatur, nec cupiditatis incendia mitigari; ſed potius grauiora inflammatioraque reddi, cùm alii ſint fontes humani ſpermatis, nimirum aut cerebrum, aut lumbi, aut mens laſciua, ex quibus illud inquietiſſimum œſtrum proficiſcitur. Subſcribit etiam Baſilius his verbis: Qui ad virilitatis annos cùm genitalibus iam per ætatem ad coitum idoneis peruecti, ſolos poſtea teſtes abſcindunt, eos aiunt acrius atque ardentius inflammari libidine, & ad concubitum impatientiſſimè ferri. Neque id ſolùm, verùm tutò iam, vt ſibi videtur, violare quaſcunque potuerint, &c. Auguſtinus quoque recitat ex Terentii Eunucho, Chæream flagitioſum adoleſcentem, ſpectata tabula, vbi depicta erat ſcortatio Iouis cum Danaë, ſtuprum cuidam virgini obtuliſſe. Idemque rurſum probat & ipſos ſpadones moueri concupiſcentiæ carnalis affectibus, licet deſtituantur carnis effectibus, tam exemplo cuiuſdam Calligoni eunuchi Valentiniani iunioris gladio vltore puniti, ob vim meretrici illatam; quàm ex eo quod ſcribitur in Eccleſiaſtico, *Videns oculis & ingemiſcens, quaſi ſpado complectens virginem & ſuſpirans*. Accedit & hoc Arnobii teſtimonium; Affecti corporalibus his damnis, non fiunt languidioris audaciæ. Quotidie videmus eos, qui ſibi demeſſuerunt has partes, maioris petulantiæ fieri, atque omnibus poſtpoſitis

Lib. de vera virginitate.

Hom. 64. in Matth.

Chryſoſt. ibidem.

Lib. de vera virgin.

Lib. 2. de ciuit. cap 7.

Lib. 6 contra Iulian. Pet.

Eccli. 30.

Lib. 5. adu. gentes.

poſitis pudoris ac verecundiæ frenis, in obſcœnam prorumpere vilitatem confeſſione vulgata. Non in-
In Eunucho. credibile ergo quod Lucianus ſcribit, adulterij poſtulatum quendam, qui ſe pro eunucho gerebat; aut
Lib 1. de vitis ſophiſtarum. eiuſdem criminis inſimulatum Phauorinum, pro hermaphrodito quondam habitum, vt eſt apud Philoſtratum.

5. Certum eſt autem ob has & alias rationes Decretis ſanctiſq; legibus tam Imperatorum quàm ſacrorum Conciliorum diſtrictè prohibitum fuiſſe, ne quis ſibi hanc mutilationem adferret; inſuper & ſupplicia de-
Lib. 48. digeſtorum, tit. 8. lege 4. creta ijs, qui aut vi, aut ſponte aliis inferrent. Eſt enim hæc inter leges Hadriani expreſſa grauiſque conſignata: Conſtitutum eſt ne ſpadones fierent, eos autem qui hoc crimine arguerentur, Corneliæ legis pœna teneri, eorumque bona meritò fiſco meo vindicari debere. Sed & in ſeruos, qui ſpadones fecerint, vltimo ſupplicio animaduertendum eſſe: & qui hoc crimine tenentur, ſi non adfuerint, de abſentibus quoque tanquam lege Cornelia teneantur, pronunciandum eſſe. Planè ſi ipſi, qui hanc iniuriā paſſi ſunt, proclamauerint, audire eos Præſes prouinciæ debet qui virilitatem amiſerunt. Nemo enim liberum ſeruumve inuitum, ſinentemve caſtrare debet: nec quis ſe ſponte caſtrandum præbere debet. At ſi quis aduerſus edictum fecerit, medico quidem qui exciderit, capitale erit: i-
Codic. lib. 4. tit. 42. tem ipſi, qui ſe ſponte excidendum præbuit. Et Conſtantinus apud Iuſtinianum: Si quis poſt hanc ſanctionem (inquit) in orbe Romano eunuchos fecerit, capite puniatur: mancipio tali, necnon etiam loco, vbi hoc commiſſum fuerit, domino ſciente & diſſimulante confiſcando. Hæc rurſum confirmantur in Authenticis, Collatione nona, Titulo 24. Nouella
Diſt. 55. can. Si quis: can. Hi qui ſe: & can. Si quis à medicis. conſtit. 42. His iuris Romani decretis ſubiungo Canonem ſanctorum Apoſtolorum: Si quis abſciderit ſemetipſum, id eſt, ſi quis amputauerit ſibi virilia, non fiat clericus, quia ſui eſt homicida, & Dei conditioni inimicus. Si quis cùm clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omnino damnetur; quia ſui homicida eſt. Accedit & hoc concilij Arelatenſis decretum: Hi qui

ſe car-

ſe carnali vitio repugnare neſcientes abſcindunt, ad clerum peruenire non poſſunt. Reliquis canonibus citandis ſuperſedeo: vt de vario eunuchorum vſu ac miniſterio apud veteres aliquid etiam dicam.

Non vno tamen fine leguntur facti fuiſſe ſpadones ab antiquis, præſertim barbaris atque infidelibus tyrannis. Primùm enim aliqui conati ſunt hoc maleficio pueris illato, eorum formam leuitatemque vultus in longius tempus ſeruare, vt horum corporibus diutius in fœdam belluinamque libidinem abuterentur. Hinc Petronius Arbiter: *Exſectaque viſcera ferro, In venerem fregêre: atque vt fuga mobilis æui Circunſcripta mora, properantes differat annos.* Et S. Hieronymus: In longam ſecuramque libidinem exſectus ſpado. Plus ſatis notę ſunt Neronis, Tyberij, Antonini, Heliogabali, & plurium aliorum cum exoletis, cinædis, & catamitis flagitioſæ conſuetudines ac libidines. 6. *In Satyrico.* *L.1.adu.Iou.* *Sueton.* *Dion ora.21.* *Xiphilinus.* *Cuſpinian.*

Fuerunt etiã qui vltionis gratia vel captis hoſtibus, vel horum liberis virilia abſcinderent, veluti Perſæ cunctis ferè Ionibus ſub Dario rege, authore Herodoto. Phocæ Imperatori victo captoque amputata fuiſſe virilia referunt Paulus Diaconus, Nicephorus, & Zonaras. Cæſo Leone V. Imperatore, quatuor eius filij à Michaele Traulo, qui imperium Conſtantinop. occupauit, exectis prius virilibus, in exilium ſunt relegati. Theobaldus Camerinorum princeps, Græcorum fugato exercitu, qui Beneuentanos obſederat, quotquot ex illis cepit, euiratos remiſit, addens ignominiæ riſum: Quandoquidẽ Imperator veſter Cõſtantinus eunuchis gaudet, quotquot emiſerit gallos, capos remittam, &c. *Lib.6.* *Zonaras.* *Cuſpinian.* *Crantzius.*

Præterea & mercatores aliquando ſunt inuenti, qui caſtrandis adoleſcentibus, iiſque vendẽdis magnum, ſed execrandum quæſtum facerent, quemadmodum apud Herodotum exemplum eſt memoratu digniſſimum de Hermotimo Sardenſi mercatore, & Panionio Chio, Xerxis eunucho. Aliud quoque exemplum caſtrati adoleſcentis formoſi à rege Aſſyrio, eſt apud Xenophontem. Sed & Zonaras ſcribit Amaſgorum & Alanorum principum auaritiam eò creuiſſe, vt parenti- *Lib.8.* *Lib. 5. de inſtit. Cyri.*

rentibus forma præſtantes pueros vi raperent,& teſtibus exectis, magno precio Romanis eunuchorum ſtudioſis venundarent.

Inſuper, ſpadonibus, vti fidiſſimis hominibus, data eſt cuſtodia mulierum regiarum, adeoque etiam ipſorum regum cubiculorum, qua de re Egeus & Suſagazus in hoc Eſtheris libri capite ſecundo commemorantur: deinde Athach & Harbona. Euſtathius in 3. Odiſſææ meminit Demodoci & Phemij eunuchorum fratrum, quorum ille Clytemneſtræ, hic verò Penelopes cuſtos relictus fuerat. Iuſtinus imperator Narſen, Eutropium Arcadius, Ptolemæus Ariſtonicum, Holo fernes Bagoam, ſpadones cubicularios habuerunt. Scribit quoque Xenophon Cyrum potentiſſimum imperatorem in tanto precio eunuchos habuiſſe, vt his velut omnium ſubditorum ſuorum fidiſſimis corporis ac vitæ ſuæ cuſtodiam commiſerit. Et Herodotus, illos dicit precioſiores fuiſſe apud barbaros, his qui non erant caſtrati, in omni genere fidei gratia. Ad finem quoque huius capitis Bagathan & Thares eunuchi appellantur ianitores regij, & palatij cuſtodes. Duorum ſpadonum alter à poculis, alter à panibus fuit regi Aegyptiorum Pharaoni.

Eſther.2. *Eſther.3.* *Eſther.7.* *Li.7 de inſti.Cyri.* *Lib.8.* *Geneſ.40.*

His quoq; alicubi mandata eſt cura theſaurorum, & regię ſupellectilis, vt ex hiſtoria Iudith, & Actis Apoſtolicis apertè demonſtratur. Pueros etiam illis in diſciplinam traditos euincunt apud Herodotum Sicinus eunuchus filiorum Themiſtoclis præceptor; Bagoas apud Lucianum, & Plato libro 3. de legibus.

Iudith.12. *Actor.8.*

Adhæc, quoſdam eunuchos à regibus copiarum præfectos, & bellorum duces conſtitutos fuiſſe, docent Abdemelec Sedechiæ, Phutiphar Pharaonis, Bagoas Ochi Perſarum regis, & Narſes Iuſtini principis, eunuchi ſtrenuiſſimi bellatores.

Ierem. 38. & 52. *Ge.39.et 40.* *Ioſephus.* *Diodorus.* *Paul.diac.*

Hoc ſeculo plurimis in Anglia viris Catholicis ſumma hæreticorum crudelitate amputantur verenda, quod & in aliquot Galliæ locis ab Hugnoſticis factitatum eſt. Qua in re veterem priſcorum tyrannorum rabiem aduerſus Chriſtianos non tam imitantur,

tantur, quàm ſuperant Compertum eſt enim ex hiſtorijs Eccleſiaſticis, fortiſſimis Martyribus pro Chriſti nomine non ſolùm lacerata fuiſſe viſcera, ſed etiam verubus candentibus perfoſſa naturæ loca, abſciſſaque verenda: ſicque facti ab hominibus eunuchi plurimi regna cæleſtia petiuerunt. Meminit etiam Metaphraſtes Prothæ & Iacinthi eunuchiorum, qui cum virgine Eugenia datis ferro ceruicibus illuſtre martyrium conſummauerunt, &c. Sed de his ſatis: ad Eſtherem redeo. *Euſeb.* *Niceph.* *In 25. Decēb.*

10. *Quæ noluit ei indicare populum ſuum, & patriam ſuam. Mardochæus enim præceperat ei vt de hac re omnino reticeret.*

11. *Qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in qua electæ virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret.*

QVIA Mardochæus probè nouerat Iudæorum genus nomenque exoſum eſſe gentilibus, tum propter miſeram captiuitatē, tum maximè propter eam veram religionem ac legem, qua vnicum ac verum Deum eſſe docebantur, cæteros autem aut fictitios, aut mortuos homines, aut certè execranda dæmonia, prudenter conſultoq; iniunxit Eſtheri, vt genus patriamq; inquiſita ad tempus celaret. Non quod mentiri, aut fallere quenquam docuerit, quod eſt impiorum ac reproborum hominum: ſed ſilere cum omni modeſtia iuſſit, quod eſt prudentum atq; ſapientum, qui multa honeſtis de cauſis ſuo tempore diuulganda, aliquantiſper reſeruant & diſſimulant.

Hinc autem primùm conſpice incredibilem malitiam, aſtutiam, & furorē diaboli, qui propter odium, quo ſemper flagrat aduerſus Deum & cultum eius, nomen Iudæorum, inter quos tum ſolùm colebatur & inuocabatur, adeò deteſtabile exoſumque reddiderat cunctis alijs gentibus, vt de hoc funditus delendo & opprimendo frequenter conſultarent. *Venite*, inquiebant, *& diſperdamus eos de gente, & non memoretur* *Pſalm. 82.*

nomen

Eſther.13. *nomen Iſrael vltra.* Ideo Mardochæus infra ſic orat: *Et nunc Domine rex Deus Abraham, miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam dele-*
Eſther.14. *re. &c.* Eſther quoque exclamat: *Volunt tua mutare promiſſa, delere hæreditatem tuam, claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui: vt aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, &c.* Hoc ſatanæ conſilio permotus Sennacherib adeò Iudæis infeſtus fuit, vt indicta cauſa eos paſſim trucidatos, in medijs plateis inſepultos manere vellet: Tobiam-
Tob.1. que pro quorundam ſepultura cunctis fortunis ſpoliatum quæreret ad necem. Author quoque ſecundi
2. Mach.6. libri Machabæorum ſcribit, Antiochum & ſatellites eius tanto odio gentem Iudaicam habuiſſe, vt præ tormentorum formidine, nemo ſe ſimpliciter Iudæum eſſe palam auderet profiteri. Hoc enim ſtratagemate putabat cacodæmon vniuerſam Dei veri viuique notitiam, religionemque de mundo penitus abolere, ſi populum iſtum per ſuos miniſtros & ſatellites è medio ſuſtuliſſet.

Apolog. cap. 1. 2. 3. Tertullianus grauiter conqueritur priſcis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus hoc idem pijs omnibus Chriſti cultoribus contigiſſe: Odio, inquit, publico eſt confeſſio nominis, non examinatio criminis. Vociferatur homo, Chriſtianus ſum, quod eſt dicit: tu vis audire quod non eſt. Cæteris nocentibus ad hibetis tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum. Ideo torquemur confitentes, punimur
Iuſt. Apol. 2. perſeuerantes, & abſoluimur negantes, quia nominis prælium eſt. Solius nominis crimen eſt. Et Iuſtinus martyr Apolog. 2. ad populum ſenatumque Romanum: In nobis, ait, nomen arripitis pro crimine, quod tamen indignum eſt odio, &c. An non etiam hodie iſtud diabolicum & paganicum artificium inſtaurari videmus ab hæreticis, horumque fautoribus, quando veri Catholici, monachi, ſacerdotes, Romanę Eccleſiæ filij, & Catholicæ fidei zelo præditi appellationes, ſimpliciaque nomina illis tam exoſa ſint, vt propterea pios omnes deteſtentur, perſequantur, paſſimque trucident & mactent? Ita enim impius ille Sa-

tanas,

tanas, qui illos inſpirauit, & iſtos poſſidet atque impellit, ſemper ſibi ſimilis eſt.

Iſta etiam Estheris ex Mardochæi authoritate reticentia docet, aliquando quidem licitum eſſe pijs viris veritatem ſilere, ac iuſtis de cauſis ad tempus prudenter diſſimulare: nunquam tamen mentiri, aut eam turpiter abnegare, potiſſimum quando de fidei ac religionis profeſſione à magiſtratu ſæculi examinantur. Etenim ſi Eſther genere profeſſioneque Iudæam ſe eſſe vel eunucho, vel pediſſequis, vel ipſi Aſſuero ſtatim palam indicaſſet, periculum erat ne propter ſeruilem conditionem odioſumque nomen, penitus reijceretur, aut ſaltem abiectius & contumelioſius tractaretur. Itaque loco ac tempore diſſimulare prudentiæ atque ſagacitatis fuit. Sic pater fidei noſtræ Abraham ſemel & iterum ſiluit Saram eſſe vxorem ſuam, duntaxat ſororem appellans. Iacob piæ matris conſilio, Eſau ſecundum carnem primogenitum eſſe ſe dixit patri ſuo Iſaac, vt paternam à Deo ſibi deſtinatam benedictionem conſequeretur. Samuel diuina authoritate fretus, finxit ſe ad ſacrificandum veniſſe in Bethlehem, cùm tamen illic aduentaret omnium maximè, vt Dauidem loco Saulis in regem Iſraelis inauguraret. Idem Dauid coram Achis mente ſe captum ac furioſum ſimulauit, vt elaberetur: poſteaque ſcriptum reliquit: *Obmutui, & ſilui à bonis, cùm conſiſteret peccator aduerſum me.* Eliſeus quærenti ſe exercitui Syrorum, non dixit illicò; Ego ſum is Propheta quem quæritis: ſed prudenter hoc celans, *Non eſt* (inquit) *hæc via veſtra, non ciuitas, ſequimini me, & oſtendam vobis virum quem quæritis: duxitque eos in Samariam,* id eſt, in medium inimicorum. Quid quod & ipſe Chriſtus Magdalenæ inſtar hortulani ſeſe oſtentauit, & corã duobus diſcipulis Emaunta petentibus *finxit ſe longius ire?* Referunt denique hiſtorię Eccleſiaſticę, Athanaſium, ad necem quærentibus ſe Conſtantis tyranni militibus, mirificè illuſiſſe: & fraudes Arrianorum Timothei ſui diſcipuli pia ſimulatione detexiſſe & confudiſſe. Hinc Canon magni Baſilij: Simulatio non iudicatur, ſed voluntas. Vbi Theodorus Balſamon: Ac-

Geneſ. 12. & 20. *Geneſ. 27.* *1. Reg. 16.* *1. Reg. 21.* *Pſalm. 38.* *4. Reg. 6.* *Ioan. 20.* *Lucæ 24.* *Epiſt. ad Amphil. can. 52.*

quum eſt neminem à prætextu ſeu ſimulatione damnari, ſed ex affectione & voluntate.

Quod verò mentiri nunquam liceat, ſatis patere exiſtimo ex eius primo authore, omniſque mendacij parẽte diabolo, qui, Chriſto teſte, in veritate nõ ſtetit. Ergo qui ſeriò mẽtiuntur filij, mẽbraq; ſunt Diaboli:
Ioan. 8. & idcirco mentientib. Iudæis dicitur: *Vos ex patre Diabolo eſtis.* Quis aũt à tam impuro infeliciq; parente toto
Regulis breuioribus, Interrogat 76. pectore non abhorreret? Quinetiam interrogatus Diuus Baſilius, Nunquid vtilitatis alicuius cauſa conſultò mentiendum ſit? Scitè ſanctéq; reſpondet: Hoc ſententia Domini non permittit, à quõ ſic prȩcisè dictum eſt, mendacium ex Diabolo eſſe, neque mendacij
Li. cont. mendac ca. 16. vlla omnino diſtinctio adhibita. Confirmat Auguſtinus ex eo quod ſcribitur, *Omne mendacium non eſt*
1. *Ioan* 2. *ex veritate.* Item de cunctis ciuibus cæleſtis Ieruſalem:
Apoc. 14. *In ore eorum non eſt inuentum mendacium, &c.* Abnegatoribus
Matth. 10. verò doctrinȩ atq; religionis ſuæ cõminatur Filius
Marc. 8. Dei, quod eos tandem ſit abnegaturus coram Patre
Luca 9. ſuo & Angelis eius: quod omnium ſuppliciorum grauiſſimum & horrendiſſimum eſt.

Euſeb. lib. 6. Meritò itaque damnauit olim Eccleſia ſectam El-
hiſt. ca. 28. ceſeitarum dicentium, nullum admitti peccatum, quando quis Chriſti fidem ore negaret, modò eam in
Sapient. 1. corde fixam retineret. Nam os quod mentitur, occi-
Matth. 12. dit animam. Nec timendi ſunt qui poſtquam corpus occiderint, nõ habẽt amplius quid faciant: ſed timendus ac ſummiſsè verendus ille, qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam. Suo enim iure à nobis confeſſionem ſui nominis & honoris exigit, etiam ſi eius gratia amittendæ ſint huius mundi fortunæ, vitaque mortalis ponenda. Raphael ſiquidem vtrique
Tob. 12. Tobiæ præſcribit: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi.* Et Dauid de ſua in reli-
Pſalm. 118. gione conſtantia prædicat: *Loquebar de teſtimonijs tuis*
Pſalm. 34. *in conſpectu regum, & non confundebar.* Iterumque: *In po-*
2. *Mach.* 6. *pulo graui laudabo te.* Eleazar pius ſenex, ſeptemque fra-
& 7. tres Machabæi maluerunt omni genere tormẽtorum excarnificari, huicque ſȩculo perire, quàm ſuillis veſci carnibus, aut quicquam aduerſus diuinas patrum

leges

leges admittere. Paulus denique docet; *Oris confeſſionem fieri ad ſalutem.* *Rom.10.*

Animaduerte quoque altum Eſtheris ſilentium, rarum atque inſigne erga auunculum ſuum obedientiæ exemplum continere. Tametſi enim puella aut mulier eſſet, quæ vix linguæ ſuæ imperare poſſe vulgo putantur, deinde periculum maximum immineret: nihilominus genus & patriam diligenter cælat, quòd patruus & educator eius diſtrictè prohibuiſſet. Nouerat lege Diuina cautum, vt liberi omnem gererent morem parentibus ſuis: & ipſius Dei viuentis ore maledictos eſſe, qui aduerſus eos inſurgerent. Inſuper attendebat filiam Iephte, & Iſaac parentibus ſuis etiam vſque ad necem obtemperaſſe. Quid quod & initio legis Euangelicæ CHRISTVS exemplo ſuo legem hanc confirmauerit, ſubijciens ſeipſum parentibus ſuis ſecundum carnem? *Erat*, inquit, *ſubditus illis*, nimirum Deiparæ ac Ioſepho fabro & nutritori. Vbi verò nunc in filijs hominum talis erga parentes obſeruatio & reuerentia? At immo rigeri liberi indignos ſe reddunt diuinis illis benedictionibus, quæ obedientibus paſſim in ſacris literis repromittuntur: obnoxios verò horrendis maledictionibus, quæ in illos proferuntur. *Deut.5.* *Iudic.11.* *Geneſ.22.* *Lucæ 2.* *Exod.20.* *Deut.5.* *Matth 15.* *Epheſ.6.*

Sed & Mardochæus tantopere ſollicitus de rebus neptis ſuæ, ſuo exemplo docet, quanta cura parentes tutoreſque inuigilare debent negotijs filiorum, præſertim verò pudicitiæ filiarum, cùm adoleuerint. Non enim dicebat pius tutor iſte; Hactenus præſtiti ei quod potui, nutriui, educaui, ſeruaui quamdiu paruula fuit; nunc eſt adulta, curam ſui gerat, ſi velit. Ad hæc, induſtria mea iam me longè fortunatior & ditior eſt, locumque honeſtiſſimum obtinet in aula, illi nihil deeſſe poterit vlterius, quod libuerit agat, & cæt. ſed *quotidie*, inquit, *deambulabat ante veſtibulum domus, in qua ſeruabantur virgines, curam habens ſalutis Eſther*, & cætera. Ergo perpetua ſolicitudine inquirebat, quid cum ea, & de ea ageretur, qui valeret, paratus eidem omni conſilio & opera ſi egeret, ſemper adeſſe. Ita & Iob poſt conuiuia filiorum

Iob.1. ſuorum,eos conuocabat ad ſe,pijs pręceptis admonebat,& ſacrificijs expiabat,timens ne vel cogitationibus impijs Deum blaſphemarent in cordibus ſuis. Senior Tobias,& Suſannæ parentes dicuntur educaſſe
Tob. 1. liberos ſuos in timore Domini, & legis cognitione
Daniel.13. ac obſeruatione ab infantia eorum:ideoque magnas inde conſolationes de illorum ſanctitate & pietate conſequuti ſunt. Contra verò & Noë propter Cham, & Heli propter Ophni & Phineem, & Dauid propter Amnonem & Abſalonem,id eſt,pij alioqui parentes propter indulgentiorem liberorum educationem, in grauiſſimas ærumnas & calamitates inciderunt. Re-
Eccli. 7. ctè ergo Sapiens monet: *Filij tibi ſunt,erudi illos, & curua eos à pueritia eorum: filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarum.*
Ephes. 6. Et Apoſtolus: *Educate filios veſtros in diſciplina & correptione Domini.* Peſſimè ergo & ſibi & liberis conſulunt, qui tantùm in eo ſunt,vt opes quamplurimas contra ius & fas corradant, opima ſacerdotia malis artibus comparent,ipſiſque velut hæreditario adeunda relinquant,&c.

12. *Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant,mẽſis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat vt ſex menſibus oleo vngerentur*
* Myrthino. ** myrtino, & alijs ſex quibuſdam pigmentis & aromatibus vterentur.*

Septuaginta Interp. μυρίνῳ ἐλαίῳ.

13. *Ingredienteſque ad regem,quicquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens, accipiebant: & vt eis placuerat,compoſitæ, de triclinio fœminarum ad regis cubiculum tranſibant.*

14. *Et quæ intrauerat veſpere, egrediebatur manè, atque inde in ſecundas ædes deducebantur, quæ ſub manu Suſagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præſidebat: nec habebat*

pote-

poteſtatem ad regem vltra redeundi, niſi voluiſſet Rex, & eam venire iuſſiſſet ex nomine.

HIS deſcribitur luxus planè monſtroſiſſimus & prodigaliſſimus, quo regi Perſarum, etiam publicis regni legibus, vxores ad libidinem præparabantur. Puellæ etenim antequam ad Regem accederent, manebant anno integro in gynæceo, vt ibi purificarentur & ornarentur tum corporibus tum veſtibus. Sex prioribus menſibus vtebātur oleo ex myrrha confecto, ad emundandam carnem ab omni ſudore, odore, fœtore, alijſque immunditijs, nequando illis regias nares offenderent. Plinius: Myrrha & per ſe vnguentum facit ſine oleo; ſtacte a duntaxat, alioqui nimiam amaritudinem adfert. Valet etiam plurimum ad ſuauitatem & odores. Quis ergo non credet in ſacris ideo ſcriptum, *Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris?* Et rurſum: *Aſperſi cubile meum myrrha?* *Lib. 13. ca. 1. Idem & lib. 12. cap. 15. & 16. Eccli. 24. Prouerb. 7.*

Poſteriore autem ſemeſtri adhibebant omnia genera aromatum, quorum perfrictionibus carnē molliorem magiſque delicatam; ipſam verò pellem leuigatiorem, deinde & ſuauiolentem redderent. Varijs præterea pigmentis & fucis ſeſe excolebant, & ornamentis decorabant, vt ſic ex omni parte arteq; voluptati regiæ inſeruientes, ad eius cubiculū & amplexus quadam ſucceſſione ac ſerie perducerentur. Aliquid propemodum ſimile ſcribit Athenæus de Sybaritis, qui lege ſanxerant, vt mulieres ad publica feſta ſacrificiave conuocatæ, antea per annū compararēt apparatum, quo veſtibus & mundo muliebri ornatæ, in conuentus adducerentur. Tullius quoq; hunc Perſicū luxum amplificans ita deſcribit: Solent barbari reges Perſarū ac Syrorum plures vxores habere. His aūt vxoribus ciuitates attribuere hoc modo. Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat. Hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent vniuerſos, non ſolū conſcios libidinis ſuæ, verùm etiam adminiſtros. Et Plautus his verbis feſtiuè eundem traducit: Negotij quantum in muliere vna eſt? Quæ noctes dieſque, omni ætate, ſemper ornantur, lauantur, poliuntur: poſtremò, mo- *Li. 12. ca. 6. Orat. 5 in Verrem.*

dus muliebris nullus eſt. Terentius verò: Noſti mores mulierum, dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt. Aelianus autem de mulieribus Perſicis; ait: Sunt illæ rerum ad ornatum mundumque pertinentium plus æquo ſtudioſæ, &c.

Lib. 12. ca. 1.

Verùm, non eſt æſtimandum hunc in ſacris literis luxum deſcribi voluiſſe Spiritum S. vt illum vel probaremus, vel imitaremur; ſed econtrariò vt damnemus, & omnibus modis fugiamus. Pari enim intētione ac fine palam in Eccleſia recitantur Angelorū malorum ſuperbia, Adæ prçuaricatio, ebrietas Noë, inceſtus Loti, iniquitas filiorum Iacob, lapſus Moſis, fuga Ionæ, Dauidis adulteriū & homicidiū, Salomonis errores, deniq; Petri, Pauli, Thomę, peccata grauiſſima, & aliorum plurimorū illuſtrium virorū ſcelera, quibus ſeſe cōmaculauerunt. Huius aūt rei vtilitatem his verbis indicat Iuſtinus martyr: Prodeſt noſſe conuerſationes à ratione alienas, ne quis improuiſo ſtudio in eas incidat. Et Irenęus: Errata veterum non ideo in ſacris libris extare docet, vt eis illa exprobremus: ſed vt diſcamus peccata Deo diſplicere à quocunq; committantur. Rectè ſiquidem D. Ambroſius de ea (quæ in Euangelio nota eſt) Apoſtolorum contentione; Quod contenderunt Apoſtoli (inquit) non excuſatio obtenditur, ſed cautio præponitur, Libro decimo in Luc. Deinde, conſpiciamus nullum hominem poſſe de ſua innocentia iure coram Deo gloriari, quaſi immunis eſſet à peccato: verùm omnes indigere gratia & miſericordia Dei, vt Paulus grauiſſimè docuit. Vide Chryſoſtomum in Pſalmum quinquageſimum, & Gregorium Papam libr. ſecundo Moralium, capit. 1.

Orat. ad Zenam & Ser.
Lib. 4. ca. 25.
Ambr.
Rom. 3. 5. 7.

Ex hoc etiam loco ſatis apparet, non eſſe nouum libidinari & meretricari in aulis Regum & principum: ſimul ſcorta illorum ſudore atque ſanguine miſelli populi impinguari ac exornari. Scribit autem de Perſica aula Athenæus: Apud Perſas multarum pellicum copiam Regina perpetitur, quia rex velut Dominus imperat vxori, atque idcirco etiam quia pellices ſeruiunt Reginæ, eamque adorant. Quod ſi tam effu-

Lib. 13. ca. 1.

effuſa proiectaque libido execranda deteſtandaque iure videtur in hoc Ethnico principe, quanto magis in Chriſtianis, qui ſub diuinæ legis cenſura viuere tenentur: Sed ille (proh pudor) horum multis iuſtior in eo ſaltem apparebit, quod eas ſponte oblatas & receptas, perpetuò nutriebat & fouebat domi, quas ſemel cognouerat: hi frequenter vi abſtractas à parentibus, & contumelioſè conſtupratas, turpiter abijciunt, & cum ludibrio atque cachinnis ad miſerrimos parentes remittunt. Sic impius Amnon à ſe violatam Thamar ſororem, è domo ſua cum magnis probris expulit. Surget itaque in iudicio infidelis hic Aſſuerus, & condemnabit prophanam iſtam nobilium generationem. Nunquam enim effugere poterunt vel viuentes vel mortui iudicium hoc Dei, de quo Apoſtolus: *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.* Et Diſcipulus, quem diligebat Ieſus: *Homicidis, fornicatoribus, & veneficis pars erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* — *2. Reg. 13.* — *Hebr. 13.* — *Apocal. 21.*

Notandum quoque vſum vnguentorum atque odorum aliquando licitum & probatum, aliâs verò damnatum & reprobatum eſſe, prout ad finem bonum vel malum vſurpatur. Primò enim varia thuris & aromatum genera quondam in templo DEI accendebantur, horumque fumus dicebatur aſcendere in conſpectum DEI, vt hac externa ceremonia pij Iudæi admonerentur feruentium precum odoramenta DEO omnipotenti eſſe gratiſſima. Hinc Dauid orans: *Dirigatur,* inquit, *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et in Apocalypſi, Angelo data incenſa multa refertur, *vt adoleret ea in conſpectu Domini*: his autem ſignificabantur orationes ſanctorum, quas ex officio ſuo Angeli offerunt Deo. Varias etiam fuiſſe olei & precioſiſſimorum vnguentorum viſibiles vnctiones tum in ordinationibus ſacerdotum, regum, & Prophetarum, tum etiā ſacrorum altarium, librorum, vaſorum, & vniuerſæ Diuini tabernaculi ſupellectilis refert Moyſes multis in locis. Illæ autem cùm ad cultum DEI pertinerent, — *Exod. 30.* — *Leuit. 2. 5. 6.* — *Num. 5.* — *3. Reg. 11. 13.* — *Pſalm. 140.* — *Apocal. 8.* — *Exod. 25. 29. 30.* — *Leuit. 4 7. 8. 16.*

Num. 3.7. *Deut* 28. *Iſaiæ* 11. 61. *Pſal.* 44. *Lucæ* 4.

omni procul dubio adumbrabant illa dona Spiritus ſancti inuiſibilia, quæ primùm in Christum hominem, velut in caput totius Eccleſiæ, deinde in Apoſtolos, diſcipulos, & reliqua corporis eius myſtici membra mirabiliter effuſa leguntur.

Licitus item & viris & mulieribus moderatus vnguentorum atque odorum vſus eſſe poteſt, vel ad neruos ex contrahentibus morbis relaxandos, vel dolores membrorum mitigandos, vel multiplices infirmitates curandas, vel fœtores extinguendos, vel refrigeria captanda, vel denique moderatam ab ægritudine & labore recreationem ſumendam. Scribit enim Clemens Alexandrinus: *L. 2. Pædag. cap.* 8. Sufficit oleum ad ſuperficiem cutis pinguefaciendam, neruoſque relaxandos, & ad corporis grauiorem reprimendum odorem. Et paulo poſt: Sunt ſuaues odores, qui neque torporem afferūt, neque ad amores impellunt, neque impudicum contubernium redolent: ſed ſunt ſalubres, & cerebrum alunt, cùm malè affectum fuerit, & ventriculum corroborant. Et idem iterum: Vnguento tanquam medicamento & auxilio vtendum eſt, & ad vires languentes excitandas, & ad catharros, & ad refrigerationes, & ad faſtidium leuandum, &c. Iſthæc verò confirmat hic antiquiſſimus & ſanctiſſ. author, ex eo quòd Deus has ſpecies ſapienter creauerit, vt cætera omnia, ad vſum generis humani; deinde quòd Spiritus ſanctus per Sapientem dicat: *Eccli.* 38. *Vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis*. Addere potuiſſet plurima ſanctorum exempla, vtpotè Ruth, Iudith, Suſannæ, Sarepthanæ viduæ, quinetiam Chriſti Domini noſtri non ſemel à Magdalena vncti: *Matth.* 26. *Lucæ* 7. *Ioan.* 12. quibus honeſtus vnguentorum vſus non improbatur, ſed apertè confirmatur; vt abundantius diſſeruimus cōmentarijs noſtris in librum Ruth, pagin. 238. & 256.

Illicitus autem & damnabilis eſt vnguentorum & ſuffituum abuſus, quando nimius eſt, qualis in aula & vxoribus Aſſueri, huic vanitati per annum dantibus operam; deinde quando vel ad effœminandas corporis vires, adulterandum natiuum colorem, ad impudicum amorem vel ciendum, vel retinendum,

vel ad alias huius mundi vanitates procurandas vſurpatur. Scribit namque rurſus Clemens Alex. Oportet *Li.2.Pædag.* viros in primis apud nos vnguenta non olere, ſed vi- *cap.8.* tæ probitatem. Spiret autem fœmina Chriſtum, qui eſt regalis vnctio, & diuina ſemper vngatur pudicitiæ vnctione: nam Sapiēs ait: *Melius eſſe nomen bonum, quàm* *Eccleſ.7.* *diuitiæ multæ, & quàm vnguenta pretioſa.* Diuus quoque Hieronymus ſcribit; Vſus purpuriſſi ad genarum ru- *Epiſt. ad* borem, & ceruſſæ ad labiorum & colli candorem, ig- *Marcellam* nis iuuenum eſt, fomentum libidinis, & impudicæ mentis indicium. Nec modò à ſanctis viris, verùm etiam à prophanis poetis traducitur frequenter hæc nimia vnguentorum cura: Martialis namque quendam Poſthumum exagitans ſcribit: *Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.* Et Plautus: Veteres, quæ ſe vnguentis vnctitant, interpolatæ, vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt, vbi ſeſe ſudor cum vnguentis ſociauit, illicò itidem olent quaſi cùm vnà multa iura confundit cocus. Plinius & Curtius notant, Da- *Lib.13.cap.1.* rium ſecum in caſtris ſcrinium vnguentorum habuiſſe, quod tandem in manus peruenit Alexandri. Plutarchus quoque refert eundem Alexandrum mi- *In vit. Alex.* lites ſuos obiurgaſſe, quòd ſubactis Perſis, in eorum quos vicerant mores (quibus etiam è balneis vnguentati prodibant) turpiter indecoreque tranſirent, & cæt.

Cæterùm, Sponſas in die deſponſationis & nuptiarum cultioribus ornamentis, annulis, torquibus, & alio plurimo muliebri mundo, iuxta conditionem & facultates ornari, vt viris ſuis magis gratioſæ ſint, dum modò honeſtè & pudicè id fiat; in ſacris literis potius indulgeri atque permitti, quàm reprobari vel damnari cuiuis apertum & certum eſt. Scribitur nam- *Geneſ.24.* que in Geneſi Eliezer ſeruum Abrahæ ſuſpendiſſe auribus Rebeccæ, quam adducturus erat ſponſam Iſaac filio domini ſui, inaures aureas ad ornandam faciem eius, & armillas poſuiſſe in manibus eius. Et per Prophetam interrogat Deus; *Nunquid obliuiſcetur* *Ierem.2.* *virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ?* Denique in Apocalypſi pulchritudo & gloria ſupernæ *Apocal.21.*

ac triumphantis Eccleſiæ confertur cum ſponſa ornata viro ſuo. Et in Euangelica parabola coram multis coarguitur ille, qui ad nuptias inuitatus, reſederat non habens veſtem nuptialem.

Matth. 22.

DE varijs & honeſtis Nuptiarum inter Chriſtianos ritibus.

QVONIAM autem frequens incidit in hoc capite Nuptiarum mentio, nec iniucundũ, nec inutile iudicabunt opinor, æqui rerum Theologicarum æſtimatores, ſi ex ſacris literis, canonibus, & Patribus Chriſtianis, paulò vberiorem hoc loco inſtituerimus de ſacris cæremonijs ritibuſque in eis obſeruatis diſputationem. Sunt enim perdocti & clariſſimi viri, qui ſcriptis editis, ex legibus, humanarumq́; rerum ſcriptoribus diligenter & copioſè eas inueſtigatas feliciter conſequuti ſunt.

1. Primo autem loco, ipſum diem nuptiarum præcedere debent Sponſalia, id eſt, conuenta pacta, ſponſioneſq́; publicæ ac voluntariæ inter nupturos de futuro coniugio, ſiquidem ſui iuris fuerint. Inde, qui puellam ſpondent parentes aut tutores, Sponſores: quæ deſpondetur, Sponſa: cui deſpondetur & promittitur, Sponſus: dies qua hæc fit promiſſio, Sponſalis appellatur: & Sponſalia, mentio & promiſſio futurarum nuptiarum. Adfirmat enim Nicolaus Papa, Sponſalia futurarum nuptiarum eſſe promiſſiones, quibus vir & fœmina tempore, & alijs conditionibus iuſtis, ad earum fœdera perducuntur. Differre autem inter ſe puellas ſperatas, dictas, & promiſſas viris; vel ex hoc Arnobij Deorum gentilium connubia feſtiuè irridentis, loco ſatis patet: Vxores (inquit) Dij habent, atque in coniugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæſitis: habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas. Tertullianus quoque aliquid indicat eſſe diſcriminis inter diem Sponſaliorum & Nuptiarum. Dicuntur autem Sponſalia, vel à ſponte, vt opinatus eſt Varro; vel à ſpondendo, vt volunt alij: ego ab vtroque ſic appel-

30. q. 5. can. Noſtrates: & Iuo Carn. Epiſt. 46.

Lib. 4. adu. gentes.

Lib. de vel. virg.

appellata iudico, eò quod ſpontaneæ & voluntariæ debeant eſſe iſtæ futurorum coniugum ſtipulationes. Nam vbi hæc verba præſentis temporis intercеſſerint; *Accipio te in meam vxorem*, &; *Accipio te in meum virum*, jam non Sponſalia, ſed matrimonium ratum eſſe, docet Gregorius nonus. Tuncque iam non Sponſa, ſed vxor legitima veraque dicitur fœmina. Ad hæc verò ſponſalia pertinere arbitror, quòd Rebeccæ parentes eam ſanctè promiſerint ſe daturos vxorem Iſaac filio Abrahæ, antequam quieſcere vellet in eorum domo Eliezer ſeruus & procurator familiæ ſancti Patriarchæ. Scribit enim Chryſoſtom. Mos ille veteribus erat, ante multum tempus Sponſalia facere, ſæpe item & cohabitare deſponſatis, & ſimul cum parentibus conuerſari: id quod & nunc ſæpe fieri ſolet. Quod & confirmat ex eo, quod Lot generos ſuos appellat eos, quibus filias ſuas ſpoponderat; tametſi eaſdem virgines adhuc eſſe palam profiteretur. Iunior quoque Tobias Sponſalia petit, cum ſe neque manducaturum, neque bibiturum in domo Raguelis iurat, priuſquam polliceatur illi pater dare ſe Saram filiam in coniugem. Et beata Deipara Virgo dicitur *deſponſata viro, cui nomen erat Ioſeph*, antea quàm vel ab Angelo ſaluere iuberetur, vel Ioſeph eandem occultè dimittere cogitaſſet. Vbi Hieronymus appellat eam, vxorem futuram eiuſdem Ioſephi. Ad hunc etiam Sponſaliorum ritum ſatis apertè Paulus alludit, ſcribens 2. ad Corinthios capit. vndecimo: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.*

Lib. 4. decr. tit. de ſponſ. & matrim. cap. 31. *Geneſ. 24.* *Hom. 43. in Geneſ.* *Geneſ 19.* *Tob. 7.* *Lucæ 1.* *Matth. 1.* *Hieron. in Matth. 1.*

2. Commodum autem putauerunt beati Patres, ſi iſta Sponſalia diem Nuptiarũ aliquanto tempore antecederent, idq; plurimis de cauſis. Prima; vt antea certis feſtiuis dieb. à paſtoribus Eccleſiarũ publicè denunciari poſſet matrimoniũ inter N. & N. ſuo tempore celebrandum, vt ſi quis aliquod noſſet obſtaculũ, illud proponeret atq; probaret. Eſt enim graue decretum Concilij Lateranenſis, confirmatum à Tridentino, vt antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus

Concil. 2. Lat. cap. 51. Trid. Seſſ.

feſtiuis

24 cap. 1. Ext de clandeſt. deſp. Cùm inhibitio.

feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denuncietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij procedatur, &c. Deinde, oportet conſenſum pârentum aut tutorum accedere, ſiquidem ſui iuris non ſint, qui ſponſionem inter ſe fecerint de futuro coniugio Nam cùm officium patris ſit collocare in matrimonium filias, & dotare, & quærere conditionem filijs familias: tum verò ſexus imbecillior, ætaſque imprudentior indigeat ſeniorum ac ſapientum conſilio & authoritate, æquiſſimum ſemper viſum eſt, vt de parentum ſententia atque conſenſu iuniores nuberent. Scribit itaque Euariſtus Papa & martyr: Legitimum non fit coniugium, niſi ab his qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, vxor petatur, & à parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, &c. Et Nicolaus pontifex ita reſpondet Bulgaris: Fœdera conſenſu eorum qui hæc contrahunt, & horum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur. Concilij quoque Carthag. 4. authoritate conſtituitur, vt Sponſus & Sponſa à parentibus offerantur ſacerdoti, &c. Præterea, iuſtum eſt, vt quis cum iudicio vxorem ducat, & experiatur inter Sponſaliorum & Nuptiarũ moras ingenium & mores coniugis, cum qua in perpetuum eſt victurus. Itaque nec oculis, nec digitis vxorem eligat, non pulchritudinem, non dotem tantùm conſideret: ſed num poſſit iugum indiſſolubile cum ea, eoâe ducere. Vbi enim periculum maius intenditur, ibi procul dubio eſt plenius conſulendum, vt docet Innocentius quartus in Concilio Lugdunenſi: Ad hæc, qui vxorem breui ducturus eſt, neceſſe habet præparare multa, quæ ſubeundo huic grauiſſimo oneri ſunt neceſſaria. Plura enim maritus vxori præſtare debet, quæ vel marſupio, vel animi patientia ſoluenda ſunt, vel iugi triſtitia ferenda. Quamobrem ſponſis ac nouis coniugibus olim dabatur per annum immunitas à bello, & publicis oneribus, vt tantiſper eis liceret domum familiamq; ſuam melius componere. Deni-

Epi. 1. quæ eſt ad Epiſcopos Africanos. 30. q. 5. can. Aliter. can. Noſtrates. can. Sponſus.

Sexti decret. li. 1. tit. 6. de elect. cap. 3.

Deut. 20. 1. Mach 3. Ioſephus 4. antiq. cap. 6.

Denique, differuntur Nuptiæ, vt per hanc dilatio- nem ſibimetipſis chariores euadant Sponſus & ſponſa, neque citò ſibi vileſcant. Idcirco inſtitutum eſt (vt ex Auguſtino refert Gratianus) vt ſponſæ iam pactæ non ſtatim tradātur, ne vilem habeat maritus datam, quam ſuſpirauerit ſponſus dilatam. Iacob non niſi exacto ſeptennio, promiſſa ſibi Rachele vxore frui potuit. *27. q. 2. can. Inſtitutum. Iuo Carn. lib. 6. Gen. 24.*

3. In his autem ſanciendis ratio in primis habēda eſt ætatis, vt docet Gregorius nonus, his verbis: Diſtrictius inhibemus, ne aliqui, quorum vterque vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non peruenerit, coniungantur. Et paulò poſt: Deſponſationes nullæ ſunt, quæ in cunabulis fiunt. Item: Deſponſationes ante ſeptem annos fieri non poſſunt, ſi conſenſus poſtea non accedit. Et Iuo Carnotenſis hæc ex decretis Nicolai Papæ recitat: Vbi non eſt conſenſus vtriuſque, ibi non eſt coniugium. Item Gratianus: Sponſalia ante ſeptennium contrahi non poſſunt. Solò enim conſenſu contrahuntur, qui interuenire non poteſt niſi ab alterutra parte id intelligatur quod inter eos agitur. Probatur ergo, Sponſalia non poſſe contrahi inter pueros, quorum ætatis infirmitas conſenſum non admittit. *Li. 4. decret. tit. de ſponſ. impuberum, cap. 2. 4. 5. Lib. 6. decr. 30. q. 2. cap. Vbi. 30. q. 2. can. Sponſalia.*

4. Nec prætereundum eſt, Sponſaliorum duas eſſe ſpecies, nimirum vnam ſimplicem, alteram firmatam. Simplex eſt, quando nudè & ſimpliciter promittunt ſibi mutuò ſponſus & ſponſa nuptias futuras, nulla pactione, nullave ſcriptura, vel alia ſolenni confirmatione interueniente, non arrha, non pignore accedente. De hac priore ſpecie extat decretum Gregorij noni. Firmata verò dicuntur Sponſalia, quę vel dexterarum porrectione, vel iuramento, vel oſculo non vulgari, vel annulo, vel dote tabellis conſignata & ſignis communita, alijſque arrhis, ſeu donationibus, (quę etiam Sponſalia, & ſponſalitię largitates dicuntur) paſſim confirmantur. Nam in ſacris legitur Raguelem apprehendiſſe dexteram Saræ filiæ ſuæ, eamque dexteræ Tobiæ iunioris coniunxiſſe: ſimulque *Li. 4. Decretal cap 31. §. Verùm. Tob. 7.*

mulque

mulque accepta charta feciſſe conſcriptionem coniugij. Eliezer quoque ſponſione facta à parentibus, explorataque Rebeccæ puellæ voluntate de futuro cum
Geneſ.24 Iſaac filio Abrahæ coniugio, *Rebeccæ* (ait Moyſes) *tradidit vaſa aurea, & argentea, & veſtes: fratribus quoque & matri eius dona contulit*: quæ omnia arrhæ proculdubio erant & confirmationes pacti matrimonij. Saul per
1.Reg.18. internuncios agens cum Dauide de nuptijs filiæ ſuæ Michol, dotis & arrhæ loco duntaxat poſtulauit *centum præputia*, vel, vt alij volunt, *capita Philiſtinorum*. Porrectionem verò annuli promiſſorum adimplendorum
Geneſ.38. teſſeram ſemper fuiſſe docet Thamaris exemplũ, petentis pro hœdi promiſſi redditione annulum & armillam Iudæ ſoceri ſui.

Lib. de cultu fæm. Apol. cap.6. Lib de bono pudicitiæ. Li.3.Pædag. cap.11. Sed ad Patrum accedo teſtimonia. Tertullianus meminit pronubi aurei annuli, quo ſponſus ſponſam ſibi oppignerabat. Cyprianus nimium annulorum vſum taxans, moderatum indulget. Clemens Alexandrinus permittit fœminis ingenuis vnicum annulum aureum; non quidem ad ornatum, ſed vt eo obſignent, quæ domi digna ſunt, quæ cuſtodiantur; propterea quod ſeruandæ domus cura ad eas pertineat.
L. 20. etym. & l.2. de diuin. off.c.19. Iuo l. 6. c.8. 30.q 5.c.Fœminæ: & 27. q 2.c.Si quis vxorem. Tit.27. c.10. Iſidorus mulieres binos aureos annulos in digitis habuiſſe ſcribit, ac præſertim in quarto digito, quòd ex eo vena quædam ſanguinis ad cor vſque perueniat. Vel hoc fit propter mutuę dilectionis ſignum, vel propter id magis, (inquit Iuo Carnot.) vt hoc pignore eorum corda iungantur. Atque hæc in decretis refert etiam Gratianus. Gregorius nonus lib. 2. decretalium, recitat ex Clemente tertio, quandam mulierem à viro ſuo iniuria relictam, illum iure proſequutam: ad probandum verò, quod eam verè deſponſaſſet, obtuliſſe cum idoneis teſtibus, etiam annulum deſponſationis, quo eam ſubarrhauerat. Ambroſius denique ad annulum, monilia, cæteraſque deſponſationis arrhas alludentem beatam Agnetem, & de CHRISTO vnico ſponſo ſuo loquentem producit:
Sermon.90. Annulo fidei ſuæ ſubarrhauit me, ornauit me inæſtimabili dextrocherio, dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis. Tradidit auribus

bus meis inæſtimabiles margaritas, & circundedit me vernantibus atque coruſcantibus gemmis. Induit me cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornauit me, & cæt. Idem etiam alibi, vocat oſculum, inſigne ſacræ pacis: & annulum fidei pignus, & ſancti Spiritus ſignaculum. *Lib 2. de pœnit. c 3. & li. 7. in Luc.* Alexius Comnenus inter arrhabones futurarum nuptiarum etiam oſculum numerat: *L. 1. iuris orientalis.* quandoquidem & ipſe Iacob Patriarcha Rachelem vxorem futuram dulci ſuauio primùm conueniſſe narrat Moyſes. *Geneſ. 29.* Et in Cantico Canticorum ſponſa poſt ſponſum anhelans ac ſuſpirans dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui &c.* *Cant. 1.*

Quantum ad dotem attinet iam audiuimus Raguelem filiam ſuam Tobiæ deſponſaturum, accepta charta, feciſſe conſcriptionem coniugij. *Tob. 7.* Hinc Sanctus Hieronymus ſcribit; hoc nomine vxorem à concubina diſcerni, quòd vxori tabulis opus ſit & iure dotali, quę concubinæ minimè habuerint. *Epiſt. ad Oceanum.* Sichem filiam Iacob Dinam afflictim deperiens fratribus eius dicebat: *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* *Gen. 34.* Frequens etiam dotis mentio in lege veteri occurrit, vt cùm dicitur; *Si ſeduxerit quis virginem, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt.* *Exod. 22.* Pharao quoque dicitur ciuitatem Gazer, quam Chananæis bello eripuerat, dediſſe in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis. *3. Reg. 9.* Euariſtus Papa & martyr conſtituit, vt fœmina ſecundum leges receptas dotetur à parentibus. *30. q. 5. can. Aliter: ca.* Nicolaus, vt dos vtrique parti placeat, & ſponſus ſcripto pactum hoc continens, coram inuitatis ab vtraque parte tradat. *Noſtrat.: ca. Qualis: can.* Leo, inter qualitates Sponſæ refert, vt ſit caſta, deſponſata in virginitate, & dotata legitime. *Nullum.* Concilium Arelatenſe decernit, vt nullum ſine dote fiat coniugium, ſed iuxta poſſibilitatem fiat dos. Concilium VVormatienſe præcipit mulieribus iuſta de cauſa à proprijs viris ſeparatis, reddere totam dotem. *Li. 4. decret. tit. 20. ca. 1. 2. 3. 4. 7.* Idem Vrbanus tertius Pontifex Max. viros quoque præſtare iubet vxoribus, diuortio ſolem-

ſolemniter inter eos celebrato. Idem & Clemens tertius confirmat. Celeſtinus tertius decreuit, Mulierem propter adulterium à viro ſeparatam, dotem amittere, nec poſſe illam repetere. Innocentius & ipſe huius nominis tertius indicat, Dotem hanc conferri, vt vir onera matrimonij ſuſtentare poſſit facilius. Denique Rabbini Hebræorum ſponſalia certis inter ſuos ceremonijs & arrhis ſanciri, his quoq; verbis docent: Initianda vxor ducenda, pecunia, vel ſcripto: idque faciendum coram teſtibus. Subarrhatio autem fieri poteſt dimidio ſiclo. Tantùm auaritiam eorum arguit Chryſoſt. qui ſtipulationes nuptiarũ maiore aſtutia componunt, quàm eas quæ in vendendo & emendo confici ſolent, &c.

In præceptis affirmat. præcep. 48.
Hom. 74. in Matth.

5. Notandum porrò, hæc ſponſalia de futuro coniugio, modò carnalis copula (qua matrimonium cõſummari putatur) non interuenerit, quantumcunque arrhis confirmata fuerint, iuſtis & plurimis de cauſſis ita diſſolui poſſe; vt ad alia fœdera auctoritate eccleſiaſtica iudicante, pergere liceat. Primò enim ſoluuntur mutuo ſpontaneoque vtriuſque partis conſenſu, fideique datæ reciproca condonatione ac remiſſione. Iura enim decernunt, ad Sponſalia conſummanda aliquos tutius moneri, quàm compelli: quando coactiones frequenter ſoleant infelices exitus habere. Secundò, ſi qui primam deſponſauit pollicitatione futurarum nuptiarum, cum altera ſe commiſcuerit: aut per verba de præſenti matrimonium ratum fecerit. Refert enim Gregorius nonus ex Innocentio tertio: Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere. Et ſi aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa quam duxit. Non enim reſcindi debet tantum Sacramentũ. Statuitur item alibi, quod ſi aliquis rapuit ſpõſam alterius, raptor debet puniri, & ſi ſpõſus eam recipere noluerit, ipſa poterit alteri nubere. Tertiò, ſi poſt Sponſalia, alter ſponſatorum inciderit in leprã, vel aliquam inſignem corporis mutilationem, vel deformitatem, quæ ipſo aſpectu horrorem gignat. Reſpondet namque Vrbanus 3. Epiſcopo Florentino, Si al-

Lib. 4. decr tit. de ſponſ. & matrim. cap. 15.
Lib. 4. decr. tit. de ſponſ. ca. 17. & 22. & 31. & 32.
Lib. 4 decr. tit 4 cap. 1.
27. q. 2. can. Raptor. can. Statutum
Lib. 4. decr. tit 8. cap. 3.

Si alter lepræ morbum incurrat, alter ad coniugium cum eo cogi non debet, cùm nondum inter eos matrimonium fuerit conſummatum. Et Innocentius tertius ſcribit Genuenſi Archiepiſcopo: Si poſt iuramentum (de vxore aliqua ducenda,) mulier fieret non ſolùm leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, vel quicquam ei turpius eueniret; nunquid vir teneretur eã ducere in vxorem? q. d. Nequaquam. Quartò, ſi alter ex ſponſis, poſtea incidat in hæreſim, vel apoſtaſiam abiurando religionem Catholicam, non ſolùm poteſt, verùm & tenetur alter qui in fide orthodoxa conſtanter permanet, poſtremum nuncium remittere, nec vnquam per verba de præſenti nuptias cum illo contrahere. Nam diſtricta lege prohibita ſunt à Deo connubia Hebræorum cũ Chananæis, alijſque à vera pietate alienis. Ioſue quoque moriturus eundem populum monebat: *Si cum his gentibus miſcere volueritis connubia, erunt vobis in foueam, laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris*. Notum eſt quàm pernicioſa fuerint hæc Samſoni, Salomoni, & Achabo. Paulus non permittit mulieri nubere, *niſi in Domino*, id eſt, in nomine Domini; hoc eſt indubitatè Chriſtiano, ait Tertullianus. Alibi quoque idem Apoſtolus prohibet *iugum ducere cum infidelibus*: quandoquidem nulla poteſt eſſe conuentio Chriſti ad Belial, participatio iuſtitiæ cum iniquitate, lucis ad tenebras, fidelis cum infideli, aut templi Dei cum idolis. Vbi Ambroſius: Caue Chriſtiane, gentilem, vel Iudæã, vel alienigenam, hoc eſt, hæreticam, & omnem alienam à fide tua vxorẽ accerſas tibi.

Lib. 2. decretal. tit. 24. ca. 25. *Exod 34.* *Deut. 7.* *Deut. 23.* *Ioſue 23.* *1. Cor. 7.* *L. 2. ad vxo. cap. 2.* *2. Cor. 6.* *Amb. in 7. cap. prioris ad Corint.*

Sed ad Eccleſiæ decreta. Synodus Chalcedonenſis decernit: Non debet copulari nuptura hæretico, aut Iudæo, vel pagano, niſi fortè promittat ſe ad orthodoxam fidem transferre. Et ſexta Synodus. Non licet virum orthodoxum cum muliere hæretica coniungi, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari. Et Laodicæna: Non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia, vel filios, vel filias dare. Elibertina: Hæreticis, qui errant ab Eccleſia Catholica, nec ipſis dandas puellas Catholicas, ſed neque Iudæis, ne-

Can. 14. *Can. 72.* *28. q. 1 c. Non oportet: & can. Non ſolum* *Can 16.*

quæ hæreticis dari placuit:eò quòd nulla poſſit eſſe ſocietas fidelis cum infideli, &c.

Quintò, ſoluuntur Sponſalia & ſtipulationes de futuro connubio, per votum ſollemne alicuius religionis probatæ: cùm etiam poſt matrimonium contractum, nondum tamen conſummatum, fieri poſſit. Scribit namque Euſebius Papa: Deſponſatam puellam non licet parentibus alij viro tradere:licet tamen illi monaſterium ſibi eligere. Et Gregorius: Sponſæ poſſunt monaſterium eligere: & ſponſi non exquiſito conſenſu ſponſarum, propoſitum melioris vitæ aſſumere valent. Et Alexander tertius: Poſt conſenſum legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere monaſterium (ſicut quidam ſancti de nuptijs vocati fuerunt, nimirum Macharius & Alexius), dum modò carnalis commixtio non interuenerit inter eos:& alteri remanenti, ſi continentiam ſeruare noluerit, licitum eſt ad ſecunda vota tranſire:quia cùm non fuiſſent vna caro ſimul effecti, ſatis poteſt vnus ad Deum tranſire, & alter in ſeculo remanere. Sextò, ſoluuntur per alterius in longinquas ſedes abſque probabili cauſa longiorem peregrinationem & commorationem. Tum enim ad alterius partis poſtulationem iudex certum tempus præſcribere poteſt, intra quod ſi non redierit, pars nouo fœdere cum alia coniungi poterit. Nam vagabundum ac erronem ſponſum, ſponſa ſequi non tenetur. Definit enim ſic Alexander tertius: De illis qui præſtito iuramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes: hoc volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus illis ad alia vota ſe transferre. Eius tamē ſententiæ eſt Antoninus, quod abſens, in eadem tamen prouincia, expectetur duobus annis:in alia, tribus, &c. Septimò, ſi ſponſalia facta fuerint per parentes de impuberibus, poſtea verò iam illi, aut alter eorum ijs conſentire noluerit, cùm ad annos diſcretionis peruenerit. De his enim conſultus aliquando Nicolaus Pontifex, reſpondit. Qui pueris dant puellas in cunabulis, nihil faciunt, niſi

vterque

27. q 2. can. Deſponſatā: can. Decreta. can. Scripſit.

Lib. 3. Decretal. tit. 32. ca. 2. 7. 14. &c.

Li. 4. decret. titulo 1. cap. 5.

3. parte tit. 1. cap. 18.

30. q 2. can. Vbi non eſt.

vterq; puerorum poſtquam venerit ad annos diſcretionis conſentiat:nec eſt coniugium, niſi ſit conſenſus vtriuſq;,etiam ſi pater & mater hoc voluerint & fecerint. Ad hunc etiam locum pertinet titulus 2. libri 4. Decretalium Gregorij noni,qui eſt de deſponſatione impuberum:& quæ ſtatuit Bonifacius octauus in Sexto,lib.4.titulo ſecundo, qui eſt deſponſatione impuberum. Octauò, propter interuenientes capitales inimicitias vel inter parentes, vel inter fœdere ſponſalitio coniunctos,propter quas diſſolui poſtulent. Ad hoc pertinere putant quod reſpondet Lucius tertius Rapalenſi Epiſcopo:haberurq; in 4.decretal. tituli primi cap.17. & Alexander tertius Papienſi Epiſc. ibidē cap 14. Et ne ſim in his prolixior, diſſolui etiam poſſunt,quando vi fuerunt contracta, & alter ſponſorū reclamauerit: & plurimis alijs de cauſis,quæ copiosè adferuntur ab Antonino,Clauaſio,Nauarro, & alijs.

4. dec. tit. 2. Sext. lib. 4. tit. 2. — *4. decretal. tit. 1. cap. 17.*

6. Cæterùm,quando de ſuperioribus omnibus cōueniebat, dies certa Nuptiarum conſignabatur, ſed etiam ipſius tēporis habita ratione. Veterum namq; Concil. Laodiceni ſcilicet atq; ſextæ generalis ſynodi authoritate,prohibitum eſt Nuptias,vel quælibet Natalitia in quadrageſima celebrare: Idipſum poſtea Illerdenſis concilij ſuffragijs ratum & amplificatum fuiſſe legitur,his verbis: Non oportet à Septuageſima vſq; in octauam Paſchæ,& tribus hebdomadibus ante feſtiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ,& ab aduentu Domini vſq; poſt Epiphaniam nuptias celebrare. Hoc ipſum etiam approbauit concilium Saleſtadienſe. Nicolaus quoq; Pontifex ad conſulta Bulgarorum ita reſpondit: Nec vxorem dūcere, nec conuiuia facere in Quadrageſimali tempore conuenire poſſe vllo modo arbitror. Idē prohibuit & Martinus Papa, vt à Gratiano recitatur. Acceſſit demū authoritas ſacri concilij Tridentini, tempora Nuptiarum relaxans: Ab aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti vſq; in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vſq; in octauā Paſchatis incluſiuè, antiquas ſollemniū Nuptiarū prohibitiones diligenter ab omnibus obſeruari ſancta Synodus præcipit:in alijs verò tēporibus Nuptias ſollemniter cele-

33. q. 4. can. Non oportet. — *33. q. 4. can. Non licet: c. Nec vxorem c. Non oportet.* — *Seſſ. 24. cap. 10. de reformat.*

Seſſ.24. can.11. brari permittit. Inter canones quoq; ſuos hûc vndecimo loco reponit: Si quis dixerit prohibitionē ſolemnitatum Nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam: aut benedictiones & alias cæremonias quibus Eccleſia in illis vtitur, damnauerit, anathema ſit.

7. Sed iam ad ipſarum Nuptiarum ritus accedamus. Quoniam ex diuinis vtriuſq; Teſtamenti literis manifeſtum eſt, Matrimonium non eſſe opus tenebrarum (quemadmodum impiè quondam ſenſerunt Marcionitæ, & Encratitæ) verùm ab ipſomet Deo optimo & maximo conſtitutum, & ab eius coæterno Filio in numerum ſeptem Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramentorum relatum; æquè prudenter ac ſanctè conſtituerunt maiores, vt non occultè, ſed luce, palàm, in ſacris cœtibus, & honeſta pompa celebretur. *30.q.5. can. Nullus.* Ait enim Hormiſdas papa; Nullus fidelis cuiuſcunque conditionis ſit, occultè Nuptias faciat: ſed benedictione accepta *can. Nullum* à ſacerdote, publicè nubat in Domino. Et in concilio Arelatenſi decretum eſt: Sine publicis nuptijs *can. Sponſus.* nullus vxorem ducere præſumat. Et in Carthaginenſi quarto: Sponſus & ſponſa cùm benedicendi ſunt à ſacerdote, à parentibus vel paranymphis offerantur *can. Noſtrates.* in Eccleſia ſacerdoti: Et Nicolaus Papa Bulgaris reſpondet: Nóſtrates cùm ad nuptialia fœdera perducuntur, primùm in Eccleſiam Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per ſacerdoris manum, ſtatuuntur: ſicq; demum benedictionem, & velamen cœleſte ſuſcipiunt.

Quid porrò in his, quod non diuinis teſtimonijs, *Geneſ.2.* & Apoſtolica traditione facilè confirmetur? An non *Matth.19.* Deus ipſe velut Pronubus Euâ à ſe in paradiſo forma- *Epheſ.5.* tam, & iuſtitiæ originalis ornamento decoratam, ad Adamum ſponſum perduxit: nō ſuper, vtrumq; benedixit? Iſaac, Iacob, Samſon, Tobias, Dauid, Booz, id eſt, ſanctiſſimi Patriarchæ & Prophetæ, Nuptias in *Ioan. 2.* propatulo, certiſq; ritibus celebrauerunt. Chriſtus nu- *Matth.25.* ptiale conuiuium primo cohoneſtauit miraculo: te- *Matth. 22.* ſtatuſque eſt, tametſi parabolicos, virgines cum lampadibus obuiaſſe ſponſis, tauros & altilia occiſa fuiſſe,

& mundioribus veſtimentis inuitatos conueniſſe.

Prioris Eccleſiæ ritus his paucis Tertullianus comprehendit: Vnde ſufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, pater ratò habet? Quibus accedit etiam hoc illuſtriſſimum Beati Euariſti Papæ & Martyris teſtimonium. Aliter legitimum non ſit connubium, niſi ab his qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur vxor petatur, & à parentibus, & à propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, vt mos eſt, cum precibus & orationibus à ſacerdote benedicatur. Aliter enim vt à patribus accepimus, & à ſanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus traditum inuenimus, non fit matrimonium. Itaque Nuptias publicè celebrandas, & à ſacerdote benedicendas, traditionem Apoſtolicam eſſe ſatis patet ex ſuperioribus. Hoc ipſum etiam confirmat Clemens Rom. his verbis: Leges Diuinæ nuptias honorârunt, cùm eas benedictas appellauerunt: Benedixit namque eis Deus, qui fœminam cum mare copulauit Ait autem Salomon: *A Domino aptatur mulier viro* Et Dauid ait: *Vxor tua ſicut vitis abundans &c. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominũ.*

Li. 2. ad vx. cap. vltimo. — *Epiſt. ad Epi. Africæ.* — *30. q. 5. can. Aliter.* — *Lib. 6 conſt. Apoſt. ca. 27.* — *Gen. 1. & 2.* — *Matth. 19.*

8. Sponſis porrò aduentantibus cum pompa & celebritate obuiam à ſponſo & amicis porrectum fuiſſe docet etiam author libri prioris Machabæorum. Et in Euangelio ab vſitato Nuptiarum ritu ſumpta parabola deſcribitur, Virgines cum lampadibus perrexiſſe obuiam ſponſo & ſponſæ. Paulus Diaconus author eſt, proceres Conſtantinopolitanos cum vxoribus ſolenni pompa occurriſſe Eirenæ ab Athenis venienti vt Conſtantino principi Conſtantini Iconomachi filio matrimonio copularetur.

1. Mach. 9. — *Matth. 25.* — *Lib. 22. hiſt.*

Pretioſis verò veſtibus cæteroq; mundo muliebri ſponſas in die Nuptiarum excultas ornataſq;, in publicum proceſſiſſe, ſatis indicant iſtæ ad mores ſolitos ſacræ alluſiones. *Hortus concluſus, fons ſignatus, ſoror mea ſponſa. Indumento iuſtitiæ circumdedit me, & quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus*

Cant. 4. — *Iſaiæ 61.*

 ſuis,

Ierem.2. *ſuis. Nunquid obliuiſcetur ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ?* Et in Euangelico conuiuio veſtis nuptialis deſiderata fuit. Cæleſtis quoq; Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ triumphantis in cęlo venuſtas & ineffabilis pulchritudo comparatur in Apoc. cum ſponſa, parata & ornata viro ſuo. *Apoc. 21.*

Lib. 18. ca. 8. Nicephorus quoq; inter ſolennia nuptiarum Mauritij Imper. recitat, Auguſtam veſtem ex auro contextam, purpura, & Indicis margaritis diſtinctam, necnon coronam auro multo & lapillis pellucidis reſplendentem geſtaſſe: magiſtratuſq; coronatos, faces nuptiales accendiſſe, & conuentum ſponſalitium hymnis atq; carminibus celebraſſe.

Lib. 1. de Abrah. cap 9. 30. q. 1 c. Nec illud. Gen. 24. 9. Multis in locis ſponſas velo facie tectas ad ſponſos ductas fuiſſe, in pudoris teſtimonium, indeq; Nuptias dici, quòd pudoris gratia ſe puellæ obnuberent, tradit Ambroſius: ſimulq; Rebeccæ confirmat exemplo, quę obuianti Iſaac futuro marito, caput ſuum velauit, docens verecundiam in nuptijs præire debere.

Lib. 2. de Eccleſ. off. c. 19. L adu. Valent. Lib. de vid. Quibus adijcit Iſidorus: Fœminæ dum maritantur, ideo velantur, vt ſe nouerint ſemper maritis ſuis ſubditas eſſe & humiles. Velum iſtiuſmodi Tertullianus appellat Flammeum: cui adſtipulatur his verbis Ambroſius: Suaſimus fateor, vt veſtem mutares, non flammeum ſumeres: vt à ſepulchro recederes, non vt thalamum præparares. Volunt autem ſic appellatum à Flaminica, id eſt, Flaminis vxore. Et quia Flamini non erat permiſſum cum vxore diuortium facere, inſtitutum vt etiam nouæ nuptæ hoc amiculi genere vterentur, boni ominis cauſa, & in ſignum indiſſolubilis coniugij.

10. Diſtrictè verò præcipitur, vt Sponſus & Sponſa *Diſtinct. 23. c. Sponſus. 30. q. 5 c. Aliter.* cùm benedicendi ſunt à ſacerdote; à parentibus ſuis, vel à paranymphis offerantur. Deinde, vt paulò ſupra ex Tertull. Euariſto, Clemente, conciliorumq; decretis confirmatum fuit; cum precibus & oblationibus à ſacerdote benedicantur. Sanctæ ſynodi Tridentinæ *Seſſ 24. cap. 1. de reform. matrim.* doctrinam ſolùm attexendam cenſeo: Denunciationibus factis, inquit, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Eccleſię procedatur: vbi Parochus, viro & muliere

interrogatis,& eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat; Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti: vel alijs vtatur verbis, iuxta receptum vniuſcuiuſq; prouinciæ ritum. Et paulò poſt: Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio ſacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omninò inhabiles reddit: & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit. Et rurſum poſtea: Habeat Parochus librum, in quo coniugum, & teſtium nomina, diemq́; & locum contracti matrimonij deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Poſtremò, ſancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum piè accedāt. Hucuſq; Patres Tridentini. Iſidorus quoſdam ritus inter ſuos ſeruari ſolitos, his verbis attexit: *Lib. 2. de diuin. off. c. 19.* Nubentes poſt benedictionem, vittæ vno inuicem vinculo copulātur, videlicet ne compagem coniugalis vnitatis diſrumpant. Quod verò eadem vitta candido purpureoq́; colore permiſcetur, candor ad munditiē vitę, purpura ad ſanguinis poſteritatē adhibetur.

II. Hæc autem in templis, adeoque coram altari, & inter Miſſarum ſolennia pro more peracta fuiſſe, non tātùm ex Tertulliani & Euariſti ſuper ius laudatis teſtimonijs colligitur: verū & ex iſta concilij 4. Carthaginenſis conſtitutione: *Can. 13.* Sponſus & ſponſa ad benedictionem ſacerdotis in templum dēducantur, & benedictione accepta, per noctem ſequentem proximam caſtitatem præſtent, pro ipſius benedictionis reuerentia. Idem confirmat etiam iſta Ambroſij pro virgine deprecatio, & ad nubentium ritus alluſio: *De inſtit. virg. c. 17.* Hæc famula tua, Chriſte, tuis aſſiſtit altaribus, non rutilanti cæſarie flauum deferens crinem, flammeo nuptiali dicatum: &c. Idem quoque alibi ſcribit, ipſum coniugium *Epiſt. 70.* velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oportere. *Ad conſulta Bulgaror.* Nicolaum quoq; ſummum Eccleſiæ Pontificem audiuimus conſtituentem vt benedicerentur, *Et 28. q. 1.*

can. Si quis Iudaicæ. Epiſt.2.c.6, velarenturq; Nubentes in Eccleſia Domini. Quod & confirmat Innocentius primus ex eo, quod primum parentem humani generis dum Euæ copularetur, Dominus in paradiſo benedixit.

12. Sponſum præterea annulo à ſacerdote benedicto, & in ſponſæ quartum digitum immiſſo eandem ſibi oppignerare conſueuiſſe, iã ſuperius ex Patribus demonſtratum eſt. Cauſa 30. q.5. can. Fœminæ.

13. Peractis in templo ritibus, mox ſuccedebant in domo Sponſi aut parentum Sponſæ honeſta pro facultatibus conuiuia, quibus conuocati aderant vtriuſque nubentis cognati, affines, vicini etiam mundioribus veſtimentis exculti, & cum moderatione aliquot dies epulabantur, cunctaq; fauſta nouis nuptiis precabantur, vt horum coniunctiones à ſcortationibus plurimum differre teſtificarentur. Manue ſic dicitur conuiuium feciſſe in nuptijs filij ſui Samſonis, cui etiam triginta ex ciuitate ſodales dicuntur adfuiſſe. Et de nuptijs Iſaac cum Rebecca per internuncium Eliezer pactis legitur: *Inito conuiuio veſcentes pariter & bibentes, manſerunt ibi.* Tradita filia Raguelis Tobiæ iuniori in vxorem, dicitur: *Et poſt hæc epulati ſunt benedicentes Deum.* Et poſtea: *Raguel vxori ſuæ dixit, vt inſtrueret conuiuium. Duas quoq; pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis ſuis, cunctiſq; amicis.* Et iterum: *Acceſſerunt ad conuiuium, & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.* Idem confirmatur in Euangelio exemplo Chriſti, Deiparæ, Apoſtolorũ, & aliquot aliorum, qui nuptijs in Cana adfuerunt. Item & parabolis illis, quibus regnum cælorum comparatur cũ homine Rege, faciente nuptias filio ſuo, & ad eas plurimos inuitante: & carentem veſte nuptiali ex iiſdem expellente. Item cùm dicitur: *Cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco.* Nec ſemel in Apocalypſi alluditur ad ornatum Sponſarum, gaudiaq; & conuiuia in nuptijs fieri ſolita. Meminit nuptialium conuiuiorũ Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium. Chryſoſtomus nuptias Chriſtianas hoc apparatu ornari deſiderat. Orna ſponſam (ait) manſuetudine & pudore: Vocetur ſponſus, accipiat virginem.

[Margin: *Iudic.14. Gen.24. Tob.7. Tob.8. Tob.9. Ioan.2. Matth. 22. Luc.14. Apoc.18. & 19. Hom.12. in epiſt. ad Coloſſ.*]

nē. Prandia & conuiuia nō ſint ebrietate plena, ſed ſatietate iucunda. Exhilaratis ędibus tuis, ex his quæ habes, voca vicinos & amicos & cognatos & quoſcunq; noueris probos, illos voca &c. Magnifica nuptiarum Mauritij Imperatoris ornamenta deſcribens Nicephorus inquit: Auguſtam, quæ & Conſtantina dicebatur, matrimonio ſolenni Imperatorum ritu ſibi iūnxit. Nuptiæ magnificæ prorſus imperiali pompa celebratæ, & epulationes ſplendidæ publicitus per vrbem omnem populo datæ, &c. *Lib.18. ca.8.*

14. Quia verò ſuccreſcente in dies hominum malitia & corruptione multa in his præter decorem & moderationem Chriſtianam & dicebantur & fiebant, prohibuerunt Patres, ne homines ſacri huiuſmodi nuptialibus conuiuijs intereſſent. Concilij Agathenſis, ante mille & centum annos celebrati hoc decretū eſt: Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, nuptiarum euitent conuiuia: nec his cœtibus miſceantur, vbi amatoria cātantur & turpia, aut obſcœni motus corporū choreis & ſaltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus ſacris myſterijs deputati turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur. Hæc in concilio Venetico paulo poſt repetita & confirmata leguntur. Antiſſiodorenſi autem hoc idem etiam prohibetur Abbatibus & monachis. Qua in re ne quis veterum Græcorum Patrum authoritatem deſideret, concilij Laodiceni, quod circa annum Domini 364. coadunatum, & poſtea ſexti vniuerſalis ſuffragio confirmatū fuit, decreta ſubijciam. Non oportet miniſtros altaris vel quoſlibet clericos ſpectaculis aliquibus, quæ aut in nuptijs, aut in ſcenis exhibentur intereſſe: ſed antequam Thymelici ingrediantur, ſurgere eos decernimus, & abire. Sunt autem Thymelici (vt & hoc obiter dicamus) geſticulatores, qui in pulpito orcheſtræ fabulæ ſubſeruiunt, & hiſtrionibus in ſcenam abditis populum geſticulationibus retinent. *Can. 28.* *Can. 11.* *Can. 24.* *Can. 54.*

15 Deniq;, & hoc pro more Chriſtiano in nuptijs receptum eſt, vt Sacerdos ipſum geniale lectum benedicendo, ſacris precibus ſalutem nouorum coniugum Deo commendet, faciatque horum honorabile con-

nubium in omnibus,&thorum ſine macula. Sic enim iuxta Apoſtolum, ſanctificatur omnis creatura per verbum Dei & orationem. Sed & hic ritus ſtabilitur
ob. 7.8.9. ex precibus illis, quas Tobias iunior & Sara noua cõiux, ex præcepto Raphaelis Archangeli coram Deo ſuderunt tribus noctibus, antequam commiſcerentur. Deinde & ex fauſtiſſimis illis benedictionibus,
Loco citato in fine cap. quas contingere eiſdem ſummis votis exoptabant Raguel, Gabelus, Anna, & alij pij, qui ad horum nuptiale conuiuiũ conuenerant. Quæ vniuerſa paucis, ſed grauibus his verbis confirmat concilium Tridentinũ: Si quæ prouinciæ alijs, vltra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremonijs hac in re vtuntur, eas omnino retineri ſancta Synodus vehementer optat. Et de his hactenus. Ad hiſtoriæ proſequutionem redeundũ.

15. Euoluto autem tempore per ordinem, inſtabat dies quo Eſther filia Abihail fratris Mardochæi, quam ſibi adoptauerat in filiã, deberet intrare ad Regem. Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunq; voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa & amabilis videbatur.

16. Ducta eſt itaq; ad cubiculũ regis Aſſueri mẽſe decimo, qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius.

17. Et adamauit eam Rex pluſquã omnes mulieres, habuitq; gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diademaregni in capite eius, fecitq; eam regnare in loco Vaſthi.

HAec eſt tertia pars capitis, qua deſcribitur, quo pacto beata Eſther perducta fuerit in cubiculũ regium, adeoq; Regi placuiſſe, vt eã ſuper reliquas omnes mulieres amauerit, & in propriã coniugẽ duxerit, atq; impoſito ſuper caput eius diademate, ſolẽni ritu in Reginã & imperij ſui cõſortẽ aſſumpſerit.

In quibus illud primo loco notandum occurrit, quod ſancta puella naturali decore cõtenta, non quæſiuit

ſiuit externum alium muliebrem cultum, cùm ad Regem eſſet perducenda; ſed eum tantùm admiſit, quẽ regius Eunuchus ſponte præbere voluit: ex quo ſummã eius modeſtiã, temperantiam, & pietatem colligere licet. Cùm enim aliæ omnes contentioſè ſtuderent precioſioribus veſtimentis & ornamentis ſe inuicẽ ſuperare, vt homini portentoſæ libidinis placerent: hæc paucis contenta, Deo euentum rei ſeipſamq; totã commiſit, apud ſe iſta animo recogitans: Ex Diuina lege patrumq; doctrina didici, vnum ſolum Deum eſſe infinitè potentem, ſapientem, miſericordem, bonum, pulchrum, amabilem; cunctos autem homines puluerem terræ, eſcam vermium, putidum cadauer, lutum. Illi igitur duntaxat placere, illius oculis gratã & formoſã apparere tota mente & ex omnibus viribus meis ſtudebo. Ille de me humillima ancilla ſua pro bona voluntate ſua diſponet, & faciet quęcunq; ſibi placuerint. Ipſi ſoli ſeruo fidẽ, ipſi me tota deuotione committo. An non hæc eximiæ fidei, pietatis, & moderationis animi certa ſunt argumenta?

Diſcãt ergo huius exemplo tum viri, tum mulieres; eò præſertim omnia ſtudia & deſideria ſua conferre, vt bonæ conſcientiæ ornamentis, & animorum bene compoſitorũ formis vni Deo placeant: adſcititia verò huius mundi corporũ ornamenta, vt vana propter eum deſpiciant; certiſſimaq; præmia cæleſtia pro hac pietate ſibi repromittant. Hæc enim ſola & vera eſt pulchritudo, quæ iudicio Dei pretioſa eſt, facitque vt Regi regum probemur, & ſpiritali matrimonio copulemur. Ait namq; ad animam huiuſmodi ſpecie decoram: *Surge, propera, amica mea, ſponſa mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Cant. 2. Et Apoſtolus ad hunc internum ornatum proſpiciens ſcribit: *Mundate manus peccatores; & purificate corda, duplices animo.* Iacob. 4. Diuinus etiam citharædus, omnem gloriam filiæ Regis regum tradit eſſe *ab intus*, id eſt, in virtutibus animi, quæ incredibiles excitant ſui amores: nõ in nitore carnis aut veſtiũ caduco ſplendore. Pſal. 44. Deniq; princeps Apoſtolorũ mulieres Chriſtianas exornans, ait: *Earũ non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorũ* 1. Pet. 3.

cultus:

cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.
Gen. 18. *Sic enim & ſanctæ mulieres ornabant ſe, &c.*

Mirum, quod hoc viderunt & docuerunt etiam ethnici. Crates enim ait: Ornatus eſt, quod ornat. Ornat autem, quod mulierem compoſitiorem ac modeſtiorem facit. At hoc nec aurum, nec ſmaragdus, nec purpura præſtat: ſed quæcunq; grauitatis, modeſtiæ,
Laërtius. & pudicitiæ ſignificationem habent. Socrates diſcipulis ſuadebat, vt frequenter in ſpeculo ſeipſos contemplarentur: & qui corpore pulcher appareret, curaret ne dignitatem corporis, turpificatis mentis moribus dedecoraret. Qui verò deformis, virtutis & ſapientiæ laude turpitudinem tegeret, & animi orna-
L. Oeconomi. mentis ſeipſum excoleret. Ariſtoteles minore cultu apparatuq; mulierem vti debere cenſet, quàm leges ac mores ciuitatis præſcribant. Quippe quam conſiderare conuenit, quod nec veſtimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri copia tantũ valet ad mulieris laudem; quantum modeſtia in rebus, ac ſtudium honeſtè viuendi & cum decore. Iuſtinus Hiſtoricus
Iuſtin. li. 20. refert Pythagoram matronarum doctrinam ſeparatam à viris habuiſſe. Nam docebat eas pudicitiã & obſequia in viros: hos verò modeſtiam & literarum ſtudium. Inter hæc, velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat: conſequutuſq; aſſiduitate diſputationum erat, vt matronæ auratas veſtes, cæteraq; dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent: pronuncians vera ornamenta ma-
Moſtell. act. 1. ſcena 3. tronarum pudicitiam, non veſtes eſſe. Pulchra etiam eſt illa Plauti ſententia: *Nequaquam or[n]ata eſt bene, ſi morata eſt malè. Pulchrum ornatum turpes mo[re]s peius cœno collinunt.*

Quid attinet his ſubiungere, quæ Tertullianus, libro de habitu muliebri, & libro de cultu fœmina[rum] [illegible] quæ illum imitatus Cyprianus, lib. de diſcipli[na] & habitu virginum; Ambroſius, libro de virginibus; Hieronymus, epiſtolis ad Lætam, ad Furiam, ad Euſtochium; Chryſoſtomus, paſſim; alii denique patres Chriſtiani de hac re eruditè & piè

tracta-

tractauerunt? Vnius tantùm parænesin ſubijciam: Prodite igitur vos, ait, iam medicamentis & ornamentis exſtructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia & ſpiritus taciturnitate: inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti: caput maritis ſubijcite, & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & pluſquam in auro placebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem, &c.

Hæc quoque ad viros transferre commodum fuerit, qui eò turpius laſciuè comuntur, & ornantur diſſolutè, quòd ſunt viri & mares. Iſtud certè etiam Ethnici grauiter coarguunt & damnant, ſcribente Poeta: *Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos: Nec tua mordaci* **Ouid.** *pumice crura teras.* Et rurſus: *Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina compti: Fine coli modico forma virilis amat.* Nec in- **Laertius.** ſcitè Diogenes, cùm adoleſcens quidam comptior propoſuiſſet quæſtiunculam; Non prius, inquit, reſponſurus ſum, quàm ſublatis veſtibus oſtenderis, vtrum maſculus ſis an fœmina: ex cultu parum virili notans illius mollitiem. Tullius duo pulchritudinis **Lib. 1. offic.** genera conſtituit, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas. Venuſtatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem. Ergo & à forma remoueatur (inquit) omnis viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu motuque caueatur. Et paulò poſt: Adhibenda eſt munditia non odioſa, neque exquiſita nimis, tantùm quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam. Sed ad noſtram Eſtherem redeamus.

Illa ex pupilla, exule, paupercula, captiua, gente cunctis exoſa, id eſt, ex puluere ſuſcitatur, & de ſtercore erigitur, vt ſedeat cum principe, & ſolium glo- **Pſalm. 112.** riæ eius teneat. Ita enim Deus ex muſca poteſt facere **1. Reg. 2.** elephantum, aurum de luto, gemmam de fimo, & de lebete phialam: quando homines coram mundo deſpectos & viles, in ſummum gloriæ, potentiæ & regię maieſtatis culmen extollit. Deponit potentes de ſedi- **Luc. 1.** bus,

bus, & exaltat humiles. Moſen & Dauidem à pedo ad ſceptrum euocauit. Ioſephum & Danielem de captiuitate ad ſummorum imperiorum clauum extulit. Eliſeum ex aratore oratorem, Amos ex bubulco vatem, Saul ex agaſone regem, Apoſtolos ex piſcatoribus & nautis, totius huius mundi doctores fecit & iudices. Hæ mutationes dexteræ Excelſi. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: idemque terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Humiliamini*, ait diuus Iacobus, *in conſpectu Domini, & exaltabit vos*. Et Apoſtolorum coryphæus: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die viſitationis.*

Pſalm. 76. 67. 65. Iacob. 4. 1. Pet. 5.

Stupendum profectò, quod hæc Diuinorum iudiciorum effecta etiam huius mundi Sapientibus innotuerunt, quando Valerius, Liuius, Tullius, Dionyſius, Diodorus, & plerique alij teſtificantur, multos ex humili loco natos, ad ſummas dignitates euaſiſſe. Nam Tullus Hoſtilius ex pecorum paſtore, Tarquinius Priſcus ex mercatore ac exule, & Seruius Tullius ex ſeruo, vt etiam nomen indicat, in Reges Romanorum euaſerunt. His adijciunt Socratem patre marmorario natum, Euripidem matre olearia, & Demoſthenem patre cultellorum venditore ſuſceptum, propter eximiam ſapientiam ac eloquentiam toto nunc mundo cum laude celebrari & commemorari. Quibus ſubnectere potuiſſent Virgilium Maronem ex patre figulo; Horatium Flaccum, & Statium Papinium ex libertinis; Aeſchinem ex * lucanicarum venditore; Theophraſtum ex ſutore; Menedemum ex ſcenefactorio; Pythagoram ex ſculptore; Iphicratem ex ſutore; Eumenem ex auriga; Viriatum ex paſtore; Arſacem ex latrone; Ptolemæum ex milite; Agathoclem ex figulo; Veſpaſianum ex centurione; Aelium Perrinacem ex mercatore; Aurelianum ex ignoto; Diocletianum ex notario; Maximum Pupienum ex fabro ferrario; Licinium ex agricola; Bonoſum denique ex Pædagogo patre ortum, alioſque plurimos aut ex poſtremæ notæ, aut penitus obſcuris ignotiſque parentibus extractos, vel in melioribus diſciplinis, vel in potentiſſimorum regnorum adminiſtratione euectos,

Val. li. 3. c. 4.

Baptiſta Fulgoſ. li. 3. c. 4.

* Gall. vendeur de ſauciſſes.

ctos, magnam nominis ſui laudem poſteris reliquiſſe. Poteſt ergo Deus *de lapidibus facere filios Abrahæ*, ipſoſque ligones in ſceptra conuertere. Ne quis igitur quemcumque alium pro abiectis deſpicatiſque natalibus deſpiciat: aut econtrario, de nobilioribus clarioribuſque nimium infletur aut ſuperbiat. *Lucæ 3.*

Cùm verò ſcribitur regem Aſſuerum Eſtherem ſuam adamaſſe *pluſquam omnes reliquas mulieres*, id de ſyncerò & maritali affectu intelligendum eſt. Illius namque ſimplicitate, pudicitia, moderatione, ac ſuauitate tantopere delectatus eſt, Deo præſertim ſecreto conſilio ſuo cor huius barbari ſolicitante, vt alijs omnibus quantumuis nobilibus, & ornatis iſtam vniuerſis præferret, huic vni toto affectu coniungeretur, huius ſolius conſuetudine contentus eſſet, qui antea exſatiari non poterat. Hoc proculdubio veræ pietatis meritum, hoc diuinæ prouidentiæ opus: quo docemur in Dei manu eſſe omnia corda hominum, quantumuis infidelium & barbarorum, vt eadem emolliat, frangat, cicuret, & in amorem obſequiumque ſeruorum ſuorum, quando expedire videbitur, conuertat. Sic aliquoties exacerbatum Saulis animum flexit *1. Reg. 20.*
in amorem Dauidis: Nabuchodonozoris in admirationem Danielis & ſociorum eius: denique & Pauli acerrimi perſecutoris hoſtiſq; Chriſtianorum, in eorum fidē ac religionem. Iure itaque Salomon ſcribit: *Cor regis in manu Domini, quocunq; voluerit inclinabit illud.* *Dan. 2. 3. 4.* *Actor. 9.* *Prou. 21.*

Admonentur quoq; Aſſueri exemplo viri omnes, quo amore quantaque beneuolentia coniuges ſuas proſequi debent, nimirum velut à Deo omnipotente ſibi datas & conceſſas ad poſteritatem propagādam, remedium carnalis concupiſcentiæ compeſcendæ, familiamque adminiſtrandam. Sic enim Euam ſuam è manu Dei gratiosè ſuſcipiens Adamus, cum gratiarū actione dixit: *Hoc nunc os de oſsibus meis, & caro de carne mea. Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, et erunt duo in carne vna.* Et Salomon ſcribit: *Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem vxor prudens.* Paulus quoq; magna authoritate præcipit: *Viri, diligite vxores veſtras ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Hāc verò *Geneſ. 2.* *Matth. 19.* *Prou. 19.* *Epheſ. 5.*

dilectio-

dilectionem quis hominum vel Angelorum ſatis explicaret? Nam ſeipſum tradidit pro ea, *vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ſibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Ita & viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua* Et rurſum: *Viri, diligite vxores veſtras, & nolite eſſe amari ad illas.* Ita namque ſeſe cum vxoribus vixiſſe, & ærumnas huius vitæ forti animo pertuliſſe exemplis docuerunt ſancti Patres. Abraham ſiquidem in cunctis proſperis, aduerſis, peregrinationibus, & virtutibus indiuiduam comitem habuit ſuam Saram; Iſaac ſuam Rebeccam; Iacob Rachelem & Liam. Tobias Annam ſuam, filij abſentiam grauiſſimè ferentem, conſolatus eſt. Helcana oblationes & vota perſoluēs pro vxore infœcunda exauditus eſt. Dauid duas vxores ab Amalechitis in captiuitatem abductas fortiſſimo prælio vindicauit. Hæc & alia multa ſunt officia piorum maritorum in coniuges: de quibus copioſius diſſeruimus Com. in 1. cap. Libri Ruth.

Coloſſ. 3. Geneſ. 12. 13. 15. 16. &c. Gen. 24. &c. Tob. 3. 1. Reg. 1. 2. &c. 1. Reg. 21.

Sed impium atque contra Diuinæ legis decreta factum videtur, vt Eſther veręreligionis ſtudioſa puella viro polygamo, incircunciſo, ac idololatræ nupſerit. Prohibet enim Deus Iſraeli fœdera inire, aut contrahere matrimonia cum gentibus, vt ſuperius attigimus; ne horum conſuetudine abducantur à vera fide ad impietatem & cultum falſorum deorum. Et per Ioſue dicit: *Si volueritis cum gentibus miſcere connubia, erunt vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris.* Exemplis plus æquo illud verum eſſe cōpertum eſt, quando plurimi eorum initiati Beel phegor, vt filiarum Madian potirentur. Et Salomon deos Tyriorum & Sidoniorum in gratiam alienigenarum vxorum ſuarum turpiter coluit: & Achab ſuæ Iezabelis deprauatus blandimentis, declinauit in Baalis execrandam idolomaniam. Et ne quis putet ſub Euangelio huiuſmodi nuptias licitas eſſe, Paulum graui oratione eaſdem prohibentem & damnantem exaudiat. Ideo martyr Cyprianus: Nuptias fidelis cum infideli appellat proſtitutiones membrorum Chriſti cum membris Satanæ: quod & Diuus

Exod. 34. Deut. 7. Ioſue 23. Num. 25. Pſalm. 105. 3. Reg. 11. 12. 2. Cor. 6. Sermon. 5. de lapſis.

Hiero-

Hieronymus multis confirmat. Subſcribit Ambroſ. in 7. cap. prioris ad Corinthios: & lib. primo de Abraham cap. nono. An non ergo aduerſus Diuinas leges peccauit beata Eſther, quando Aſſuero homini ethnico ac infideli nupſit? *Lib.1 adu. Iouin. Tertull lib. 2. ad vxor.*

Reſpondeo, primùm hoc factum eſſe ſingulari diſpenſatione, ſeu relaxatione iuris Diuini. Deus namque leges ſuas eadem poteſtate aliquando mitigat & relaxat, qua iuſtitia & æquitate condidit. Ita cum Samſone diſpenſatum eſt, vt ſemetipſum neci traderet, quantumuis lex prohibuerit, *Non occides*. Et cum Iſraelitis, vt pretioſas veſtes, vaſaque aurea & argentea, AEgyptiorum ſecum auferrent, tametſi lege vetitum ſit Furari, bonaque proximorum concupiſcere. Itaque cùm hæ Eſtheris nuptiæ tam feliciter toti populo Dei tandem ceſſerint, nemo ambigat occulto eius iudicio totum earum negotium peractum fuiſſe. Secundò, audacter affirmarim cum ſanctis martyribus Iuſtino & Irenæo, item D. Auguſtino paſſim libris aduerſus Manichæos, iſtud matrimonium, ſicut & Moſis cum AEthiopiſſa, Samſonis cum Philiſtæa, Salmonis cum Raab, & Boozi cum Rutha Moabitide, myſterium fuiſſe, quo ſignificabatur, & rebus ipſis affirmabatur & prædicabatur, Gentes, quæ diu ſine Deo, ſine lege, ſine teſtamento fuerant, aſſumendas eſſe in vnitatem fidei & communionem Eccleſiæ atque familiæ Chriſti. Tertiò, poſt Rupertum dixerim, Eſtherem tum temporis exulem & captiuam, ideoque non tam ſui iuris fuiſſe, quàm in Aſſueri poteſtate: ideoque illam ſeruiuiſſe neceſſitati, non voluptati, vt diſertè iſta ſua oratione confirmat: *Tu ſcis Domine, neceſſitatem meam, & quod ego cubile incircunciſorum & omnis alienigenæ deteſter.* Igitur vel ſola captiuitatis conditio illam ab omni peccato (ſi quid in hac re peccatum fuiſſe quis pertinaciter contendat) excuſare poſſet. Quartò denique reſponderim, hoc peculiare quiddam eſſe, quod nemo temerè in exemplum trahere debet: quandoquidem multa contigerunt veteribus illis patribus, quæ potius ſunt miranda, quàm imitanda: *Iudic.16. Exod.20. Exod.12. Iuſt. Dialog. Iren. lib.4. c. 37. Aug. tom. 6. Li.8. de virt. verbi Dei cap.17. Eſther.14.*

Deus quoque velit nos legibus atque præceptis ſuis viuere, non quorumlibet virorum aut mulierum exemplis.

DE INAVGVRATIONIBVS *Principum.*

PRAETEREA, cùm refertur impoſitum fuiſſe ab ipſo imperatore diadema capiti Eſtheris, videlicet in publicum teſtimoniũ inaugurationis, & regiæ maieſtatis, quam illi conferebat: oſtenditur vſum coronarum, diadematum, ſceptrorum, purpuræ, & aliorum ornamẽtorum tam regiorum quàm pontificiorum illis licitum eſſe, qui authoritate ſuprema alijs præeminent; quatenus hoc externo ſplendore & apparatu & ſubditis ſibi populis ſint honori, timori ac reuerentiæ; & eorum politicis virtutibus merces quædam & gloria ſaltem coram mundo rependatur: Dei omnipotentis denique, cuius in terris perſonam ſuſtinent, quodam pacto maieſtatem inter homines

Apocal. 6. & 14. referant: Filius etenim Dei, qui & ipſe vnà cum Patre vnus Deus eſt, ſcribitur accepiſſe *coronam auream in ca-*

Apoc. 1.2.4. *pite ſuo*: & Sanctis, qui cum ipſo in perpetuum regnabunt, *datas fuiſſe coronas aureas*, in ſignum proculdubio honoris & gloriæ. In regum quoque hiſtoria recita-

2.*Reg.* 1. tur, virum Amalechitam, poſt cæſum bello Saulem, diadema, quod fuerat in capite eius, & armillas de brachijs illius, tanquam ſigna regia attuliſſe Dauidi. Rurſumque eundem Dauidem velut his minimè

1.*Paral.* 20. contentum, capiti ſuo coaptaſſe coronam auream regis Ammonitarum, quando Raab ciuitas eius regia

4.*Reg.* 11. ab ipſo capta & populata fuit. Ioiada quoque conſtituens puerum Ioas regem pro Athalia, *poſuit ſuper eum diadema, & vnxit eum*, publico ſcilicet inaugurationis

1.*Mach.* 10. regum Iudæ ritu & ſolennitate. Scribitur quoque Ionathæ ſummo Iudæorum Pontifici & Duci miſſam eſſe purpuram, & coronam auream ab Alexandro rege Syriæ, in ſignum certum amicitiæ & poteſtatis, & cæt.

Ethnici porrò ſtrenuis militibus aut imperatoribus

ribus ſuis, qui ciuem bello ſeruaſſent, dabant coronas ciuicas ex querna fronde; obſidionales, ex gramine, ijs qui ciuitatem obſidione liberaſſent; murales ei qui primus hoſtilem murum conſcendiſſet; nauales, qui in marino certamine viciſſet; caſtrenſes, qui hoſtium caſtra ſuperaſſet atque cepiſſet; lauream denique Imperatori, ſi hoſtes reipublicæ fortiter profligaſſet; vt diffusè ſcripſit Alexander ab Alexandr. libro quarto genialium dierum, capit. decimo octauo. Qui & libro primo eorundem, refert apud priſcos varias fuiſſe diadematum formas & ſpecies, quibus diuerſarum gentium Reges, diuerſis ac varijs modis ſuarum dominationum inſignia præ ſe ferrent & oſtentarent. *Alexander ab Alex.* *Cap. 28.*

Aberrant enim à vero, qui putant Diademata ſemper fuiſſe ſolidas coronas ex auro gemmiſque diſtinctas, quales nunc videmus noſtris Regibus imponi: quandoquidem conſtat olim tam Romanis quàm exteris, fuiſſe candidam faſciam, quæ Regum capitibus obligabatur, quod etiam notauit Rhodiginus. Quomodo enim aliâs Alexander Lyſimachi vulnus medendi cauſa, detracto è capite diademate, alligaſſet: aut Mithridatis vxor diademate collo ſuo alligato vitam ſibi ſuſpendio eripuiſſet? Tigranes Armenius candidam faſciam inſigne regium ante Pompeij pedes abieciſſe dicitur, velut dominio cedens. Medis & Perſis cidaris cum cærulea faſcia albo diſtincta, cum amictu purpureo quadrangulari figura, pro diademate fuit. Darij diadema fuit purpureum albo diſtinctum, quod Alexander poſtea detulit. Syrij ſtolam & ſceptrum pro regio diademate habuerunt. Pharnaci Mithridatis filio haſta prælonga pro diademate à militibus data fuit: ſicut Amaſi galea, cùm in regem AEgypti aſſumeretur. Romanorum regum diadema aliquando fuiſſe legitur trabea, & purpureus amictus ſemicircularis. Numidis regibus ſceptrum in ſiniſtra, & candida in fronte vitta, inſigne regale eſt habitum. Macedonũ regum chlamys chauſia (ex lupo ceruario) & crepida. Aſſyriorum *Cælius Rhodigin li. 24. ca. 6.* *Plutarch.*

tiara diademate obuoluta, & tunica purpurea. Sardorum curru vehi, & rectam ferre tiaram. Siculorũ purpurea veſtis, argēteus baculus, & purpura gemmis extructa cum diademate. Phœnicum & Cilicum chlamys cum crepidis, & candicans diadema. Parthorum diadema ampliſſimum & latiſſimum, &c.

Sed quales inaugurationis ritus atque cæremoniæ? Inter Hebræos fuit publica manuum impoſitio coram ſummo ſacerdote, & diuinorum mandatorum breuis commemoratio. Ait enim Dominus ad Moy-
Num. 27. ſen: *Tolle Ioſue, & pone manum tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine, & dabis eis præcepta cunctis videntibus.* Adiecta his poſtea fuerunt
1. Reg. 10. vnctiones olei, & oſcula. *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput Saulis, & deoſculatus eſt eum.* Pari
1. Reg. 16. ritu poſtea vnxit & Dauidem. Et de Salomonis inau-
3. Reg. 1. guratione ſcribitur: *Deſcendit Sadoc ſacerdos, & Nathan Propheta, & Banaias, & Cerethi & Phelethi, & impoſuerũt Salomonem ſuper mulam regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon. Sumpſitque Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem; & cecinerunt buccina, & dixit omnis*
4. Reg. 9. *populus: Viuat rex Salomon.* Iehu quoque in locum Achab à quodam Propheta vnctus fuit: & qui aderant abiectis pallijs ſuis ſub pedibus eius, cecinerunt tuba, atque dixerunt, *Regnabit Iehu.*

Lib. 23. rerũ Roman. Et, vt de noſtris, id eſt, Chriſtianis dicamus, Paulus Diaconus ſcribit. Leo tertius Pontifex Rom. Carolo Magno Romam aduenienti coronam Imperatoriam ad altare Diui Petri inter Miſſarum ſolennia impoſuit, & veſtem induit, & oleo ita largè perfudit, vt à vertice ad pedes vſque diſtillaret, populo acclamante; Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria. Atque hinc factum eſt deinceps, vt qui Imperij ſceptrum ſuſciperent, à Pontifice inaugurarentur. Zona-
Tom. 3. Ann. ras autem teſtatur, Leonem Copronymum Conſtantinum filium Imperatorem coronaſſe, ſolēnibus precibus à Patriarcha in ipſa Paſchatis Dominica publicò ritu peractis. Pipinus Rex Francorũ appellatus eſt, & ad huius honoris dignitatem vnctus ſacra vnctione ma-

ne manu Bonifacij Archiepiſcopi & martyris,& more Francorum eleuatus in ſolium regni Sueſſonum ciuitate,vt eſt apud Ammoinum. Solebant etiam Patriarchæ & Archiepiſcopi ab his, quos ſuſpectos habebant de pietate, ante inaugurationem, ſcriptã promiſſionem exigere,ſicut Taraſius Conſtantinopol.à Michaele chirographum accepit,de recta fide,& quod à Chriſtianorum ſanguine abſtineret, & ſacris hominibus patronus eſſet.Deinde,in ambone templi coronatus,munera Patriarchæ, clero, ſenatui, & populo dedit.Procopiam quoque Imperatricem magna pompa coronatam,multis donis ſenatũ cumulaſſe, idem teſtis eſt.Vitichindus quoque author eſt, omnem populum Francorum, Saxonumque Othonem ſecundum in Imperatorem Rom. electum, in ſolio Aquiſgranenſis Eccleſiæ collocaſſe, eidemque fidem operamque ſuam promiſiſſe,Pontificem verò Moguntinum ex altari ſumpta ornamenta Imper. videlicet, gladium cum baltheo, chlamydem cum armillis,& baculum cum ſceptro & diademate eidem porrexiſſe; denique oleo ſancto perfuſum & coronatum, ad ſolium reductum, populo vniuerſo fauſta acclamante, ſacrificioque celebrato ad Palatium perductum fuiſſe.Sigebertus refert primò Aribonem Moguntinum Conrardum conſecraſſe:deinde Romanum Pontificem illum eundem in die Paſchatis,medium inter regem Angliæ,& Daniæ, & Burgundiæ inauguraſſe. Clemens tertius celeberrimo Paſchæ die, Henricum quartum,cum vxore Bertha, conſecrauit, Auguſtoſque,acclamante populo,appellauit,vt teſtis eſt Auentinus.Nauclerus memoriæ reliquit Henricum Friderici Imper.filium,per Engelbertum Colonienſem Aquiſgrani ſolenni pompa coronatum: Deinde vxorem eius,Ducis Auſtriæ filiam, in Imperatricem vnctam,coronatam,& in ſede regali iuxta maritum honorificè collocatam.

Lib.4.ca.61. de geſtis Francorum. Paul Diac. lib.24.

Lib.2.geſtorum Saxonicorum.

Anno 1027.

Lib.5. Annalium.

Volumine 2.gener.41.

Finem his imponemus, ſi ex Chronico Hirſaugienſi paulo latius Gulielmi Comitis Hollandiæ inaugurationem recitauerimus. Hunc in feſto omnium Sanctorum,Aquiſgrani,in modum Diaconi Dalma-

tica indutum, Epiſcopi Traiectenſis & Leodienſis Conrado Archiepiſcopo Colonienſi in templo benedicendum præſentauerunt. Ille collocans eum in ſedem regni dixit: Super thronum glorioſe ſedeas, & iudicium, & iuſtitiam in terra facias. Tum Chriſtianus Moguntinus Archiepiſc. cum oleo ſanctificato dexteram eius inungens dixit: Conſecrare te dignetur Omnipotens Deus in regem Romanorum, qui Dauid per manum Samuelis Prophetæ inungi iuſſit ſuper populum Hebræorum. Arnoldus Archiep. Treuirorum manus ſuper caput eius cum his verbis impoſuit: Deſcendat ſuper te Spiritus ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ, pietatis, fortitudinis, & conſilij, repleariſque ſpiritu timoris Domini. Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Archidapifer Imperij, globum aureum in manus illius poſuit dicens: Accipe globum ſphericum, vt omnes terræ nationes Romano Imperio ſubijcias, & Auguſtus glorioſus appellari valeas. Marchio Brandenburgenſis Camerarius regni, annulum in manum tradidit, dicens: Accipe ſignaculum monarchiæ, vt Romanum Imperium in ſuo vigore conſerues, & inuicta virtute ab omni barbarorum incurſu defendas. Dux Saxoniæ regis enſifer, gladium dedit ei dicens: Accipe ſceptrum regium, vt rebelles ſeuera correptione potenter affligas, omneſque beneuolos in tranquilla pace gubernes. Rex autem Bohemiæ pincerna Imperij, de conſenſu Archiepiſcopi Colonienſis coronam argenteam capiti regis impoſuit, dicens: Accipe diadema ſplendidum, vt ſis virtuoſis actionibus adeo coruſcus in terris, quatenus merearis coronam æternæ felicitatis habere in cælis. Amen. Ac de his ſatis: ad Eſtheris nuptias redeundum.

18. Et

18. *Et iuſſit Rex conuiuium præparari permagnificum cunctis Principibus & ſeruis ſuis pro coniunctione & nuptijs Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouincijs, & dona largitus eſt iuxta magnificentiam principalem.*

HIS deſcribitur magnifica planeque regia nuptiarum Eſtheris celebratio: ſimulque Aſſuerum in eius gratiā tria feciſſe. Primum eſt conuiuium opiparum & frequentiſſimum: quod etſi per ſe non ſit neceſſarium ad cōfirmandum nexum Nuptiarum, ſufficiatque Diuina earum ex verbo Dei inſtitutio & approbatio: pertinet nihilominus ad honeſtatem & ſolennitatem earum, vt noſcant vicini & omnes ad quos ſpectauerit, hunc hominem cum hac fœmina legitimè & ſecundum Dei legē conuenire more piorum patrum, & non inſtar fornicatorum aut adulterorū. Deinde cùm imbecillorū animi propter plurima incommoda graueſque moleſtias coniugij ſolicitantur ad defectionem: vel dubitandum an hoc vitæ genus ſit à Deo, & non potius (vt olim cenſuerunt Encratitæ) à Satana, conſcientias ſuas recreent & ſuſtentent recordatione magnificentiæ ſolennitatiſque nuptiarum, perſuadeantque ſe à Deo coniunctos fuiſſe, quod & publico Eccleſiæ teſtimonio cōfirmatum fuit. Ideo & à prima rerum origine ſumma cum feſtiuitate & hilaritate apud omnes ferè gētes nuptias celebratas fuiſſe legimus. Siquidem Alexander ab Alexandro decem & ſeptem diuerſarū orbis gentium diuerſos ritus & varias cæremonias, publicas aūt omnes in his obſeruatas deſcribit. Inter has, ſemper à ſolemni ſacrificio inceperunt & precibus, vt felicius eſſet matrimonium; deinde per aliquot dies ſimul epulabantur. Cæteros Gentilium ritus poſt eundem Alexandrum, diligenter copioſeque perſecuti ſunt Briſſonius & Antonius Hottomanus: nos in digreſſione, ſacras Chriſtianarum nuptiarum cæremonias attigimus. *Lib.2.gen. dier.cap.5.*

Nunc tantummodò Chryſoſtomum, abuſus, qui in Nuptijs ſuo ſæculo irrepſerant, arguentem

Hom.74. in Matth. producemus. Quis vxorem ducturus, inquit, quibuſnam ſit moribus, & quomodo puella educata ſit, inueſtigat? Nullus omnino: ſed pecunia ſtatim, poſſeſſionum magnitudo, & ſupellectilium quæritur. Stipulationes nuptiarum maiore aſtutia componunt, quàm eas quæ in vendendo vel emendo confici ſolēt. Priores ingenium, mores, animi virtutē quęrebant, ac ideo ſtipulationibus non indigebāt; ſufficiebat enim ſponſæ indoles, &c. Et idem alibi: Nuptiarum domū *Homil.43. in Acta.* conſideratione ingrediamur, & inueniemus eam refertā fœditate. Vide enim turpia illic verba, riſum incompoſitum, ſeſſiones magis incompoſitas, veſtem & greſſum plenum turpitudine. Inſanit tūc natura, præſentes pro hominibus bruta fiunt, & alij vt equi hinniunt, alij vt aſini calcitrant: magna diſſolutio, nihil maturum. Magna ibi diaboli pompa, cymbala, tibiæ, & cantica plena ſcortationum ac adulteriorum, &c.

Homil.12. in epi. ad Coloſ. Et idem rurſum alio in loco: Non theatrum ſunt nuptiæ: myſterium ſunt, & typus rei magnæ. *Myſterium hoc* (inquit Apoſtolus) *magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia*: Eccleſiæ & Chriſti typus ſunt nuptiæ, & tu ſcorta illuc inducis? Sed ſi neque virgines, neque nuptæ illic ſaltabūt, inquies, quis ſaltabit? Nemo. Quæ enim ſaltandi neceſſitas? In Græcorum myſterijs ſaltationes ſint: in noſtris verò ſilentium, decorum, pudor, modeſtia, &c.

Secundò, omnibus prouincijs tum requiem dediſſe Rex dicitur, quod duobus modis exponunt. Priore, inſtituendo feſtum diem agendum eſſe ab omnibus ſubditis, vt regiæ nuptiæ publico otio inſignirentur. Poſteriore, quod immunitatem aut ſaltem relaxationem quandam tributorum ad tempus ſubditis conceſſerit, vt omnes iſtud regis ſui matrimonium felix fauſtumque & ſibi, & toti imperio precarentur. Vtraque interpretatio placet Lyrano & Dionyſio: Ioſephus tantùm prioris meminit. Ex his autem obſeruādum, bonorum Principum eſſe, ſubditos ſibi populos à nimijs tributis exactionibuſque potius ſubleuare, quàm premere aut enecare, cùm illud ſit pietatis & humanitatis, iſtud verò barbarici atque crudelitatis.

Suc-

Suetonius enim ſcribit Tiberium aulicis ſuadentibus onerandas eſſe tributis prouincias, reſpondiſſe: Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere. Antoninus Pius in publica populi Romani calamitate ac fame, voluit potius imperialia ornamenta & propriam ſupellectilem diſtrahere, vt reipublicæ ſuccurreret, quàm vectigalia ciuibus imponere: inde Pij cognomen meruit. Valerius Publicola nunquam paſſus eſt, vt viduæ, pupilli, ſacri homines tributa ſoluerent: ex quo incredibilem ſibi omnium hominum amorem peperit. Contrà verò, acerrima ſibi odia conflauerunt Nero, Veſpaſianus, Caius, quòd omnes ordines immenſis tributis vexauerint. Eligant principes Chriſtiani vtrorum velint eſſe imitatores: animaduertantque Roboamum decem regni ſui partes amiſiſſe, quòd ſpreto ſeniorum conſilio, vectigalia duplicare minatus ſit. Itemque Antiochum Epiphanem à ciuibus Elymaidæ vrbis turpi fuga eiectum, & lapidibus propè obrutum, eò quod templi, & publici ærarij pecunias ſubripere conaretur.

Sueton. in Tiber. *Plutarch.* *Sueton.* *3. Reg. 12.* *1. Mach. 6.*

Definierunt autem ſacri Chriſtianæ Eccleſiæ Canones, ac etiam humanæ leges, tributa iniuſta eſſe, primò, quando imponuntur à non habentibus legitimam poteſtatem: Secundò, cùm in his non ſeruatur æqualitas; nimirum quando ex odio aut vindicta quidam grauantur præ cæteris: Tertiò, ſi exigantur ſine communi neceſſitate ac vtilitate reipublicæ; ſed magis pro voluptate aut commoditate priuata Principis: Quartò, tributa iniuſta ſunt, quando petuntur à perſonis Eccleſiaſticis, viduis, orphanis, pupillis: tum enim iuſta non ſunt tributa, ſed publica furta, rapinæ, latrocinia; & ea imponentes, exigentes, publicani, peccant aduerſus Deum & proximos. Scriptum eſt enim: *Non furtum facies. Rapinas nolite concupiſcere. Vę qui prędaris.* Et Sapiens in Prouerbijs: *Non facias violentiam pauperi, neque contereş egenum in porta: quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius.*

Exod. 20. *Pſalm. 61.* *Eſaiæ 33.* *Prouerb. 22.*

Tertiò, Rex non ſolùm Principibus, domeſticis, &

aulicis ſuis, ſed & pauperibus digna liberalitatis regiæ dona largitus aſſeritur. Id autem præter vulgi cõſuetudinem factum eſt, quandoquidem eam obtinuiſſe cernimus, vt conuiuæ nouos coniuges potius donis honorent ſecundum proprias facultates: hic autem è contrario beneficijs regijs illos cohoneſtat.

Lib. 8. de Inſtit. Cyri. Horum donorum quædam enumerat Xenophon, videlicet armillas, torques, veſtes, equos frænis aureis inſignes, cibos de propria menſa, &c. Ex quibus tria licet obſeruare. Primum, rationem in primis habendam eſſe pauperum & egenorum, dum celebrantur nuptiæ, ſeu alia quæcunque conuiuia.

Lucæ 14. *Cùm facis conuiuium*, inquit Chriſtus, *voca pauperes & debiles, qui nõ poſſunt tibi retribuere: retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum.*

Tob. 2. Tobias parato prandio, dixit filio ſuo, *Vade & adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, vt epulentur nobiſcum. &c.* Secundò, liberalitatem maximè decere Principes, nobiles, & potentes, qui huius mundi ſubſtantiam poſſident. Tertiò, hinc apparet ſuperiores illos Ethnicorum reges ac imperatores longè meliores ac humaniores fuiſſe principibus huius ſæculi quantumcunque ſe Chriſtianos venditent: qui tum præſertim exactionibus & tributis ſubditos ſuos miſerrimè diuexent, cùm nuptias vel proprias, vel liberorũ ſunt celebraturi. Surgent igitur illi in iudicio, & condemnabunt iſtam prauam generationem.

19\. *Cumq; ſecundò quærerentur virgines, & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis.*

20\. *Necdum prodiderat Eſther patriam & populum ſuum iuxta mandatum eius. Quicquid enim ille præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita omnia faciebat vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat.*

SVNT qui vocem *ſecundò* referant ad ſecundas nuptias, quas Aſſuerus contraxit cum Eſthere: primæ enim cum Vaſthi initæ fuerant. Quaſi ſenſus eſſet, Tempore ſecundarum nuptiarum Aſſueri,

cùm

çùm plurimæ virgines quærerentur & conuenirent, &c. Alij ad duplex gynæceum, videlicet virginum, in quo prius per annum purificabantur & ornabantur ſub cura Egei: & concubinarum ſeu fœminarum, quę ſub manu Suſagazi ſeruabantur. Primò itaque virgines congregabantur ducendæ ad gynæceum, cui pręerat Egeus: ſecundò autem ducendæ in domum pellicum regiarum, quarum cuſtos erat Suſagazus. Græci vocem illam prætermiſerunt.

Lyrani, Hugonis, & Dionyſij mens longè alia eſt. Arbitrantur enim Regem ſimulaſſe velle ſe aliā vxorem ducere, vt hac fictione ab Eſthere prædilecta extorquere poſſet, qua gente orta eſſet: & eam ob rem iuſſiſſe, vt aliæ virgines ſecundò conuocarentur in aulam Perſicam. Ipſam verò nec quicquam commotam aut perſuaſam eſſe, vt aliud faceret aut diceret, quàm nutritor Mardochæus præſcripſiſſet. Qua in re, primùm occurrit admiranda Eſtheris obedientia, qua ſic illi in omnibus obtemperat: nihil dubitans quin bono & commōdo ſuo iſtud ei ſilentium imperaſſet. Et hoc eſt, vt ſuperius attigimus, præcipuum piorum liberorum erga parentes, aut qui parentum eis loco ſunt, officium, vt illis honeſta vtiliaque imperantibus promptè ac humiliter morem gerant. Ad hoc enim ſpectat primum illud præceptum Diuinum, cui adiuncta eſt repromiſſio: *Honora patrem & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram.* Exod. 20. Iſaac patri ſuo Abrahæ, deinde filia Iephte, parentibus ſuis vſque ad ſpontaneam necem obtemperauerunt. Matth. 15. Epheſ. 6. Chriſtus homo humanis ſe ſubmiſit parentibus, qui & palam prædicabat, ſe veniſſe de cælo, non vt faceret voluntatem ſuam, ſed Patris, qui miſerat illum. Lucæ 2. Ioan. 6. Vbi verò nunc talem comperies in liberis obedientiam, reuerentiam, timorem, amorem? Non potius omnia plena cernuntur contēptu, rebellione, tumultu, ac incredibili impudentia aduerſus parētes? At his immorigeris cogitandum eſſet, quod ſicut pij liberi Diuinis promiſſionibus & benedictionibus fruuntur: ita econtrario ingrati, cōtumelioſi, peruicaces grauiſſimis ſupplicijs reſeruātur. Ait.n. Spiritus S. per os Salomon. *Qui*

male-

Prouer.20. *maledicit patri ſuo & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris*, id eſt, morte peribit immatura, & in maximis periculis à Deo derelinquetur. Et iterum: *Oculũ* Prou.30. *qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Id eſt, ſuſpenſum in patibulo rapacibus & carniuoris auibus ſit in eſcam & prædam.

Animaduertendum ſecundò, egregium ſilentij Eſtheris exemplum præclarum vniuerſis quidem, ſed præſertim mulieribus atq; puellis relictum eſſe. Nulla re (ait Sophocles) mulier magis cohoneſtatur, quã ſilentio. Euripides verò ſcribit: Silentium, & modeſtiã, & domi manere, mulieri dotes ſunt pulcherrimę. Serm.41. Et Maximus Philoſophus refert Socratem ſuos diſcipulos admonuiſſe, vt tria præcipuè in vita ſeruarent; videlicet, in animo prudentiam, in vultu verecundiã, & in lingua ſilentium. Plutarchus author eſt, Xenocratem Philoſophum, cùm in conuiuio cæteris multa garrientibus, ſolus nihil diceret, interrogãti, cur ſolus taceret, reſpondiſſe: Loquutum fuiſſe pœnituit aliquando, ſiluiſſe nunquam. Et vt ſacros prophanis Lib.5.ſtrom. adiungamus, Clemens Alexand. laudat Pythagoram quòd quinque annorum ſilẽtium diſcipulis ſuis indiceret, vt auerſi à rebus ſenſibilibus, nuda mente Deum contemplarentur. Qui plura deſiderat, legat Iacob. capit. ſecundo, Epheſ. quarto, & 5. Prouerb. 10. 12. 13. &c.

Præterea, patet etiam hunc Aſſuerum hominem fuiſſe effrænatę ſalacitatis ac proiectæ libidinis; ſiquidem ſuper quadringentas priores puellas, quas in gynæceo retinebat, alias rurſum ad concubinatum adduci curauerit. Sed quid mirum in hoc ethnico principe, cùm inter illos, qui Chriſtianiſſimi videri volunt, inuenias qui adulterijs, ſtupris, ſacrilegijs, inceſtibus ſatiari nequeant: ſed omnes quas poſſunt ancillas, puellas, matronas, ſpurciſſima libidine contaminent, vt vix ac ne vix quidem à ſororibus proprijs abſtineant? Verùm, recogitent quæſo, tanta flagitia nunquam manere inulta: ſed authoribus ſuis certum adferre exitium. Emor namque Dinæ raptum, Dauid

uid cum Bethſabea adulterium, Amnon Thamaris ſtuprum, Ben-iamitæ vxoris Leuitæ cuiuſdam abuſum, & alij multo plures vagas libidines non diu inultas tulerunt. *Ne ergo fornicemur*, ait Paulus, *ſicut quidam Hebræorum fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.* *1.Cor.10.*

Cùm ſubijcitur in hiſtoria, *Mardocheum manſiſſe ante ianuam regis*, id eſt, Perſarum more obambulaſſe ante regiam, vt Eſtheri ſuæ conſilijs & rebus ſemper præſto adeſſet: exemplum relictum eſt parentibus & tutoribus, vt liberorum ſaluti atque vtilitati conſulant, non modò cùm adhuc impuberes ſunt, vt ante monuimus, verùm etiam cùm ſunt adulti, & in matrimonio locati. Illos ſæpius inuiſant, inſtituant, moneant, ſolentur: & ſi diuites ſunt, doceant nullo luxu diffluere, pauperes non aſpernari; diuinum amorem & timorem nunquam ponere ex animis. Si pauperes, eorum res promoueant pro viribus, & ad honeſtos labores cohortentur, monentes vt precibus ad Deum fuſis expectent vt benedictione ſua illos bene fortunet. Sic Adam liberorum ſuorum alterum agros colere, alterum vitam paſtoritiam viuere verbo & exemplo monuit. Iacob pro paterna ſolicitudine ſua, Ioſeph filium ad confratres mittebat. Iob filios ſuos purificans pro ſingulis ſacrificabat. Miſerè verò perijt Heli cum familia, quod filios, tametſi iam vxoratos, non ſatis diligenter ſeueriterque corripuit, &c. *Geneſ.3.* *Tradit.Heb.* *Geneſ.37.* *Iob.1.* *1.Reg.2.4.*

Denique, cùm ſcribitur, Eſtherem reginam factam Mardochęi mandata non aliter feciſſe, quàm cùm adhuc paruula erat; cunctis imitanda proponitur illius pietas & animi modeſtia. Etenim nupta Imperatori potentiſſimo, qui tot gentes, prouinciaſque imperio ſuo ſubiectas tenebat, non erubeſcit patruum, ſeu magis patruelem, tametſi exulem, ex populo captiuo & exoſo, eiuſdemque monitis atque præceptis ſubiacere. Ex quo iterum monentur liberi etiam natu iam magni, quid honoris ac reuerentiæ debeant parentibus. Parentes, inquit nobiliſſimus orator, chariſſimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita eſt. Et Hieronym. Primus gradus *Cic. poſt reditum ad Senatum.*

 pieta-

Comment. in illá verba Honora pat. & matrem. pietatis eſt iſte, vt quos authores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequijs, abſtineas contumelijs; nec vultu lædenda eſt pietas parentum, &c.

Hæc porrò liberorum obedientia tantummodò ad ea extenditur, quæ diuinis mandatis nō aduerſantur. Nam ſi quid contrarium præciperent, illa omnino ſoluuntur, dicentibus Apoſtolis: *Oportet obedire Deo, magis quàm hominibus.* Et Chriſtus: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Matri de eius abſentia quærenti, reſpondit: *In his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe.* Moſes verò Deum ſic alloquitur: *Qui dixerunt patri ſuo & matri, Neſcio vos: & fratribus ſuis, Ignoro vos: hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum ſeruauerunt.* Huiuſmodi fuerunt Abraham, Ezechias, Ioſias, qui ex parentibus impijs nati, parentum errores non ſunt amplexati.

Act. 4. Matth. 10. Lucæ 2. Deut. 33.

21. *Eo igitur tempore quo Mardochæus ad Regis ianuam morabatur, irati ſunt Bagathan & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præſidebant: volueruntq́ insurgere in Regem, & occidere eum.*

22. *Quod Mardochæum non latuit: ſtatimq́ nunciauit Reginæ Eſther, & illa Regi ex nomine Mardochæi, qui ad ſe rem detulerat.*

23. *Quæſitum eſt, & inuentum & appenſus eſt vterque eorum in patibulo. Mandatumq́ eſt hiſtorijs, & annalibus traditum coram Rege.*

HAC poſtrema capitis parte refertur hiſtoria breuis quidem, ſed vtiliſſima, de duorum Eunuchorum in Regem conſpiratione, à Mardochæo detecta, & per Eſtherem Regi manifeſtata; quo factum eſt vt de ſeditioſis ſumptum ſit ſupplicium, Rex à nece liberatus, & res in annales Perſarum relata ſuo tempore Mardochæo & toti populo Hebraico maximè profuit. Eunuchos illos quidā aſſerunt fuiſſe principes cuſtodū corporis regij, alij cuſtodes aulæ, alij liminis, alij cuſtodes ſupellectilis: proinde illos tentaſſe

taſſe pocula in quibus rex bibebat veneno inficere, vt ſic eum tollerent. Hebræi namque cum Chaldæo Paraphraſtē conatum eunuchorum ad venenum referunt.

Cauſas verò conſpirationis aliquot adferunt. Primam editio Græca cũ Chaldæo Ieroſolymitano, aſſignat, quòd iniquo animo tulerint Mardochæum exulem prouectum ad honores. Secundam alij, quòd Vaſthi in gradu & honore deiectam dolebant: Eſtherem verò ignotæ gentis puellam in illius gradum aſſumptam. Nonnulli quòd ambitione ducti, regnum ſibi vſurpare (vt non pridem duo Magi fecerant) animis deſtinaſſent. Quidam, quod non ſatis ſtipendiorum ſuo iudicio pro laboribus acciperent, &c. Certè fieri potuit vt ſimul his omnibus occaſionibus incitati, Regi mortem inferre ſint conati. Nam auaritia, ambitio, inuidia, quæ præſertim aulicos poſſident, tres ſunt diaboli tam validæ machinæ, vt his etiam fortiſſimorum ſanctiſſimorumque aliâs hominum animos expugnauerit, & ad quodlibet audendum, tentandumque perduxerit. His enim de cælis deiecit tertiam partem Angelorum, de paradiſo primos parentes, Cain in fratricidium impulit, filios Iacob in Ioſeph fratrem armauit, Saulem regno exuit, Abſalonem aduerſus patrem incitauit, Giezi lepra percuſſit, Iudam ex Apoſtolo proditorem fecit. Hæc tria ſcelera tribus illis ſpiritibus deſignantur, qui inſtar bufonum exeunt de ore draconis, ad concitandum aduerſus Deum vniuerſum genus humanum, &c. *Apocal. 16.*

Sed quo pacto innotuit conſpiratio iſta Mardochæo? Reſpondet Ioſephus, alterum Eunuchorum habuiſſe ſeruum Iudæum, qui cum Domini ſui propoſitum intellexiſſet, Mardochæo indicauerit. Rabbi Salomon ſcribit, Eunuchos de ſua conſpiratione contuliſſe coram Mardocheo, ſermone Tharſenſi, putantes eum prorſus illũ ignorare; quod tamen falſum erat. Quicquid ſit de hac re, cernim⁹ dubio procul proditiones & conſilia impiorum quantumuis occulta, Deo eſſe notiſſima, eademque loco & tempore ab illo manifeſtari. *Ipſe etenim nouit abſcondita cordis: Scrutatur* *Pſalm. 43. Apocal. 2.*

tur renes & corda. Pater cæleſtis videt in abſcondito, & reddit in propatulo. Nihil opertum quod non reueletur. Illuminabit abſcondita tenebrarum. Nihil itaque impurum, nihil impium, nihil aduerſus Deum aut proximum cõſultandum eſt. Econtrario, magna nobis eſt indita neceſſitas iuſtè rectèque viuendi, qui cuncta cogitamus & facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis.

Matth. 6. Lucæ 12. 1. Cor. 4. Aug. cap. 14. Soliloq. Boet. lib. 5. de conſol.

Ex eo quoque quod rex Aſſuerus, qui tot prouincijs imperabat, in ipſo palatio, in metropoli, inter tot cuſtodes corporis, tot conuiuia, tot puellarum greges, tot denique delitias, de ſalute ſua periclitatur; conſpicere licet, quàm infelix & miſera, quantiſque periculis expoſita ſit vita Regum ac Principum huius ſæculi: quando nec à domeſticis miniſtris ſuis tuti ſint aut ſecuri. Etenim nec cibo, nec potu liberè fruuntur, ſed prælibatores eos habere oportet, ne ſubſit venenum. Neque ſomno tranquillè indulgent, ſed ſtipatoribus (quibus etiam parum fidei habent) communitos & circumſeptos eſſe neceſſe eſt, vt aliquantulum dormitionis ac quietis ſuffurentur. Palatia & caſtra illis frequenter ſunt pro carceribus, è quibus egredi non audeant. Purpura, illis ſepulcrum; cuſtodes, carnifices: quot ſerui, tot hoſtes. Qui alios terrent, plus ipſi timent: ſors iſta tyrannis, muniti gladijs viuunt, ſeptique venenis. Felices profectò præ iſtis ſunt agricolę & opifices, ſi ſua bona norint. Cùm hic potentiſſimus monarcha de noua vxore diſſuauianda & amplexanda tantùm cogitaret, dum conuiuijs, iocis, feſtis omnia perſtreperent, omnia tuta putarentur: ecce ad necem quæritur, idque non aperto marte, ſed ex inſidijs, & à domeſticis proprijſque ſatellitibus. Magnus Nabuchodonoſor ex media ſua Babylone & gloria ſubitò in belluam euadit, expellitur, & inter feras ſeptem annis commoratur. Balthaſar inter epulas terretur portento cæleſti, regno abdicatur, nocte proxima interimitur. Holofernes in meditullio victoris exercitus mulieris manu truncatur. Alexander Orientis victor, veneno tollitur inter Babylonicas voluptates. Cæſar poſt arreptum Romanorum imperium, in medio Senatu confoditur viginti & tribus

Daniel. 4. Daniel. 5. Iudith. 8. & 13. Q. Curtius. Sueton. Plutarch.

bus vulneribus. Plenæ ſunt regum Iſraelis hiſtoriæ *Valerius.* Principum prodiroribus & necatoribus. Dionyſius, *Tullius.* ne à tonſore confoderetur, proprias filias tondere docuit. Et ab his quoque cùm eſſent adultæ ferrum remouit, iuſſitque vt candentibus nucum putaminibus barbam ſibi & capillos adimerent. Nec ſecurius maritum egit quàm patrem. Ad vxores namque ſuas non prius accedebat, quàm & veſtes & arculas earum ſpeculatus eſſet, ne quid periculi ibidem abſconderetur. Latam foſſam cubiculari lecto veluti caſtra circumdederat, eiuſdemque foſſæ tranſitum ponticulo ligneo coniunxerat, quem ingreſſus poſtea ad ſe retorquebat. In communibus ſuggeſtis non audens verba facere, de altiſſima turri loquebatur. Quid his miſerius & infelicius? Nec beatior Maſſiniſſa Numidarum rex, qui cuſtodię canum potius quàm hominum ſalutem ſuam credebat; plus fidens eorum latratibus & morſibus, quàm militum & familiarium ſuorum gladijs, &c. Adeo miſerabilis & varijs periculis expoſita eſt Principum conditio.

Sed quam ob rem iſtud ita contingit? Ex aulis eorũ Regis regum & Domini dominantium timor, amor, cultus frequentius exulat: non cogitant ſe illius beneficio & gratia ſceptrum, opes, vitamque tenere: data poteſtate abutuntur ad omnia turpia deſignanda: hinc fit vt qui iudicem viuorum & mortuorum non timeant, homines timere cogantur. Vt impij Nembrothi, & gygantum fraterculi, Deo vero & viuo ſuperba colla flectere nolunt, ſic debitam ſibi reuerentiam & obedientiam amittunt. *Qui honorificauerint me,* inquit, *honorificabo: qui autem contempſerint me, erunt ignobiles.* Aduerſus Dauidem, Salomonem, Roboam, Achabum tum inſurrexerunt ſubditi; cùm ipſi prius à Deo deſciuiſſent. Hinc ergo diſcant omnes ſeipſos ſuaq; Deo humiliter ſubijcere, eidem debitam reuerentiam & obedientiam reddere; ſiquidem voluerint vt ſubditi viciſſim eos reuereantur & audiant. Perſpiciant quoque ſubditi & priuati, vitam mediocrem longè beatiorem & tutiorem ſublimiori, & Regum glorijs ac felicitatibus non inuidere: ſed ſua ſorte con- *1. Reg. 2.*

M tentos

Horat. tentos eſſe. Eſt enim aurea mediocritas. Nimia omnia *Plaut.* nimium exhibent negotium hominibus ex ſe. Apprimè *Terent.* in vita hominis vtile eſt, vt ne quid nimis.

Mardochæus porrò inſidias Regi per Eſtherem patefaciens, præclarum fidelitatis exemplum ſeruis ac ſubditis erga dominos Principeſque ſuos reliquit. Hoc autem ex his Ieremiæ ad exules concionibus didicerat: *Quærite* (inquit) *pacem ciuitatis ad quam Deus vos transſmigrare fecit: & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax veſtra.* (Ierem. 29.) Alto etiam animo repoſtam habebat hanc Baruc ad commigrantes exhortationem: *Orate pro vita Nabuchodonoſor regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius, & ſeruite illis multis diebus, vt inueniatis gratiam in conſpectu eorum.* (Baruc. 1.) An non his per Prophetas diuinis præceptis ſtrenuè operam præbet: quando ſuperiorum Regum ſucceſſoris ſaluti, & reipublicæ, adeoque toti Perſarum regno aduerſus proditores & homicidas tam ſtudiosè conſulit: Quod ſi tantam fidem præſtitit ei, quem infidelem & barbarum nouerat, quanto magis nos magiſtratus Chriſtianos & Principes verè Catholicos omni honore, reuerentia, fidelitateque proſequi decet? *Matth. 22.* Chriſtus reddenda eſſe Cæſari, quæ ſunt Cæſaris præcepit: *1. Tim. 2.* Paulus orandum pro omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti ordinauit: *1. Petr. 2.* Petrus dominis etiam diſcolis, duris & moroſis obediendum eſſe ſanciuit. Quid ad hæc perduelles aduerſus legitimum Imperatorem in Germania Lutherani? aduerſus Reginam in Scotia, & duos Reges in Francia Caluiniani? An non veri filij Belial, id eſt, ſine iugo & diſciplina? Verùm, vt Donatiſtæ Africam, Arriani Oriētem, Huſſitæ Bohemiam, ſic illi & iſti quod Chriſtianæ fidei in Europa reliquum eſt, in ſectas lacerare, perturbare, contaminare, & ſupremo illi perditionis filio traducere animis conceperunt & decreuerunt.

Eſther quoque fidiſſimæ erga virum coniugis præſtat officium, quando monet illum vt ſaluti ſuæ mature conſulat, & à ſicarijs proditoribuſque ſibi diligenter caueat. Ita enim decet pias vxores vitam maritorum veluti propriam, habere chariſſimam, & pro

viri-

viribus ab omni periculo ſeruare. Sic enim Michol Dauidem virum ſuum per feneſtrā domus emiſit, & patris ſui ſatellites, ſimulacri in lecto decumbētis inſtar infirmi, pia fraude illuſos, inanes ad Saulem remiſit. *1. Reg. 19.* Anna Tobiæ ſenioris vxor maritum proprijs laboribus domi fouebat & nutriebat, interea cùm præ cęcitate ſibi prouidere non poterat. *Tob. 2.* Valerius & Fulgoſius multis laudibus cumulant Thuriam, Sulpiciam, Chiloniam, Antoniam, Egnatiam, quæ ingenti pietate ac fide in viros, aut eorum vitam è ſummis periculis vindicarunt, aut deportatos in exilium conſtanter ſunt conſequutæ; cùm ipſæ in pace & delitijs viuere potuiſſent. *Lib. 6 cap. 7.* Deteriores feris & belluis ſunt Semyramis, Olympias, & aliæ pares lupæ: quæ vt adulteris ſuis liberius fruerentur, maritis legitimis necem procurauerunt.

Ex hoc etiam Mardochæi facto apparet, Deum aliquādo per abiectos, viles, & pauperes, ſummos viros, quales ſunt Imperatores & Reges, vel à morte liberare, vel magnis beneficijs afficere: atque ideo nemīnem quantumuis coram mundo deſpectum, aut exilij aut denique paupertatis nomine contemnendum eſſe. Nam Mardochęus exul, captiuus, ex gente ethnicis contemptibili, plus Aſſuero profuit; quàm omnes cohortes, ſatrapæ, opes, arces, & palatia. Non dicat igitur oculus, non dicat lingua, non dicat auris, non dicat ipſum caput, quantumuis in corpore emineant, inferioribus ac vilioribus corporis partibus, non eſtis mihi neceſſariæ, veſtris functionibus ac miniſterijs non indigeo. Etenim membra corporis quæ videntur infirmiora, ſunt magis neceſſaria: & quæ putamus ignobiliora, *his abundantiorem honorem circundamus.* *1. Cor. 12.* Nō ſit ergo ſchiſma in corpore, ſed pro inuicem ſolicita ſint membra. Ioſeph vēditus in ſeruum, & adulterij inſimulatus illicò ad carceres & furcam rapiendus, non modò ipſam Aegyptum, ſed & vicinas prouincias gentesque à crudeliſſima fame morteque ſeruauit. *Geneſ. 41.* Iephte à contribulibus & agnatis vt nothus & vilis patria pulſus, eos tandem liberat ab Ammonitis, factus Iſraelis iudex & imperator. *Iudic. 11.* Nemo igi-

 tur pau-

tur pauperculum viticolam, agricolam, ruſticum dicentem aſpernetur: quandoquidem eſt olitor aliquando oportuna locutus: & ſub ſordido palliolo, ſæpe latet ſapientia.

Adhæc, conſpicimus quantum bonum, quamque Deo gratum & acceptum opus ſit, pupillis & orphanis benefacere. Aſſuerus etenim licet inſcius Eſtherem pupillam domi fouet, & in vxorem aſſumit: & Deus viciſſim benefacit Aſſuero, procuratq; vt illius & Mardochæi miniſterio in ſummis vitæ & regni periculis, incolumis ſeruetur. Sic adimpletur hæc Spiritus ſancti per Sapientem pollicitatio: *Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam: & ſi nō ab ipſo, ſaltem à Domino.* Pater cæleſtis qui videt opus tuum in abſcōdito, remunerabit tandem in manifeſto: nimirum quando Filius coram patre, angelis, & ſanctis omnibus dicet, *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. &c. Pietas,* inquit Apoſtolus, *promiſsionem habet vitæ quæ nunc eſt, et futuræ.* Omni ergo fraude & perfidia fallunt, turpiterque ipſi falluntur huius æui ſectarij, cùm autumant, Iuſtum in omni bono opere peccare: omniaque iuſtorum opera quantumuis bona videantur, nihil aliud quàm æterna gehennæ ſupplicia in conſpectu Dei promereri.

Eccli. 12. *Matth.* 6. *Matth.* 25. 1.*Tim.* 4.

Magna quoque prudentia Aſſuerus nec contempſit omnino, nec leuiter nimis credidit admonitioni de cōſpiratione Eunuchorum, ſed illam inueſtigauit diligenter. Si pari ſagacitate Godolias, quem reliquijs Hebræorum præfecerat in Iudæa rex Aſſyriorum, inquiſiuiſſet in delatum ſibi nefarium proditorem & ſicarium Iſmaelem, acerbam ſibi & toti populo necem euaſiſſet. Cōtra verò cùm Phutiphar temerè credit vxori Ioſephum innocentem ſicut reum carceribus mancipat, & ferro compedibusq; vincit. Hanon rex Ammonitarum aulicis nimis credulus, legatos Dauidis vt exploratores contumelijs afficit, & ſibi totiq; regno poſtremum accerſit exitium. Ideò iudicibus magiſtratuique diuini populi prohibitum fuit, ne rumoribus crederent; ſed inquirerent diligenter de cauſis accuſatorum, priuſquam in eos ferrent ſenten-

Ierem. 40. & 41. 4*Reg.* 25. *Geneſ.* 39. *Pſal.* 104. 2.*Reg.* 10. *Exod.* 23. *Leuit.* 19. *Deut.* 27. & 29.

tiam

tiam. Pilatus tametſi infidelis, Chriſtum inauditum
damnare noluit. Laudatur Cæſar, quòd vnam au-
rem delatoribus accommodans, alteram manu obtu-
ratam profitebatur ſe defenſori reſeruare.

In eo autem quo dicitur Aſſuerus vtrumq; Eunu-
chum, vel propria videlicet confeſſione, vel teſtimo-
nijs euidentibus reum factum, iuſſiſſe appendi pati-
bulo, docemur proditores, homicidas, & perturbato-
res reipublicæ tollendos eſſe de medio. Sic olim Da- *2.Reg. 1.*
uid virum Amalechitam iactantem ſe occidiſſe Saul,
pręcepit occidi. Duos inſuper alios, qui caput Isboſeth *2.Reg. 4.*
præſciderant, & ad ſe attulerant, neci tradidit. Ioab *3.Reg. 2.*
qui duos Iſraelis duces proditoriè trucidauerat, Salo-
mon vita priuauit, etiam cornua ſanctiſſimi altaris
amplexantem. *Virum etenim ſanguinum & doloſum abo-* *Pſalm. 5.*
minatur Dominus. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt *Pſal. 54.*
dies ſuos. Lex namque data Noe de non fundendo ſan- *Gen. 9.*
guine humano, & poſtea cõfirmata per Moſis legem, *Exod. 20.*
decreuit homicidium omne capite luendum eſſe. *Deut 5.*

Auget Eunuchorum atrienſium ſcelus, quod cri-
mine Maieſtatis humanæ læſæ imminutæque ſeip- *Vlpianus in*
ſos commaculauerunt. Cùm enim Reges principeſq; *lib. 1. ad leg.*
Dei viuentis in terra vices gerant, crimen in hos com *Iul. Maieſt.*
miſſum ſacrilegio proximum eſſe leges voluerunt.
Committitur verò pręſertim, ſi quis ambiat regnum,
vel in Principis perſonam aliquid mali moliatur. Re-
ferunt hiſtoriæ Regum, Baaſan, Zambri, Elam, Amri
iuſtè cæſos eſſe, quòd in Reges ſuos inſurrexerant. *Valer lib. 6.*
Spurij Melij regnum affectantis, populi iudicio do- *cap. 3.*
mus complanata eſt, & ipſe Quintij Cincinnati di- *Liuius dec. 1.*
ctatoris imperio cæſus. Manlius inde pręcipitatus eſt, *lib. 4.*
vnde Gallos depulerat, quia patriæ libertatem oppri- *Liu. dec. 1.*
mere conatus eſt. Spurius Caſſius ob concupitam do- *lib 6.*
minationem, capite punitus, domus eius ſubuerſa, & *Valer. lib. 6.*
interempto ſuperiecta, & peculium eius Cereri con- *cap. 3.*
ſecratum. Gallus prætor, accuſatus quòd in mortem *Plin. lib. 34.*
Octauij Cæſ. conſpiraſſet, morte damnatus eſt, domo *hiſt. c. 4.*
eius à plebe direpta & diruta. Aelius Seianus crimine *Appian. li. 3.*
maieſtatis damnatus, multatus eſt capite, & caput in *bel. ciuil.*
gemonias ſcalas proiectum, omnibus liberis eius in- *Cor. Tac. li. 5.*

Curt. li. 6. de geſtis Alex. terfectis. Narrat Curtius legem Macedonum fuiſſe, vt propinqui eorum qui Regi inſidiati fuiſſent, cum ipſis necarentur. *Cæſar l. 3. cō.* Heluetij, ambientem dignitatem regiam igni cremabant, vt de Orgentorige reo ſcribit *Iuſtin. li. 12.* Iulius Cæſar. Beſſus, qui Darium Regem, & amicum *Curtius.* ſuum interfecerat, duabus arboribus inflexis alligatus, diſcerptus eſt. Adeo conſtat omnium gentium monumentis, infidos dominorum ſuorum cuſtodes, & læſæ maieſtatis reos funeſtiſſimum exitum ſortitos eſſe.

Denique, Aſſuerus irremuneratum ſinens Mardochæum, magna ingratitudine peccat in Deum, & in proximum. Quod exemplum debet animos piorum confirmare aduerſus immanem & belluinam huius mundi ingratitudinem. Etſi enim eorum ſtudia & benefacta in rempublicam in præſenti non compenſentur: eſt tamen Deus in cælo, qui eorum non obli-*Heb. 6.* uiſcetur. *Non eſt iniuſtus Deus*, inquit Paulus, *vt obliuiſ-* *Galat. 6.* *catur operis veſtri boni. Bonum ergo facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus.* Mardochæus namq; paulo poſt in huius beneficij gratiam, palatio præfectus eſt, & ſecundus à rege honoratus; & hoſtes populi ſui vltus, eundem ab exterminio liberauit.

Quod autem in Annales referre, quæ geſta fuerant Imperator præcepit, exemplum præbuit alijs Regibus, vt non niſi rebus æterna memoria dignis, & ab omnibus legendis & cognoſcēdis incumbant. Quod & Auguſtus filiæ ſuæ Iuliæ, & neptibus alteri Iuliæ, *Suet. in Aug.* & Agrippinæ præſcripſit. Suetonius namque ſcribit eum vetuiſſe illas loqui, aut agere quicquam niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. *3. Reg. 14. 15. 16. 22. & 4. Reg. 1. 8. 10. 12. 13. 15. 16. 20. 21. 24.* Hebræos etiam in libros retuliſſe geſta Regum ſuorum manifeſtum eſt ex frequenti horum iſta commemoratione: Nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonum & dierum regum Iuda?

LIBRI ESTHERIS CAPVT TERTIVM.

1. *Poſt hæc, rex Aſſuerus exaltauit Haman filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag: & poſuit ſolium eius ſuper omnes principes quos habebat.*

DEſcripta Eſtheris electione, matrimonio, atque in ſummam orbis imperatricem inauguratione, nunc ſubijcitur extremum periculum quod populo Hebrçorum conflatum fuit ab Hamane crudeliſſimo tyranno. Sunt autem totius capitis quatuor partes. Prima comprehendit indignam Hamanis à rege Aſſuero ad ſummos honores proue ctionem. Secunda, Mardochæi excelſum infractumque animum, quo noluit inſtar aliorum omnium aulicorum, hominem illum ſuperbũ, ambitioſum, & crudelem demiſsè colere aut venerari. Tertia, quopacto conatus ſit Haman ob vnius Mardochæi odium, vniuerſæ genti Iſraeliticæ crudelem necem inferre. Quarta, quomodo Hamane & Rege (cuius nimia facilitate abutebatur) conuiuantibus & lætantibus, pij Iudæi luctu & mœrore ob crudelia edicta ſeipſos conficiebant. In his multa nobis à Spiritu Sancto proponuntur animo & cogitatione complectenda, nimirum, quàm corrupta ſint omnia in aulis principum; quàm barbari & immanes tyranni contra pios Dei ſeruos; quàm vana eorum conſilia: diligentibus autem Deum omnia tandem cooperari in bonum: & alia multo plura, quæ ſuis locis notabuntur.

Variæ porrò ſunt ſcriptorum ſententiæ de ſtirpe ac proſapia huius Hamanis. Primò enim à veteri Latino interprete dicitur *de ſtirpe Agag*: cui conſentanea interpretatur Chaldæus dicens: Poſt illa, magnificauit rex Aſſuerus Hamanem Hamadathæ filium, qui erat ex ſemine Agag filij Amalec, de

*Li.*11.*Antiq. cap.* 6. quo 1. Reg. 15. Subſcribit Ioſephus his ex Ruffino interprete verbis: Eo tempore Haman Hama-dathi filium, genere Amalechitam, peregrini & Perſæ ſalutabant. &c. Nec ab his diſſentit Lyranus, ſcribens: Iſte Agag fuit rex Amalec, quem Samuel occidit. Et ideo iſte Haman habebat exoſos Iudæos, quia Saul rex Iſrael, vaſtauit regnum Agag, interficiens Amalechitas viros, & mulieres, & paruulos. *1.Reg.* 15.

Sed huic ſententiæ repugnare videtur interpres Græcus, hunc Eſtheris locum ita reddens: Μετὰ ταῦτα ἐδόξασεν ὁ βασιλεὺς Ἀρταξέρξης Ἀμὰν Ἀμαδαθοῦ Βουγαῖον. Poſt hæc, rex Artaxerxes glorificauit Haman Hamadathi Bugæum. Idem rurſum caput nonum ſic transfert: ὡς γὰρ Ἀμὰν Ἀμαδαθοῦ Μακεδὼν ταῖς ἀληθείαις ἀλλότριος τοῦ τῶν Περσῶν αἵματος. Vt enim Hamadathi filius, Macedo, veritatibus alienus Perſarum ſanguinis. Et capite decimo ſcribit: Πῶς Ἀμὰν Ἀμαδαθοῦ ὁ Μακεδὼν ἐπολέμει αὐτοῖς. Quomodo Haman Macedo bellum inferebat eis. Author etiam veteris interpretationis Latinæ, capite duodecimo, verſu 6. eundem Haman Bugæum appellat. Et capite 16. verſ. 10. ait: *Haman filius Hamadathi, & animo, & gente Macedo, alienuſque à Perſarum ſanguine*: quod ex Ioſephi antiquitatibus ad verbum deſumptum eſt. Seuerus Sulpitius Haman conſtanter Perſam appellat, Rupertus Bugæum adfirmat, nec tamen quid ſibi velit hæc nomenclatio aperit. Quomodo ergo ſimul Amalechita, Macedo, Perſa, & Bugæus eſſe potuit; niſi dixeris, patre quidem Amalechitam, matre Perſica natum, natiuitate ac moribus Macedonem, familia verò Bugæica illum fuiſſe? Nec enim inter ſe iſta pugnant. Sed & Herodotus cuiuſdam Bogis ex Eione meminit, cuius liberos maximo inter Perſas honore Xerxes proſequebatur, à quo Bogæus vel Bugæus appellari potuit. Eion autem Stephano eſt vrbis Macedoniæ, quæ nunc Amphipolis dicitur. Itaque ſyncere Lector, Si quid nouiſti rectius iſtis, candidus imparti: ſi non, his vtere mecum.

*Lib.*11.*cap.*6. *L.* 2.*hiſt.ſac.* *Li.*8.*de vict. verbi c.* 6. *Lib.*7.

Cæterùm

Cæterùm, ex his perſpicimus initio quàm corrupta & deprauata ſint omnia in aulis regum & principum huius ſeculi, in quibus maiore pretio habentur, ditantur, & exaltantur frequentius peregrini, quàm domeſtici: aſſentatores qui non modò ſenſum ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum ad voluntatem eorum componunt, quàm qui vera prædicant. Adeo illinc exulant Dei agnitio, timor, cultus, & recta ratio: principem verò locum tenent luxus, ambitus, & omnis corruptela. Affectibus omnia reguntur, non ratione aut legibus. Boni raro remunerantur, impij frequentiſſimè & cumulatiſſimè. Haman nulla virtute nobilis, ſed impius, honorum ad inſaniam vſq; cupidus, populi diuini hoſtis nimium ferus & immanis, à potentiſſimo imperatore in tantum dignitatis faſtigium euehitur, vt loco & authoritate omnes aulæ Perſicæ principes & ſatrapas exuperaret: Mardochæus Deo charus, quique vitam Regis ſeruauerat, cum toto Iſraele in mœrore & ſqualore verſatur. Iannes & Mambres hoſtes veritatis, ſeruis Dei Moſi *Exod. 7.* & Aaroni ita prælati ſunt in aula Aegyptiaca Qua- *2.Tim. 3.* dringenti quinquaginta miniſtri Baal, & quadringenti lucorum pſeudo-Prophetæ comedebant de menſa Iezabelis reginæ. Elias verò ſeruus Dei in deſerto pro *3.Reg. 18.* fugus ieiunabat quadraginta diebus & noctibus Procaciſſima ſaltatrix dimidio regni Galilææ (ſi illud pe- *Matth. 14.* tere voluiſſet) compenſatur in aula Herodiana; Ioannes, *quo non ſurrexit maior inter natos mulierum*, vinculis *Mar. 6.* conſtrictus in carcere ſpiculatoris manu capite minuitur. Quotidiana aliorum reproborum Regum exempla tam externa quàm domeſtica prætereo.

Sed quamobrem iſtum nequam, huicq; ſimiles peſtiferos homines permittit Deus in tam ſublimes honorum & poteſtatum gradus conſcendere? Vt lapſus eorum non tantùm grauior & miſerabilior ſit, ſed toti mundo conſpectior & manifeſtior: horumque exemplo diſcant omnes *non altum ſapere, ſed timere. Deie-* *Rom. 11.* *ciſti eos* (inquit Pſaltes) *dum alleuarentur.* Et admirans *Pſalm. 72.* tantos caſus, *quomodo* (infit) *facti ſunt in deſolationem? ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.* Et rurſus: *Ini-*

Pſalm. 36. ſus: *Inimici Domini, mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani. Et tranſiui, & ecce non erat.* Etenim quemadmodum Dominus exaltaturus Ioſephum in Aegypto, Dauidem in Iſraele, Danielem in Chaldæa, adeoque ipſum Chriſtum filium ſuum per totum orbem, ſiuit eos prius deijci: ita deturbaturus & præcipitaturus impios Pharaonem, Saulem, Nabuchodonoſorem, Balthaſarem, Holofernem, Antiochum, Herodem, &c.

Abdiæ 1. eos prius exaltari permiſit. *Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.* Sequitur verò huius iudicij diuini vſus ac fructus. *Et timebunt fortes tui à meridie, &c.*

Obſeruauerunt etiam Ethnici hoc iudicium Dei, quod ſubita & magna fœlicitas ducat ſecum comi-

Plutarc. tem infœlicitatem. Philippus Macedo, cùm eſſet ipſi nuncium allatum, vno die multas res fœliciter geſtas eſſe, exclamauit: O fortuna, pro tot tantiſque bonis, leui quopiam malo me affice. Et alius quiſpiam, cùm euaſiſſet magnum periculum, & fœliciſſimus prædicaretur, dixit: O fortuna, cui me occaſioni reſeruas? Iucundiſſimum quoque lectu eſt quod He-

Lib. 3. rodotus ſcribit de Amaſi & Polycrate Nam cùm Polycrates ſemper proſperrima fortuna vteretur, noluit Amaſis diutius ei amicitia iunctus eſſe, ſed miſſo caduceatore, ſoluit cum ipſo ius amicitiæ, quia vir prudens prouidebat, quod ſumma infœlicitas exceptura eſſet ſummam illam in terris fœlicitatem. Nec eum fefellit opinio. Polycrates enim non multo poſt ab Oronte Perſarum ſatrapa, dolo captus, ſuſpenſus eſt. Exaudiamus Spiritum Sanctum de horum vſu differentem: *Noli ergo æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter*

Pſalm. 36. Pſal. 48. *areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit, non ſumet ſecum omnia, &c.*

Poſuit ſolium eius, inquit, *ſuper omnes Principes quos habebat.*

bebat. De hac eadem Hamanis exaltatione, idem Aſſuerus poſtea ſic loquitur: *Tantam in ſe expertus eſt humanitatem, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus, poſt Regem ſecundus.* Pertinet ad huius loci illuſtrationem quod ex Xenophonte colligitur, nimirum, apud Regem Perſarum principes & ſatrapas non ſediſſe promiſcuè, verùm ſedes cuique deſignatas, pro dignitate, ita vt præſtantiſſimus inter eos ſedem poſt Regem ſublimiorem acciperet, idq; ex inſtituto Cyri. Sint, inquiebat ſatrapis, apud vos ſubſellia: viríque præſtantiſſimi perinde atque apud me, potioribus locis gaudeant. Subijcit Xenophon. Atque hæc vti tum Cyrus inſtituit, ſic etiam hodie cuncta Regis imperio ſubiecta præſidia ſeruantur, omnes magiſtratuum aulæ officiosè celebrantur, omnes familiæ adminiſtrantur: omnes ex his qui adſunt præſtantiſſimi ſubſellijs ornātur ſupra cæteros. Et Aben Ezra ſic hunc locum interpretatur. *Super omnes Principes.* Senſus eſt, ſupra omnes ſedes principum. Siquidem procerum quiſq; ſedem habebat in domo regni, id eſt, in regia. Is autem quem præcipuo honore afficere Rex cupiebat, ſedem habebat regio throno propinquiorem, adeo vt ſecundus à Rege diceretur. Quod Plutarchus his verbis confirmat. Xerxes Perſarum rex ad fratrem Ariamenem legatos cum muneribus mittens, iuſſit eos dicere: Hiſce nunc honorat frater te Xerxes. Qui ſi rex Perſarum iudicio & ſuffragio fuerit renunciatus, ſecundum ab ſe locum tibi tribuit. Ibi Ariamenes: Ego quidem dona accipio, ſed regnum Perſarum ad me exiſtimo ſpectare. Honorem verò poſt me fratribus, atque inter fratres Xerxi primò conſeruabo. Darius quoque (vt eſt apud Eſdram & Ioſephum) ei qui quæſtiones ſuas peritius ſoluiſſet ex tribus corporis cuſtodibus, repromiſit purpura indui, in poculis aureis bibere, curru frenis aureis ornato, cidari byſſina ac torque aurea vti, & iuxta ſeipſum ſedere, affinemq́; ſuum vocitari. Quod Zorobabeli Hebræo propter eximiam ſapientiam illicò datum fuit. Sed quid in iſto Hamane homine profano & ſcelerato, ſpectauit Aſſuerus, vt cum cæteris omnibus ſeruis omni honore an-

Eſther.16.

Lib.8. de Cyri inſtit.

Plut.lib. de pietate erga fratres.

3. Eſdræ.3.
Lib.11.antiq. cap. 3.

nore anteferret? Veriſimile ac probabile eſt illum blanditijs & aſſentationibus ſe in leuiſimi Regis conſuetudinem penitus immerſiſſe, ſimulaſſeque eiuſdem honoris, gloriæ, & maieſtatis eſſe cupidiſſimum. Hoc autem proprium habent principes, vt nihil mediocre in eis reperias. Etenim ſi cui bene cupiunt, illum non ſatis efferre poſſunt. At ſi in quem ſunt animo alieno, iram deponere neſcij, etiam ſi præclarè ſe geſſerit, fidemque ſuam ac integritatem haud ſemel approbârit, odioſè nimis inſectantur.

1. Reg. 22. Saul ad vnius Doëg viri alienigenæ, inuidi, ſycophantæ, feri ac truculenti nutum omnia faciebat: Dauidem Deo ſanctiſſimum, fidiſſimum regno, fortiſſimum bello, generum omni amore honoreq; digniſſimum, immani perpetuoq; odio quoad vixit perſecutus eſt.

Sed quis, amabo te, fructus, quæ regni vtilitas, qui ve ſucceſſus ex eo conſequitur quod viri ſcelerati rebus præficiuntur, honeſti verò ac clari paruipenduntur? Ecquid aliud expectes ab his rerum publicarum facibus, quàm earum incendia, conflagrationes, atque ruinas? *Matth. 7.* *Nunquid de ſpinis colligunt vuas, aut de tribulis ficus?* Vnius Hamanis artificio rex imprudens in horrendam innocentum carnificinam impellitur, dum publicis legibus edicit vniuerſam gentem Hebræorum, id eſt, potiorem imperij ſui partem, ac Dei viuentis Eccleſiam occiſione occidi. Ea porrò fraus 75000. regnicolarum ſubditorum internecione vix tandem *Eſther 9.* expiata fuit, vt ex conſequentibus manifeſtum euadet. Magna igitur ratio habenda eſt in creando magiſtratu, erigendiſque tum officijs, tum qui eis in republica fungantur. Si Aſſuerus loco Hamanis, piiſſimum, ac de ſe meritiſſimum Mardochæum rebus præfeciſſet, in tantas turbas & calamitates nequaquam *Gen. 41.* incidiſſet. Prudentior Pharao, qui Ioſeph Dei ſpiritu præditum, tametſi peregrinum, in aula ſua ex- *Dan. 2. & 3.* tulit: & Nabuchodonoſor Danielem & ſocios eius cunctis imperij ſui finibus præfecit. Scitè & commo- *Exod. 18.* dè profectò aiebat Iethro ad Moyſem: *Prouide de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, &*

centu-

centuriones, & quinquagenarios, & decuriones, qui iudicent populum in omni tempore. Sequitur.

2\. *Cunctiq́ue ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Haman: ſic enim praeceperat eis imperator. Solus Mardochaeus non flectebat genua, neque adorabat eum.*

IAm deſcribitur Mardochæi excelſus animus & cæleſtis planè conſtantia, ſimulque initium magnæ ac cruentæ tragœdiæ. Rex affectibus in tranſuerſum actus, inconſideratiſſima temeritate præcipit, vt impia ac truculenta iſta bellua ab omnibus demiſsè colatur, & tanquam aliquod numen adoretur. Id magna non tam diligentia, quàm adulatione & impudentia faciunt omnes aulici, coram hoc monſtro in faciem procidentes, excepto vno Mardochæo: ex quo & ſibi & toti populo Hebræorum maximam apud Hamanem parauit inuidiam.

REGES, *qui Diuinos honores affectarunt.*

HIc ergo primùm animaduertendum Perſas nō ſolum Regibus ſuis diuinos tribuiſſe honores, verùm etiam illis aulicis, quos iubebant pari ſecum honore ac cultu adaugere. Nec cominus tantum; ſed etiam eminus, quando conſpecto Rege, proni, demiſſoq; capite in terram, eos ſalutabant. Quinetiam peregrinis gentibus, horumque legatis cùm in Perſicorum regum colloquium venire vellent, eadem venerationis neceſſitas impoſita erat: alias per literas aut internuntios negotia ſua peragere compellebantur, eo quòd Regis aures non alijs paterent, quàm qui Perſico cultu eum eſſent prius venerati. *Herodot. l. 1.*

Hunc autem venerationis modum à Cyro exortum fuiſſe teſtatur Arrianus: cui his ex interprete verbis ſubſcribit Xenophon. Eum (curru vectum) vbi omnes vidiſſent, adorârunt: ſiue quia fuiſſet imperatum, ſiue quòd apparatus eos ſtupore quodam adfeciſſet, ſiue quòd procerus & pulcher Cyrus ipſe viſus eſſet. *Lib. 4. de geſtis Alex.* *Lib 8. de inſtit. Cyri.*

Ante

Ante id quidem temporis Perſarum nemo Cyrum adorauerat. Et Plutarchus Artabanum Perſicorum militum tribunum Themiſtocli dixiſſe refert: Apud nos cùm multæ ſint ac pulcræ leges, ea omnium præſtantiſſima eſt, quæ honorare Regem adorareq; eum, tanquam Dei omnia conſeruantis effigiem, iubet. Quare ſi noſtros mores probas, & genua flectere coram Rege vis, videndi tibi compellandique eius facultas erit: ſin aliter ſentis, internuncijs ad eum vtendum tibi eſt. Et poſt pauca. Vt ad Regem introductus eſt, eoque adorato, tacitus conſtitit. Valerius quoque ſcribit ſex illos Principes, qui Magis peremptis, regnum Dario, equi hinnitu victi addixerunt, equis delapſos (vt mos eſt Perſarum) humi proſtratis corporibus, Darium regem ſalutaſſe. Sunt & apud Curtiū aliquot loci ſuperioribus adſentientes, vt cùm ſcribit matrem & vxorem Darij Epheſtionem pro Alexandro ſuo more veneratas eſſe. Et iterum de coniuratis, inita aduerſus Darium conſilia, obſequij ſoliti ſimulatione, tegentibus, procumbentes, ait, humi, quem paulo poſt in vinculis habituri erant, ſuſtinuêre venerari. Et rurſum. Rex curru paulo ante vectus, & deorum à ſuis honoribus cultus &c. Quin & Alexander matrem Darij captiuam Siſigambrin ſic alloquitur: Procumbens ſæpe me venerari voluiſti. Inhibui. Verùm idem Alexander Perſis deuictis, à Perſarum luxu ſuperatus, voluit poſtea & ipſe ſummo cultu adorari, filiuſque Iouis exiſtimari. Itaque more Perſarum, ait Curtius, Macedonas venerandos, ipſum ſalutare, proſternentes humi corpora. Rurſumque ibidem ait Cleo: Quod ſi cæteri dubitent, ſemetipſum, cùm Rex iniſſet conuiuium, proſtraturum humi corpus. Ideo ſcripſit Aeſchylus Perſas & Aſſyrios deorum loco habere Reges. Et Herodotus teſtatur Perſas inferiores, proſtratos adoraſſe honoratiores. Trogus denique apud Iuſtinum, refert Cononem Athenienſem regis Artaxerxis aſpectu & colloquio prohibitum fuiſſe, quòd eum more Perſarum, adorare nollet.

In Themiſt. · *Lib. 7. cap. 3.* · *Curtius li. 3.* · *Idem lib. 5.* · *Lib. 5.* · *Lib. 5.* · *Iuſtinus l. 11.* · *Curt. lib. 8.* · *Lib. 1.* · *Lib. 6.*

Hanc

Hanc porrò diuinorum honorum ſacrilegam planeque Satanicam ambitionem, imò & ipſius ſanctiſſimi nominis DEI horrendam vſurpationem & appellationem plurimos alios à Perſis appetiuiſſe & rapuiſſe, teſtis eſt in primis ampliſſimus Daniel Propheta, referens Nabuchodonoſorem ſub graui interminatione præcepiſſe, vt omnes ſtatuam ſibi ſacratam procumbentes adorarent: eundemque poſtea in belluarum ritum ordinemque redactum, quod ſupra Deum nimis arroganter ſeipſum extuliſſet. Alter quoque Nabuchodonoſor præcipiens Holoferni, vt omnes deos terræ exterminaret, vt ipſe ſolus diceretur Deus, pari ſe impietati alligauit. Antiochus tertius Syriæ rex & ipſe voluit θεὸς, id eſt, Deus appellari. Herodes Agrippa vocibus aſſentatorum delinitus Deum ſe vocari permiſit. *Dan 3. & 4.* *Iudith 3.* *Act. 12.*

Ad imperatores Romanos vſque malum hoc penetrauit, cùm (teſte Suetonio) Cæſar paternum genus cum dijs immortalibus coniunctum ſe habere iactaret. Auguſtus in ſecretioribus cœnis, inſtar Apollinis ornatus δωδεκάθεος, id eſt, duodecimus Deus à conuiuis nuncupabatur. Caius Caligula inter ſimulacra ſæpe Iouis, Caſtoris, Pollucis conſiſtebat medius, ſe adorandum venientibus exhibens. Templum nomini ſuo proprium, ſacerdotes, & exquiſitiſſimas hoſtias inſtituit. Domitianus initio epiſtolarum ſcribebat: Dominus & Deus ſic fieri iubet: inſtituitque vt ne ſcripto quidem ac ſermone cuiuſquam appellaretur aliter. Adrianus cynœdum ſuum Antinoum in deos retulit, ædificauit templum, ludos inſtituit, & ciuitatem ei cognominem condidit, ſicut referente Euſebio, ſcripſit vetuſtiſſimus author Egeſippus, & aſtipulantur Iuſtinus martyr, Epiphanius, & Dion Caſſius. Fauſtinam Imper. Antonini Pij vxorem, Volaterrano ſcriptore, ſenatus Romanus diuinis honoribus coli inſtituit, templum condidit, ſtatuas exornauit, flamines addidit, & ludos Circenſes: quos honores Imperator non recuſauit. Quin & ei mortuo templum conditum, & ſacra inſtituta fuiſſe Nauclerus indicat. *Sueton. in Cæſ.* *Euſeb. lib. 4. hiſt. cap. 8.* *Apolog. 1.* *Volaterran. Lib. 23.* *Naucleru Gener. 6.*

Helioga-

Lamprid. Heliogabalus pro viribus egit,vt eſt apud Lampridiũ, ne quis Romæ Deus,niſi Heliogabalus coleretur. Nec Romanas tantùm extinguere voluit religiones: ſed per orbem terrarum vnum ſtudens, vt Heliogabalus Deus vnus vbique coleretur. Commodus eo vecor- *Heridian. li. 1.* diæ petulantiæque proceſſit,inquit Herodianus,vt paternum cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio,Herculem ſe Iouis filium iuſſerit appella- *Lamprid.* ri. Et Lampridius de eodem ſcribit: Accepit ſtatuas in Herculis habitu, eique immolatum eſt vt Deo. Dio- *Pomp. Læt.* cletianus(inquit Pomponius Lætus)diuinos honores imperatoribus Auguſtis habendos præcepit. Nam cũ priores vt Conſules ſalutarentur, primus ipſe voluit adorari,velut in eo eſſet cæleſtis maieſtas. Perſarum iſte mos(inquit idem) quorum Princeps Rex regum appellatur & adoratur,fratrem Solis & Lunæ ſe nuncupans.&c.

Sed hactenus de Regum huius mundi non tam *Iſa.14.* inſano furore,quàm Luciferiana ſuperbia & diuino- *Luc.10.* rum honorum appetentia, qua contendentes fieri ſimiles altiſſimo, eleuatique animis ſupra omnẽ quod *2.Theſſ.2.* dicitur & colitur vt Deus, ad inferos detracti ſunt in profundum laci. Et certè mirum dictu eſt,quod nõ ſolum ſacræ literæ hanc antropolatriam deteſtantur,verùm etiam Ethnicorum ſapientes ab eadem toto pectore abhorruiſſe. Audiuimus quippe Alexandrum inhibentem matrem Darij ab hac adoratione. Et Conon maluit per internuncios res ſuas agere, quàm Perſicum regem adorare. Calliſthenes,qui Ariſtoteli cum Alexandro operam dederat,duriter torqueri,& trucidari maluit; quàm illi more Perſico ſeipſum proſternere, vti referunt Arrianus, Curtius, *Herodot.lib. 7.* Valerius & Laërtius. Sperthius & Bulis Lacedæmoniorum ad Xerxem legati, iubentibus regis ſatellitibus vt procumbentes regem adorarent, & per capita eos ad id agendum impingentibus, negauerunt ſe id vnquam eſſe facturos: neque enim ſibi eſſe conſuetudinẽ hominem adorandi, neq; ad id ſe veniſſe, Au- *Plutarch. in Artaxer.* thor eſt Herodotus. Pelopidas Thebanus adduci nunquam potuit, vt huic iugo collum ſubderet Atheni-

enſes

enſes, capitis damnauerũt Timagoram, quòd Darium regem more Perſico veneratus eſſet, vt tradit Valerius, perſtringunt Plutarchus & Athenæus. Ariſtoteles hos ritus barbaricos eſſe cenſuit: Liuius, adulationes appellat: Seneca, Perſicam ſeruitutem: quibus omnibus id efficitur quod contendimus, nimirum hanc diuinorum honorum vſurpationem tam impiam & ſceleratam fuiſſe, vt etiam huius mundi ſapientes duce naturali lege, illam conſtanter coarguerint & damnauerint. *Lib. 6. c. 33.* *Lib. 1. Rhet.* *Lib. 9.* *Lib. 3. de benefic. ca. 12.*

Debetur quidem fateor, Regibus, principibus, & magiſtratui ſuus honos, qui etiam in ſacris Adorationis voce ſignificatur: ſed ea ciuilis eſt tantummodo, & qualis hominibus Deo vero ſubditis ac ſeruis modeſtè conferri ac tribui poteſt. Sic enim Natham Abigail, & Bethſabea dicuntur Dauidem regem adoraſſe, Abdias Heliam, filij prophetarum Heliſæum, & alij alios plurimos. Petrus etiam iubet Regem honorare: Paulus quoque tributum, honoremque debitum eis reddi: verùm quicquid honoris aut reuerentiæ his continetur, etiam boni & ſancti viri impijs & reprobis præſtiterunt, vt Iacob fratri Eſaü, Abraham filijs Heth, & Dauid Sauli, quando eum ſpelunca egreſſum, prono ad terram vultu veneratus, rogat, ne credat eorum verbis, qui dicebant, ipſum ſibi malum moliri. Cauerunt autem omnino ne ſublimi ac cæleſti adoratione illa, quæ à Græcis λατρεία dicitur, ſacrificioque præſertim velut externo ſymbolo ſignificatur & exprimitur, quemquam hominum aut angelorum afficerent, ſcientes præceptum eſſe, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, Item, *Qui immolat dijs, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Tres pueri maluerunt in fornacem illam terribilem deijci; & ſeptẽ fortes Machabæi omni diritate cruciari & excarnificari; quàm vel coram ſtatua in terram procidere, vel carnes ſuillas idolis oblatas in eorum honorem deguſtare. Hinc Auguſtinus calumnias Manichæorum à Caluinianis egregiè renouatas, retundens ſcribit. Colimus martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, &c. At illo cultu, qui *1. Reg. 25.* *3. Reg 1.* *3. Reg. 18.* *4 Reg. 2.* *1. Pet. 2.* *Rom. 13.* *Geneſ 33.* *Geneſ. 23.* *1. Reg. 24.* *Deut. 5. 6. & 10.* *Exod. 22.* *Daniel 3.* *2. Mach 7.* *Aug. lib. 20. cont Fauſt. cap. 21.*

Græcè λατρεία dicitur, Latinè vno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus; nec colimus, nec colendum docemus, niſi vnum Deum. Cùm autem ad hũc cultum pertineat oblatio ſacrificij, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. Ipſi enim Sancti, vel homines, vel Angeli, exhiberi ſibi nolunt, quod vni Deo deberi nôrunt, &cæt. Reliqua quæ ad hanc diſputationem ſpectant, tradit idem Auguſtin. quæſtion 94. ſuper Exodum: quæſt. 61. ſuper Geneſ. lib. 10. de ciuit. ca. 4. & 5. lib 8. ca. 27. li. 22. ca. 10. lib. 1. de Trinitate c. 6. & nos ſuperioribus annis eãdem fuſius explicauimus Commentarijs in Ruth cap. 2. v. 10. Ad inſtitutum redeo.

Act. 14. *Apocal. 19. & 22.*

Aſſuerus præcipiens cunctis ſeruis ſuis, vt Hamanem adorarent, & pari ſecum veneratione colerent; eidem verò diuini honores, vt ſuperius accepimus, tribuebantur; grauiſſimè in Deum peccauit impuram creaturam Creatori ſuo exæquans aut præficiens. Nec id ſolùm, ſed & cunctis aulicis ſuis, ac innumeris alijs per imperium ſuum author fuit, vt crimine idololatriæ (quod grauiſſimum eſt) ſeipſos commacularent. Sic & Nabuchodonozor quondam præconis voce mandauerat, vt cùm audirent ſonitum tubæ, citharæ, pſalterij, & omnis generis inſtrumentorum muſicorum, omnes in terram prociderent, & ſtatuam ſuam quam erexerat, adorarent. Huiuſmodi truculẽtis ac idololatricis edictis Nero, Domitianus, Decius, Traianus, Diocletianus, innumeros olim à Chriſti vnici hominum ſaluatoris & iudicis cultu reuocauerunt, & ad dæmonum venerationem, æternamque perditionem impulerunt. Nunc alicubi cuduntur Edicta horrida, truculenta, & fumantia, pro hæreſi Zuingliana & Caluiniana; præfocandum nempe, euiſcerandum, in quatuor partes diſcerpendum, comburendum abſque miſericordia omnem, qui Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ fidei profeſſorem ſe geſſerit. At ſuperiorum tyrannorum perſecutorumque temporalia ſempiternaque ſupplicia euadere non

Daniel. 3. *Euſebius.* *Nicephor.*

dere non poterunt, quorum impietates imitantur.

Perſpice rurſum, quantum corruptionis & impietatis regnet in aulis. *Cuncti ſerui Regis*, inquit, *qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Haman*, etiam ſi eorum plurimi illum tacitè intus contemnerent, & omni honore indignum iudicarent. Putabant enim ſe ea ratione magnam gratiam apud Imperatorem inituros: parati etiam cùm eſſent ipſa muta elementa, ſerpentes, feras, belluas, & diabolos adorare atque venerari, his corpora & animas proſtituere, ſi iuſſiſſet. Sic & Babylonij vniuerſi coram ſtatua, Bele, & Dracone ſeſe ad Regis imperium in terram proſternebant. Ægyptij omne beſtiarum genus conſecrauerunt, quamuis carnificinam prius ſubire parati, quàm ibim, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut bouem, aut crocodilum violarent. Romani quondam *mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis, & quadrupedum, & ſerpentium, &c.* O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca, &c. *Dan. 3. et 14.* *Rom. 1.*

Attende & huius aulicæ gloriæ inconſtantiam. Vbi poſtea viderunt Imperatorem ab iſto abhorrere, nemo vices Hamanis doluit, nemo adorauit: ſed illi inſultantes ſuā ad illius exitium operam obtulerunt, dicentes: *En lignum quod parauerat Mardochæo, ſtat in domo Haman, habens altitudinis quinquaginta cubitos Quibus Rex. Appendite eum in eo. Et appenſus eſt in eo*, procul dubio ab his qui eum paulò ante officioſius adorauerant. Sic miſeri homines ad omnem fortunæ flatum conuertuntur, & inſtar arundinum cùm à vento agitantur, in omnem partem flectuntur. Fœda adulatione omnibus omnia aſſentantur. Mentem habent vaſri Polypi, qui protinus illa ſe quibus admorit, ſaxa colore refert. Nūc Angeli lucis, mox diaboli, & ſatellites principis tenebrarū. Vidimus nuper multos veſtibus nunc albis, nunc rubris, pœnitentiam ſimulantes, & omnem ſummo Pontifici obeditionem promittentes: poſt vnius anni ſpatium eundem omni atrocitate veluti pacis hoſtem, & Eccle- *Mores Aulicorum Francorum.*

ſiæ cui præeſt aduerſarium traducentes & perſequentes. Eoſdem etiã conſpeximus hoc anno cruentis bellis hæreticos adoriri: iſto verò eoſdem in oppugnandis Catholicis, cunctis opibus & viribus adiuuare. O pudendam leuitatem & inconſtantiam! O Iudaicæ impietatis hæredes, qui nunc Chriſto canunt, *Oſanna in excelſis*: mox aduerſus eum vociferant, *Nolumus hũc regnare ſuper nos: Tolle, crucifige eum.*

Sed quamobrem Mardochæus cum alijs omnibus nõ adorat Hamanem? *Solus*, inquit, *Mardochæus non flectebat genua, neque adorabat eum.* Si de hoc iuxta prudentiam carnis & ſapientiam huius ſeculi iudicaueris, dices eum maiore quàm Haman faſtu peccare, & ſecum totam gentem ſuam in acerbum odium gentilium, & ſummum illud periculum quod poſtea ſequitur, temere ac præfractè conijcere. Primò enim Rex præcipiebat eum adorari: Regibus autem eſt obediẽdum etiam ſi ſint diſcoli & moroſi. Deinde etiam Hebræi ſuos Reges adorabant, vt paulo ſuperius dictum fuit. Præterea, externis tantùm ſignis id feciſſet, retenta in animo & conſcientia in Deum ſyncera pietate. Adhæc, captiuus & ſeruus erat: ergo dominorum ſuorum legibus eum viuere oportebat. Demum tanta odia & pericula in ſuum & totius populi caput non conflauiſſet. Non dubito tum plurimos his mundi machinis & tentationibus diaboli victos & proſtratos, huic tyranno cultum ſoli Deo debitum tribuiſſe: ac nunc etiam multo plures eſſe bellè politicos, qui ſimili vel etiam longè minore oblata occaſione, deteriora patrarent.

Reſpondeo itaque, opus Mardochei nõn fuiſſe carnis iudicium, ſed Spiritus ſancti conſilium, donumque conſtantiæ atque fortitudinis heroicæ, qua cunctis Hebræis ſuis concaptiuis præluxit, nolens honores diuinos viliſſimo huic nebuloni tribuere. Hoc palàm oratione ſua ad Deum his verbis idem ipſe profitetur: *Cuncta noſti Domine Deus, & ſcis quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Haman ſuperbiſſimum. Libenter enim pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem.*

Eſther. 13.

uiſſem. Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarē excepto Deo meo. Ioſephus quoque teſtatur Mardochęum propter ſapientiam, & patrias leges non adoraſſe Haman. Subſcribit ita Rupertus: Iuſtus in hoc facto Mardochæus comprobatur, legi ſanctæ, iuſtæ, & bonæ obtemperando, cuius hoc præceptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: ac proinde beatam habet memoriam, atque eximius eſt inter beatos, qui perſecutionem patiuntur, vel paſſi ſunt propter iuſtitiam. Talis filius captiuorum dignè adeptus eſt poſſeſſionem, & coronam ciuicam in regno cælorum. Non diſſentit Seuerus cùm ſcribit: Aſſuerus Haman æquatum ſibi, adorari more regum præceperat. Id Mardochæus vnus ex omnibus facere faſtidiens, odia Perſæ in ſe grauiter accendit. Falluntur enim, vt tam ex his ſacris, quā ex ſuperioribus profanis teſtimonijs patefactum eſt, qui putant Aſſuerum Hamanemque ciuiles tantùm honores exegiſſe: proindeque alias cauſſas comminiſcuntur, vt factum Mardochæi excuſent. Hæc enim præcipua fuit viro religioſiſſimo, & Legis diuinæ obſeruantiſſimo, vt contempto Regis præcepto, Hamanem inſtar aliorum non adoraret.

Ioſephus lib. 11. anti. ca. 6.
Rupert. li. 8. de vict. verbi Dei ca. 8.
Matth. 5.
Seu. Sulpit. lib. 2. hiſt.

Sed ſi contra Legem eſt adorari quempiam hominum, infit Rupertus, quomodo ſanctus Dauid, ſe ſe adorari paſſus eſt, & non reprehenditur factum, quaſi contra legem? Reſpondet, longè aliud eſſe adorare hominem ſine Deo, qualis erat Haman impius, aliud hominem Dei, qualis erat Dauid. Nam dum homo ſine Deo, homo ſeruiens diabolo adoratur, ſine dubio diabolus in illo adoratur: & econtrà dum homo Dei, homo Deum honorans & adorans, adoratur, vel ſuſcipitur, Deus in illo adoratur, Deus in illo ſuſcipitur. Sed & in hoc diſtantia magna eſt, quod Haman ſuperbus hoc volebat, hoc exigebat, vt adoraretur; Dauid ſeu quiſpiam ſanctus, humilis Dei ſeruus, ſiue vicarius, adoratione non delectatur, neque ſibi hoc exigit vt adoretur. Et ſi aliquando religio fieri hoc exigit, conſtat non fieri ad iniuriam, ſed ad honorem Dei; conſtat non fieri homini, quoniam fit pro no-

2. Reg. 8.
3. Reg. 1.
Lib. 8. de victor. verbi Dei ca. 8.

mine DOMINI. Hucuſque Rupertus.

Neque tamen iuerim inficias alias probabiles fuiſſe Mardochæo cauſſas, cur Hamanem non ſit demiſsè veneratus, vtpotè, quòd iuxta Aben-Ezram, Paraphraſten Chaldæum, & reliquos Hebræos, Haman de collo appenſam geſtaret argenteam vel auream cuiuſdam falſi dei effigiem: quem ne videretur cum abnegatione Dei veri & viuentis Mardochæus adorare, noluit genua flectere aut aliquod aliud reuerentiæ ſignum facere coram Hamane. Quicquid ſit de iſta effigie, manifeſtum eſt Perſis olim vſu fuiſſe veſtes pictas καὶ ζωωτὰς, quibus intextæ erant animalium formæ, & floſculi: qualis illa Darij palla, (Curtius li. 3.) quam aurei accipitres, vt eſt apud Curtium, velut roſtris inter ſe concurrent, adornabant. (Am. Marcel. lib. [illegible]) Ammianus quoque Marcellinus indumenta Perſarum lumine (Tert. lib. de [illegible] mulieb. [illegible]) colorum vario fulſiſſe narrat Et Tertullianus de Parthis & Medis differens ait. Proinde & veſtium de coloribus honorem ſerui eorum ferunt. Ex quibus conſequitur Hamanem non ſolùm ante pectus, verùm & in veſtibus idolorum quædam ſymbola geſtaſſe, à quibus vir pius Mardochæus omnino abhorruerit. (Exod. 20.) Nouerat quippe ſcriptum eſſe, *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, & cæt.* (Deut. 5.) *Non adorabis ea, neque coles.* (Exod. 32.) Et propter cultum vituli aurei meminerat cæſa fuiſſe à Moſe & Leuitis quaſi triginta hominum millia.

Potuit etiam fieri, vt alta mente repoſita haberet, quæ DEVS quondam de Amalecitis delendis mandauerat, (Exod. 17.) dicens ad Moyſem: *Scribe in libro,* (bellum Amalecitarum) *& trade auribus Ioſue: delebo enim memoriam Amalec ſub cælo.* (Deut. 25.) Et rurſum: *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quando egrediebaris de AEgypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum. Cùm ergo Dominus dederit tibi requiem, delebis nomen eius ſub cælo. Caue ne obliuiſcaris.* Quocirca Saule primo Hebræorum Rege conſtituto, (1. Reg. 15.) dixit Dominus ad illum. *Recenſui quæcunque fecit Amalec*

lec Iſraeli, quomodo reſtitit ei in via cùm aſcenderet de Aegypto Nunc ergo vade & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem & camelum & aſinum. Non erat hæc crudelitas, ſed Dei iuſta vltio aduerſus generationem infidelem, barbaram, & quæ iniuſto odio belloque ſemper perſecuta fuerat populum Dei: quam quia ſeueriter non exercuerat Saul, regno abdicatus fuit.

Hæc ſibi ob oculos mentis ponens Mardochæus, colligebat gentem Amalec, poſteroſque Agag illorum regis coram Deo eſſe exoſos, maledictos & reprobatos: ideoque Hamanem, qui ex his natus erat, nullo modo à ſe viro Iudæo honorandum vel adorandum; ne benedicere videretur his, quibus Deus maledixerat: aut amore complecti eos, quos iuſtè oderat. Atque hæc fuit præſtans & laudabilis animi magnitudo, qua exemplo ſuo cunctos populares ſuos ad contemptum idolorum animauit, & vt impiorum faſtum arrogantiamque pro nihilo ducerent inſtituit. Et Dauid cum cenſet dignum eſſe tabernaculo Domini, ac monte ſancto eius, qui malignum aſpernatur, timentes autem Dominum glorificat. *Pſalm.14.* Sic Moyſes excelſo animo & Pharaonem, & filiam eius, & vniuerſę aulæ delitias, honoreſque contempſit, malens affligi cum populo Dei, &c. *Hebr.11.* Daniel Balthazaris purpuram, promiſſaque irridens dixit: *Munera tua tibi ſint, & cæt.* *Danie.5.* Mathathias deniq; filios ſuos incitans vt Antiochum immanem tyrannum aſpernarentur, dicebat: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt: hodie extollitur, & cras non inuenietur.* *1.Mach. 2.* Attendendum verò maximè, vt id fiat ſolo amore Dei, non ſuperbia vel arrogantia: ne cum Diogene ſuperbia tumeſcamus, dum alienam ſuperbiam calcare conamur. *Laert.lib. 6.*

Ex his quoque animaduerte diuini iudicij ac conſilij mirabile exemplum, quo ſibi ſuiſque ſemper cõſtantes ac fortes viros conſeruat, qui infracto animo tyrannorum conatibus ſe ſe opponant, & eorum

furentes ac violentos impetus reprimant, atque à ceruicibus ſimplicium innocentiumque reflectant. Superbis gygantibus oppoſuit Noe, Abrahamum Chaldæis, Dauidem Goliathi, Baaliſtis Heliam. Sic Stephanum obiecit Saulo, Petrum Simoni Mago, Paulum pſeudoapoſtolis; denique peſtiferis hæreſiarchis Valentino, Marcioni, Ebioni, & cæteris gnoſticis, ſanctiſſimos & fortiſſimos patres Clemētem, Ignatium, Dionyſium, Polycarpum, Irenæum, Iuſtinum, Tertullianum, &c. Neque periculoſis & nouiſſimis his temporibus Eccleſiæ ſuæ deſtitit mittere omni doctrina & pietate præſtantes Theologos, Paſtores, & Doctores, qui hæreticorum prauis conſilijs ſe ſe obijcerent: aut fortes & pios heroas, qui perſecutorum rabiem furoremque pro viribus compeſcerent aut retardarent. Sed de his iam multa, hiſtoriam perſequamur.

3. *Cui* (Mardochæo) *dixerunt pueri Regis, qui in foribus palatij verſabantur. Cur præter cæteros non obſeruas mandatum Regis?*

4. *Cumq; hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nunciauerunt Haman, ſcire cupientes vtrum perſeueraret in ſententia. Dixerat enim eis ſe eſſe Iudæum.*

TENTATVR ab aulicis Mardochæi pietas & conſtantia, nec ſemel, ſed multoties, cùm illi obijcitur mandatum Regis de adorando Haman, quodque ſolus huic repugnaret, crebroque eadem illi occinitur cantilena: denique & oleum & operam perdentes, ex monitoribus efficiūtur acres & moleſti accuſatores. Ille autem infracto ſtat animo, nec à pietate poteſt vlla vi ſuaſioneq; deijci; pro omni ſcuto & excuſatione profitens ſe Iudæum hominem eſſe, cui ex lege diuina & patrijs inſtitutis, non liceret Adorationem cultumque vni & ſoli Deo vero debitum, in quemquam mortalium transferre. Et ſanè probabile eſt, quod initio Mardocheum ſimplici ani-

mo rectaque intentione admonuerint, ne tanti imperatoris mandata negligeret, ne ſolus ſibi ſapere videretur; ſed ad tot nobilium populorumque normam ſeipſum componens, in periculum capitis atque in vitæ diſcrimen pro tantilla re non ſe inferret.

Horum exemplo docemur, boni viri, præſertim verò Chriſtiani, officium eſſe, illos ex charitate monere, quos à vero rectoque aberrantes viderit & iudicauerit. Incredibile enim eſt quantum in hoc momenti ſit poſitum, ſi alij alios mutuis exhortationibus vel à peccatis reuocauerimus, vel ad ſtudium bonorum operum excitemus. Neque eſt quod obijciamus nos inde vel malam gratiam eorum quos caſtigamus inire, vel operam omnem perdere: quandoquidem ſemper ſunt aliqui melioribus conſilijs cedentes & obtemperantes, quibuſq; non eſt cor lapideum, ſed carneum, id eſt, tenerum, docile, & flexibile. Accedunt diuina mandata, quæ nos ad hæc officia mutuo præſtanda diſtrictè obligant. *Diliges* (inquiunt) *proximum ſicut teipſum* *Vnicuique mandauit Deus de proximo.* *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe illum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Et Apoſtolus ait: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Et Iacobus: Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: ſcire debet quoniam ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Quot enim à ſceleribus ſuis conuerſi, quot è faucibus inferorum erepti ſunt concionibus & adhortationibus Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum? Itaque ſi ſerui iſti regij à Mardochæo inquirunt, cur non obſeruaret mandatum Regis: cur nos proximos noſtros helluantes, peierãtes, detrahentes, rapientes, à pietate Chriſtiana ad hæreſes deficientes, non corripiemus & caſtigabimus? Et ſi indignè quidam ferant, non ideo nos officio noſtro deeſſe debemus. Aderit profectò, aderit Dominus, qui charitatem & diligentiam noſtram aliquando compenſabit.

Exod. 20. *Deut. 5.* *Eccli. 17.* *Matth. 18.* *Gal. 6.* *Iacob. 5.*

Videntes autem iſti aulici, quod pium virum à concepta conſtantia dimouere non poſſent, admonitiones ſuas commutant in acerbas accuſationes. Fortaſsè ini quiore animo tulerunt, audientes eum eſſe Iudæum, id eſt, exulem, ſeruum, captiuum, alteriusq; legis atq; religionis. Itaq; illum delatum ad Hamanem, percun ctari ſtudent, ſi pergat Iudaici inſtituti & nominis prę textu, Regio mandato refragari, & debitā ſuo iudicio principi reuerentiā denegare. Accedit quod huius venerationis ſtudio ſe teneri fingentes, in intimam Tyranni amicitiam ſeſe inſinuare ſatagunt, eiusq; beneuolentiam & fauorem magis ac magis his delationi-

1. Reg. 21. bus promercari. Ita olim Doeg & alij ſatellites Saulis falſis criminibus Dauidem apud ipſum inſimulabāt, vt eius gratiam inirent. Aiunt autem differre ſuſurronem à detractore, & contumelioſo, quòd ſuſurro ſit qui non apertè maledicat, ſed in aurem obſtrepit, vt diſcordias & lites ferat. Detractor, qui in abſentia quidem, ſed manifeſtè palamq; famam proximi lædit, vel occulta eius peccata proferens, vel virtutes imminuēs. Contumelioſus, qui conficta crimina palam imponit. Quibus fit, vt hi verè detractores & contumelioſi dicendi ſint, cū virtutem ſancti viri pro ſcelere reputauerint, & tanquā legum Perſicarū contemptorem apud impium & immanem totius Iudaiſmi hoſtē accuſauerint. Hoc verò peccatum quantū Deo & ſanctis omnibus ſit inuiſum, patefaciunt hæ ſancti

Prou. 4. Spiritus prohibitiones. *Remoue à te os prauum, & detra-*

Prou. 24. & *hentia labia ſint procul à te. Cum detractoribus ne commi-*

26. *ſcearis. Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt*

1. Cor. 6. *ad intima cordis:* Paulus etiam apertè pronunciat, Nec

Enarrat. 1. in maledicos, nec rapaces regnum Dei poſſeſſuros. Au-

Pſal. 108. guſtinus eos magis nocere docet, qui Christo detrahunt, & per hoc animas interficiūt; quàm qui eius mortalem carnem mox præſertim reſurrecturam ſe-

Serm. 45. ad uiendo peremerunt. Et idem rurſum: Quid mihi pro-

ſrat. in erem. deſt ieiunium, ſi detractor ſum? Maiora ſunt vulnera linguæ, quàm gladij. Gladius corpus interficit, animā

Prou. 18. autem non interficit. Lingua detractoris mors eſt. *In manibus linguæ mors & vita eſt.* Me ipſum occido, ſi alijs detraho.

detrabo Tanta diſtantia eſt inter fornicatorem & detrahentem, vt ille qui fornicatur, tantùm ſe occidat: ille autem qui detrahit, & ſe & eum qui audit, perdat. Et Hieronymus. Serpens & detractor æquales ſunt. Quomodo enim ille mordens venenum infert, ſic iſte detrahens pectoris ſui virus in fratrem effundit, & nihil habet amplius à ſerpente. *Hieron. in 10. cap. Eccl.*

Sed quid tandem hi aulici ſua delatione & accuſatione ſunt aſſecuti? Crabronem furioſum magis irritauerunt, omnem animi quietē illi ademerunt, ad iram vltionemq; concitauerunt, & delatum Mardochæum cum tota gente ſua in fortunarum vitarumq; diſcrimen cōiecerunt. An non ergo iure optimo detrahentium linguas Dauid comparat cum armis, ſagittis, nouaculis acutis, & carbonibus iuniperorum? *Pſalm. 56. 63. 119.* *Acuerunt*, inquit, *linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labijs eorum* Plinius autem ſcribit aſpides tam læthiferum habere venenum, vt percuſſos mox torpore & ſopore interimant: eſſeq; omnium ſerpentiū minimè ſanabiles. Sed & venenum earum ſi ſanguis attingit, aut recens vulnus, ſtatim necat. Ariſtoteles inſuper adfirmat, aſpidis ictui nullū eſſe remedium. Et Moſes vocat *venenū aſpidum inſanabile.* Quibus conſtat Dauidem linguas delatorum comparare cum his rebus, quæ certiſſimum & præſentiſſimum exitium adferunt hominibus, propter earum pernitiem & virulentiam. *Pſalm. 139.* *Plin. lib. 29. cap. 4.* *Ariſt. lib. 8. de natura animal. cap. 29.* *Deut. 32.*

In eo quoq; quod Mardochæus conſtanter ſe Iudæum eſſe, Iudaicæque legis ac religionis integerrimum cultorem & obſeruatorem profitetur, docemur nunquam erubeſcendum coram hominibus de confeſſione Chriſtiana, fideique Catholicæ publica profeſſione, tametſi plurima immineant à mundo pericula. *Qui me erubuerit coram hominibus*, inquit Dei Filius, *ego erubeſcam eum coram Patre meo & Angelis eius.* Paulus non erubeſcit Euangelium: hortaturq; his verbis Timotheum: *Noli erubeſcere teſtimonium Domini, neque me vinctum eius.* Et Petrus ait. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, &cæt.* *Matth. 10. Lucæ 9. Rom. 1. 2. Tim. 1. 1. Pet. 4.*

5. Quod

5. *Quod cùm audiſſet Haman, & experimento probaſſet quòd Mardochæus non flecteret ſibi genua, nec ſe adoraret, iratus eſt valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas.*

6. *Audierat enim quod eſſet gentis Iudææ, magiſque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri perdere nationem.*

VT in Mardochæo exemplum proponitur nobis viri fortis & conſtantis animi, ita in Hamane impotentis & effœminati. Prudentiæ quidem illi fuit, quod non citò crediderit delatoribus, periculumque fecerit an verum eſſet quod nunciauerant, priuſquam Regem interpellaret, aut quicquam
Eccli. 19. hoſtile in eum moliretur. *Nam qui citò credit, leuis eſt*
Geneſ. 39. *corde, & peccando delinquit in animam ſuam.* Putiphar te-
Pſalm. 104. merè credens vxori, Ioſephum innocentem coniecit inter reos, & vinculis ferreis eundem tredecim annis
2. Reg. 16. afflixit. Dauid quoque æquo citius fidens verbis Sibæ ſerui Miphi-boſeth, eundem damnauit, & hæreditate ſpoliauit, contra iuramentum quo patri illius Iona-
1. Reg. 20. thę ſeipſum aſtrinxerat. Non eſt igitur quibuſuis danda fides, nec indicta incognitaque cauſa, ſumendum de aliquo ſupplicium.

At grauiſſimis pluriміſque ſceleribus Haman ſeipſum alligat, quando non poteſt æquo animo contemptum vnius hominis ferre, tametſi ab omnibus alijs veluti Deus aliquis coleretur. Sed tanto furore corripitur, tanta rabie exardeſcit & furit; vt non ſolùm Mardochæum, ſed & vniuerſam Iudæorum gentem in tota Perſica monarchia perdere cogitet menteque decernat. Papæ, quot in vno facto ſcelera! Ambitione extollitur, crepat inuidia, odio tabeſcit, diuinos cupit honores, Mardochæum virum ſanctitate Deo chariſſimum iniuſtiſſimæ neci tradere pro nihilo ducit, vniuerſum Abrahæ genus è medio tollere conſtituit. Demus Mardochæum in Hamanis deſpicientia pec-

caſſe.

caſſe. Nonne hoc potuit, vt hominis moroſi, aut deliri ſenis, moxque è viuis diſceſſuri, factum prudenter diſſimulare? Quod ſi omnino in illum animaduertere animus fuit, quid commeruerant innumeri alij per orbem Perſicum Iudæi, mulieres, virgines, infantes, ſenes, vt in illos ſine vlla commiſeratione ſæuiretur? Tantam vim ſanguinis innoxij leuicula de cauſa profundere, profectò illius eſt, qui præter faciem hominis habet nihil: belluæ efferatiſſimę omnia. Verùm, talia ſunt conſilia furoris, talis fructus honorum, tanta potentia impiorum, tanta pericula aulæ, tales Regum præfecti & conſiliarij; ſi Deum ignorēt, affectu regantur, ambiant honores, & gloria delectentur. Et vt præcipuum fontem caputque iſtorum ſceleratiſſimorum conſiliorum retegamus, tales ſuaſiones Serpentis illius, *qui in veritate non ſtetit, ſed homicida ab initio*, irreconciliabiles gerit inimicitias cum ſemine mulieris. Vſus eſt ille Hamane velut inſtrumento ſuo, vt genus illud penitus extingueret, ex quo Chriſtus mundi ſeruator & iudex, erat in orbem prodituus, vt caput illius contereret. *Ioan. 8.* *Geneſ. 3.*

Hinc autem primùm cernimus in vno Hamane omnium Amalecitarum vetus odiū in Iſraelitas, quos tanto furore perſecuti ſunt, vt quoquo modo potuerint, internecionem illis ſint machinati. Adeo verum eſt priſcum illud prouerbium, Mali corui, malum ouum: id eſt, ex improbis parentibus mala progenies. Primi enim illi occurrerant Iſraeli egredienti ex Aegypto, & extremos agminum eius; qui laſſi reſidebant, quique fame & labore confecti erant, ſine vllo Dei timore inhumaniter trucidârant. Hic nōn cōtentus vnius aut alterius nece, in vniuerſos bacchari & omnem ſeueritatem adhibere decernit. Deus itaq; hanc totius gentis Amalecitarum crudelitatem deteſtatus, eius memoriam delere de terra iuſtò iudicio decreuerat, vt paulò ſuperius dictum eſt. Non mirandum ergo quòd generationes quædam aliquando ſic radicitus euellantur & pereant, vt ſint in perpetua obliuione. Sunt enim huius iudicij cauſæ iuſtæ apud Deum; tametſi nos ſæpe lateant. *Delebo*, inquit, *hominem quem creaui*, *Exod. 17.* *Deut. 25.* *Gene. 6 et 7.*

creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſq; ad volucrê. Quatuor populoſiſſimas ciuitates, cum
Geneſ. 19. vniuerſa circumfuſa prouincia igne & ſulphure non, iniuſtè perdidit. Dathan, Chore, Abyron cum vxori-
Num. 16. bus, liberis, gregibus, tabernaculis deſcenderunt in infernum viuentes. Satrapas Darij, vxores, & liberos eo-
Daniel. 6. rum membratim diſcerptos leones deuorauerunt. Quis idcirco Deum omnipotentem iniuſtitiæ coarguere poterit? *Qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinen-*
Pſalm. 36. *tes autem Dominum hæreditabunt terram.* Et iterum: *Iniu-*
Pſalm. 17. *ſti punientur, & ſemen impiorum peribit.* Iterumque: *Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos, &c.* Hæc porro ſcripta ſunt, vt omnes abſtineant à crudelitate, ſtudeant verò humanitati ac beneuolentiæ erga eiuſdem ſecum ſpeciei homines & proximos.

Attende etiam in Hamanis propoſito, quàm praui periculoſique conſiliatij ſint ira, odium, liuor, ambitio, & ceteri id genus affectus: cùm namque his ſemel indulſeris, in omnem crudelitatem & feritatem te præcipitem proculdubio rapient. Haman his in tranſuerſum actus non ſolum Mardochæum, aut alios Iudæos qui habitabant in Suſis cogitat interimere: verùm & omnes per centum viginti ſeptem prouincias imperij Perſici, viros, ſenes, iuuenes, mulieres, puellas, lactentes, bonos ſimul & malos, ſontes & inſontes, quod poſtremæ atrocitatis erat. Leuiſſima itaque de cauſſa cœlum terræ miſcent, nec proximis quidem parcunt, qui belluinis iſtis cupiditatibus habenas remittunt, vt multis exemplis plus ſatis compertum & manifeſtum eſt. Odio commotus Eſau, in
Geneſ. 27. ſceleratas minas erumpens, dixit in corde ſuo: *Venient*
Geneſ. 37. *dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Fratres Ioſeph ira & inuidia perciti, de cæde fratris ſui paruuli & innocentis cogitauerunt, denique mangonibus Iſmaeliticis vendiderunt in ſeruum; patris an-
1. Reg. 18. etc. guſtias & mœrores habentes pro nihilo. Saul virtutibus & laudibus Dauidis inuidens, eum primò ex inſidijs interficere conatur, poſtea aperto marte perſequitur, idque tanta contentione & rabie, vt ad ho-
ſtes

ſtes ethnicoſque confugere pepulerit: inſuper & in eius odium Ionathan filium exoſum habuerit, & octoginta quinque ſacerdotes, vnà cum vxoribus & paruulis barbara prorſus crudelitate interfecerit. Abſalom immani ambitu elatus cœtus factioſos egit, bellum pluſquam ciuile ſuſcitauit, concubinis patris ſui vim intulit, ad eiuſdemque necem omnes curas cogitationeſque conuertit. Herodes regni ſeruandi nimia cupiditate accenſus, quatuordecim millium bimulorum infantum cœdibus Bethleemiticum agrum, ſatellites, ſeipſumque commaculauit; perſuaſus ſe in tanta cęſorum caterua Meſſiam nuper natum comprehenſurum. Qui profanorum geſtierint exempla, in Romulo, Cambyſe, Caracalla, Ptolomęis, Turcis, & alijs innumeris patricidis & fratricidis habent, quo ſe affatim oblectent. *2.Reg. 15.* *Matth. 2.*

DE CRVDELITATE Tyrannorum.

CONSPICE quoque diligenter quàm ſæui, quàm truces, quamque ſanguinis innocentum effundendi auidi ſint Tyrannorum animi. Nihili ducunt vt Haman, vnius aut alterius necem, ſed cædes cædibus, cadauera cadaueribus cumulant, priuſquę viuendi quàm ſeuiendi finem faciunt: haud abſimiles lupis, qui cùm in caulam irruperint, incredibili feritate in gregem bacchantes, ad poſtremum vſque agniculum furunt & graſſantur. Nec contenti vulgaribus tormentis ſeruos DEI afficere, nouas ſpecies meditantur, horumque impijs ſtudijs non deſunt noui Phalarides atque Perilli. Antiochus ſeptem fortiſſimos iuuenes Aſſidæos, linguis prius amputatis, cute capitis abſtracta, ſummiſque manuum ac pedum præciſis, ſpirantes in æneis ſartaginibus admoto igne præcepit inhumaniter torreri. *2.Mach. 7.*

Nero Chriſtianos ferarum tergis contectos canibus laniandos obijciebat, aut cruci affigebat, aut denique flammis in vſum nocturni luminis, *Cor. Tac. l. 15. Sen. Sulpit. lib. 2.*

vbi

vbi dies defeciſſet, abſumendos.

Ter.l.Præſc. Domitianus etiam ipſum quem diligebat Ieſus diſcipulum ſimulque Apoſtolum, Euangeliſtam, Prophetam, Epiſcopum, Virginem, & Martyrem Ioannem in feruentis olei dolium iuſſit demergi.

Euſebius. Nicephor. Oroſius. Seuerus. Sub Traiano, Simeon Cleophæ filius, Chriſti conſobrinus, annos natus centum viginti, cruci affixus eſt. Ignatius à leone ferociſſimo diſcerptus & conſumptus. Phocas Ponti Epiſcopus in caminum ardentis calcis præceps detruſus. Clemens appenſa de collo anchora, præcipitatus in mare. Dionyſius Areopagita virgis toto corpore conſciſus, toſtus ſuper craticulam, vnà cum ſocijs capitis abſciſione martyrium conſummauit.

Metaphraſt. Sub Hadriano, Alexander papa cum Hermete vrbis præfecto, vxore, liberis, tota familia numero M C C L. in furno ardenti concrematus eſt. Decem millia militum cum Achatio principe, Heliade duce, & Theodoro eorundem magiſtro, in Armeniæ monte Ararat pro fide Chriſti crucibus clauis affixi, vitam iſtam cum meliore commutârunt.

Euſeb. lib.5. hiſt. Sub Antoninis & Commodo, candentibus igne laminis æris & ferri delicatiores martyrum partes cõſumebantur, ſellis ferreis ignitis ſuperponebantur, beſtijs tradebantur, & ſenſim torrebantur in cratibus: horum denique fauillæ in flumina proijciebantur à carnificibus, vt ſpem reſurrectionis adimerent.

Euſeb. lib.6. cap.31. Imperante Decio, Apolloniæ virgini grandæuæ dentes omnes in ore malleis contundunt, ſicque vexatam in accenſum rogum coniiciunt. Multitudines plurimæ in deſertum fugientes, fame, ſiti, frigore, langoribus, & beſtijs conſumptæ ſunt.

Sub Gallo & Valeriano formæ ſuppliciorum aduerſus Chriſtianos fuerunt beſtiæ, ignes, corporum lacerationes, teſtarum fragmenta, candentes laminæ, fuſtes, raptationes equorum, plumbata, æquulei, præcipitationes in flumina, tauri, vrſi, leones, pardi, fornaces calcariæ, &c.

Euſeb lib. 8. hiſt. Et vt modum enumerationi tandem imponamus, Diocletiano & Maximiano principibus, hæc genera tormen-

tormentorum Chriſtianis propoſita ſunt, flagra, torturæ, raſuræ horrendæ, gladij, ignes, laceræ ſcaphæ, feræ igne & ferro ſtimulatæ, cruces, ſuſpenſiones inuerſæ, fumi ſubiecti, alligationes ad ramos arborum vi inflexos, fodicationes per vngulas ad mortem vſque, ſublationes in aëra, nudis inteſtiſq; honeſtarum matronarum corporibus, aurium narium pedum manuum verendorumque mutilationes, incedere & iacere ſuper carbones, acuti calami ſub vnguibus, perfuſiones picis plumbique liquefacti, extenſiones diuulſiones & confractiones omnium membrorum, ignes lenti, verua candentia & reuſta per partes pudendas viſceraque ingeſta, alijque non minus turpes & intolerabiles modi cruciatuum, qui ab hiſtoricis tàm eccleſiaſticis quàm humanis recenſentur. Numerus autem martyrum creuit quotidie, & aliquando decem, aliquando pureſquam viginti, interdum triginta, imò & ſexaginta; quin & ſupra centum vna die, viri cum mulieribus, & liberis admodum paruulis, varijs ac ſubinde mutatis ſpeciebus tormentorum conſumebantur. Teſtantur præterea Damaſus, Oroſius, Beda, & alij, cæſa in perſecutione Diocletiani ſpatio triginta dierum ſeptemdecim hominum millia: præter eam hominum multitudinem, quæ ad metallorum effoſſiones, excindendos eruendoſque de terræ viſceribus lapides pari ſæuitia damnata fuit. Et quod vix vlla forſan crediſſet ætas, non ſolum ſuperius enumeratis cruciatuum formis, ſed & multo grauioribus & atrocioribus in Chriſtianos Catholicos hoc ſeculo noſtro ſeuierunt ſub Euangelij renouati larua hæretici Caluiniani in Anglia, Scotia, Belgio, & Francia, vt & ipſi vidimus, & ex parte ſcriptis tradidimus.

Comment. in Epiſt. ad Philem.

7\. *Menſe primo (cuius vocabulum eſt Niſan) anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur Phur, coram Haman, quo die & quo menſe gens Iudæorum deberet interfici: & exiuit menſis duodecimus, qui vocatur Adar.*

QVoniam verò hîc & alibi frequens incidit menſium Iudaicorum commemoratio, non erit inutile hos ſuo ordine raptim enumerare.

Primus ab eis dicitur *Niſan*; Aſſyrijs & Chaldæis *Abib*: Macedonibus Ξανθικὸς, reſpondetque partim Martio noſtro, & partim Aprili. Hoc menſe Haman curauit ſortem coram ſe iaciendam, quo menſe ac die Iudæi poſſent facilius deleri, exiuit autem menſis duodecimus. Hunc Hieronymus appellat menſem nouorum fructuum, in quo Paſcha celebrabant. Rurſumque in eodem percuſſa Aegypti primogenita, & de Aegypto eductus populus, ac in ſeruitutem Dei mercede conductus.

Com. in 1. Ezech. & in 3. Oſe.
Exod. 12. & 14.

Secundus *Iiár*, Chaldæis & Syris *Ab*, Macedonibus Ἀρτεμίσιος, & ex parte noſtro Aprili, ex parte Maio conuenit. Hoc autem menſe & meſſis colligebatur, & feſtum Pentecoſtes celebrabatur.

Tertius *Siuan*, Syris & Chaldæis *Ilul*, Macedonibus Δέυτιος, concordatque cum parte Maij & Iunij noſtri. Hoc menſe facta dicitur Iudæis poteſtas ſeſe de hoſtibus defendendi.

Eſther 8.

Quartus *Tammuz*, Syris & Chaldæis *Teboch embol*, Macedonibus, πάνιμος; partim cum Iunio, partim cũ Iulio correſpondens. Hoc menſe putant erectum idolum vituli, tabulas fractas, legem poſtea combuſtam, & idolum abominationis in templo Dei collocatum.

Quintus *Ab*, Aegyptijs *Tybi*, Macedonibus Λῷος, conuenitq́; cum parte Iulij & Auguſti, feruntq́; hoc menſe Aaronem è vita exceſſiſſe, poſteaq́; incenſam Hieruſalem primò à Chaldæis, ſecundò à Romanis.

Sextus *Elul*, Nehem. 5. Macedonibus Γορπιαῖος, Aegyptijs *Mechir*, conuenit cum Auguſti & Septembris parti-

partibus. Traduntq; hoc mẽſe, Exploratores terrę ſanctę detraxiſſe, ob idq; plaga extinctos, de qua Num. 14.

Septimus *Tiſri*, à Thiſroch, id eſt, muſto, quòd eo menſe vindemias collegerint & expreſſerint. Tum etiam docent celebratum feſtum tubarum, Scenopegiæ, & dedicatum templum Salomonis.

Octauus *Marcheſuan*, Macedonibus Δῖος, conuenitque cum Octobri noſtro, vel potius luna Octobris: aiuntque in eo Sedechiam regem Iudæ cum vniuerſis liberis occiſum fuiſſe à Nabuchodonozore.

Nonus *Kaſleu*, de quo 1. Mach. 1. & 4. 2. Mach. 1. & 10. 2. Eſd. 1. Zach. 7. & c. Macedonibus Απιλλαῖος. Romanis Nouember. Eo autem ſeritur in Iudæa.

Decimus *Thebeth*, Macedonibus ἀνδιναῖος, Syris & Chaldæis *Aſchbat*, nobis partim December, partim Ianuarius. Hoc menſe volunt Eſtherem ad regem Aſſuerum deductam, & præ alijs omnibus puellis adamatam, ductam in matrimonium Et poſt aliquot ſecula Legem in Græcum ſermonem conuerſam tempore Ptolomæi regis. *Eſther 2.*

Vndecimus *Schebath*, alij *Sheuet*, Macedonibus περίτιος, Syris & Chaldæis *Adar*, nobis Ianuarij & Februarij pars. Hoc menſe ſcribunt tribum Beniamin propè deletam à cęteris tribubus, propter vim allatam concubinæ in Gabaa. *Iudicum 20.*

Duodecimus *Adar*, Macedonibus δύςρος, Syris & Chaldæis *Niſan & Iior*, nobis partim Februarius partim Martius, quo menſe tradunt patres circumciſi Moſen hac vita functum, inſuper templum à Zorobabele vtcunque inſtauratum, dedicatum fuiſſe. Obſeruat autem Hieronymus menſes qui apud nos Kalendis, nonis, & idibus deuoluuntur, apud Hebræos ſecundum lunæ curſum ſupputari. Vnde & Græco vocabulo μήνη, id eſt luna, à menſe nomen accepit. Hinc autem fieri vt ſinguli menſes apud eoſdem contineant dies viginti nouem & ſemis: ita vt ſolis circulus per annos quadringentos nonaginta plus habeat dies trecentos ſexaginta quinque & quartam diei partem: & per duodecim menſes ſingulorum annorum, vndecim dies, & quarta diei pars reperiatur: *1. Eſd. 6.* *D. Hieronym. Com. in 29. c. Ezech.* *Com. in 9. c. Daniel. ex Africano.*

 Vnde

Vnde Græci & Iudæi per octo annos trium menſium ἐμβολίσμους faciunt, tuncque ſeruant menſem tertium decimum, quem appellant Adar ve Adar, quaſi ſecundus Adar, vel Februarius.

Ex hac enumeratione ac ſerie facilè nunc colligitur quo pacto hic ſcribatur, Hamanem menſe primo, qui vocatur Niſan, ſortes iecisſe quo die & menſe Iudæos tolleret de medio: exiſſe autem menſem duodecimum qui dicitur Adar Itaque menſe illo primo à quodam ſortilego miniſtro, vel forſan puero (nam qui id genus conſectantur, vtuntur plerumq; opera caſtorum adhuc puſillorum) miſſa eſt ſors in vrnam, ipſo attentè auideque ſpectante tyranno Hamane. Solebant enim ethnici conijcere ſortes ſuas vel in hydriam, vt eſt apud Ciceronem; vel in ſitulam, vt in Plauti Caſina: vel in galeam, vt apud Homerum. Notant etiã Aben-Eſra & Lyranus, PHVR vocabulum Perſicum eſſe, non Hebraicum; potuit tamen migrare in Hebraiſmum: & quòd hîc ſcribitur, quæ Hebraicè dicitur *Phur*, intelligendum eſt, in libro Hebraico ſic ſcribitur, quamuis Perſica ſit dictio. *Goral* namque Hebræis ſors appellatur. Et de his hactenus: nunc ad obſeruationes.

Act. 4. in Verr.

Iliados n.

Attende autem in primis Hamanem non ſolùm crudelem, inuidum, ſuperbum, hoſtemque Eccleſiæ; verùm & impium ſortilegum fuiſſe; qui felicitatem vel infelicitatem temporum, ac proſperitatem rerum agendarum vel non agendarum ſortibus diuinatorijs perſcrutatus ſit. Superſtitione ethnica inueſtigat, quo menſe dieque de piorum nece ex animo tractet cum Rege, nec patiatur repulſam: item quo die menſeque poſſint omnes Iudæi occidione occidi, & radicitus extirpari, ſicque barbari voti ſui compotem fieri. Verebatur enim ſi fatale tempus minus diuinaſſet, Aſſuerus rex adeo crudeli lanienæ non aſſentiretur: & ne quid interea accideret, cuius interuentu conſilium iſtud retardaretur aut infringeretur. Nondum ſciebat (inquit Rupertus) vtrum deberet gens Iudæorum interfici, & quęrebat quo die & menſe deberet interfici. Fortaſſe tãtus erat in oculis ſuis, vt in manu ſua mors homi-

Rup. lib. 8. de vict. verbi Dei, cap. 11.

hominum & vita credi deberet conſtituta: & idcirco voluntatem ſuam ſatis eſſe iudicans, non de interfectione querendum cenſebat à ſortibus: ſed ſolummodo de interfectionis tempore. *Sed in manibus Dei*, non in manibus hominum *ſitæ ſunt ſortes noſtræ*, & vitę humanæ tempora. *Conſtituit namq; terminos, qui præteriri non poterunt.* Hinc Euſebius referens Aurelianum Imp. à Deo morte percuſſum, cùm perſecutioni Chriſtianorum ſubſcribere vellet, ſubinfert, Deum oſtendere voluiſſe, quia non cùm voluerit tyrannus, cruciamur: ſed cùm probauerit ipſe, corripimur. *Iuſtorum non ſolum animæ in manu Dei ſunt: ſed & capilli eorum numerati*, & oſſa tam ſolicitè à Deo ſeruantur, vt vnum ex his quantumuis exiguum non ſit in beatorum reſurrectione defuturum: quod ingenti conſolatione nos aduerſus omnes tyrannorum minas, & mortis horrores ſuſtentare & recreare debet. *Pſalm.* 30. *Iob.* 14. *Euſ. li.* 7. *hiſt. cap.* 26. *Sap* 3. *Matth.* 10. *Pſal.* 33.

Vide etiam in his, duo ſacratioris diuini conſilij opera atq; iudicia. Primum, quo impio tyranno dantur induciæ, atq; ad meliorem mentem redeundi duodecim menſium interualla. Sortes enim temperans Dominus, fecit vt menſis duodecimus illis deſignaretur, quo poſſet iracundiæ flammas reſtinguere; & de concepto in populum Dei odio interituq; pœnitentiam agere. O Deum verè clementem, mitem, & placabilem ſuper nequitiam hominum! *Non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Suſtinet in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum*. Benignitas eius ad pœnitentiam nos adducit. Cauendum igitur ne duritia noſtra, & impœnitentia cordis theſaurizemus nobis iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, ſicut & impius iſte ſibi cumulauit. *Ezech.* 18. *Sap.* 11. *Rom.* 9. *Rom.* 2.

Alterum diuini cōſilij opus eſt, quòd dum ſuſcepta tantæ dilationis mora, pendente ſententia mortis, opportunum fecit Dominus vniuerſæ genti ſuæ ſpatiū, ad legationes mittendas in altitudinem cæli, vnde auxiliares copiæ debeant conduci, ſcilicet ieiunia, lachrymæ, & preces, quæ idoneæ legationes erant, & ſunt, ad inuocandum de cælo auxilium. Profectò & ſi *Rup. l.* 8. *de victr. verb. c.* 12.

prope erat (vt eſt) Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, nihilominus erat neceſſarium tam longum à ſortibus datum dilationis ſpatium, vt ſuffi-ceret tempus currentibus epiſtolis ad principes & populos prouinciarum, vt nouis epiſtolis veteres Hamanis literæ corrigi poſſent, priuſquam termino tempo-
Pſal. 102. ris concluderentur. *Quomodo pater miſeretur filiorum ſuorum, ſic miſertus eſt Dominus timentibus ſe* Mundo centũ
Gen. 6. & 7. & viginti annorum pœnitendi ſpatium conceſſit, pri-
Ion. 2. & 3. uſquam diluuium induceret: Niniuitis quoq; quadraginta dies, vt interea ieiunio, lacrymis, eiulatu, conuerſioneque reuerterentur ad Dominum. *Si pœniten-*
Ierem. 18. *tiam egerit gens* (inquit ille) *à malo ſuo, pœnitentiam agam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei.* De ſortibus ęquum eſt vt paulo latius agamus.

DE SORTIBVS.

1. *De diuinat.* SOrtem Tullius cenſet idem eſſe propemodum quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras: in quibus temeritas & caſus, non ratio & conſilium
In Pſal. 30. valet. Auguſtinus verò ait, Sortes nihil aliud eſſe, quã in dubitatione humana, indicium diuinæ voluntatis.
Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. Scholaſtici Sortes propriè dicunt, cùm aliquid fit, vt eius euentu cõſiderato, aliquid dubium reueletur, vel occultum innoteſcat, vtpote, cùm iacitur lapis, nummus, gladius, quadrans, vel quid aliud in altum, ſpectaturq; in quod latus ceciderit: vel cùm ſumptis inęqualibus feſtucis, ex earum ſorte ſtatuitur, quid faciendum ſit aut non ſit, quid eligendum aut fugiendum.

2 Vniuerſum porrò genus Sortium diducitur in tres ſpecies. Cùm enim dubitamus cui aliquid adiudicandum ſit, vt in diuiſione agrorum vel honorum, & ſortitione iſtud exquiritur, diuiſoria ſors appellatur. Quando quid potiſſimum agendum ſit aut omittendum inueſtigatur, Conſultoria dicitur. Diuinatoria verò, quum exquiritur, quid ſit futurum de rebus occultis ac contingentibus. Ac primæ ſpeciei, id eſt, diuiſoriæ ſortis, vſum, modò abſit vanitas & ſuperſtitio, in rebus temporalibus licitum eſſe, atq; ad compeſcendas lites non parum vtilem adfirmant, vel ex eo

quòd ſancti viri tum in veteri, tum in nouo teſtamen- 26.q. 2. can.
to multa referantur hoc medio decreuiſſe ac conſti- *quod autem:*
tuiſſe. Deus namq; iuſſit Iſraelitis terram promiſſam *c.Sors:c.Non*
ſortibus diuidere: quod & Ioſue perfecit, vnicuiq; tri- *ſtatim. &c.*
bui partem ſuam aſſignans in funiculo diſtributio- *Num. 26. &*
nis. Idem Ioſue ſortibus deprehendit Achan peccaſ- 34.
ſe: ſorte hyrcus eligebatur Domino immolandus: ſor- *Deut.1.et* 31.
te Saul in regem Iſraelis electus: ſorte Ionathas depre- *Ioſue* 7.
henſus mel comediſſe contra patris edictum: mini- *Leuit.* 16.
ſteria templi inter ſacerdotes ſorte diſtributa ſunt: ve- 1.*Reg.*10. *&*
ſtimenta Chriſti ſorte diuiſa: ſorte Matthias aſſump- 14.
tus in ordinem duodecim Apoſtolorum, &c. 1.*Par.*24. *&*

3. Proceres Eccleſiæ Chriſtianæ ab his non adeo ab- 26.
horruiſſe, ſatis indicant ſequentes Auguſtini ſenten- *Pſalm.*21.
tiæ. Si inter Dei miniſtros, inquit, ſit diſceptatio, qui *Matth.*27.
eorum perſecutionis tempore maneant ne fuga fiat *Act.* 1.
omnium: & qui eorum fugiant, ne morte eorum de- *Aug epiſt. ad*
ſeratur Eccleſia, ſi hæc diſceptatio non potuerit aliter *Honorat.*
terminari; quantum mihi videtur, qui maneant, &
qui fugiant, ſorte ſunt eligendi. Et hoc ipſum alibi *Idem lib.* 1.
confirmans ſcribit. Si cui abundaret aliquid, quod *de doctrin.*
oporteret dari eis qui non haberent, nec duobus da- *Chriſt.*
ri poſſet, ſi tibi occurrant duo, quorum neuter alium
vel negligentia, vel vrgente aliqua neceſſitate ſu-
peraret, nihil iuſtius faceres, quàm vt ſorte elige-
res cui dandum eſſet, quod dari vtrique non poſ-
ſet. Nec Gregorius ſortem damnat, cùm ait: Qui ſor- *In c.* 14. *lib.*
tes mittunt, per viſibilium rerum coniecturas, la- 1. *Reg.*
tentia ſæpe deprehendunt. Sic nimirum Ionas fugi-
ens ſorte noſcitur: ſic Matthias Apoſtolus Apoſto-
lica celſitudine dignus inuenitur. His accedunt neo- *Com. in* 16.
terici, veluti Lyranus, Thomas, Clauaſius, & alij *Prouer.*
quamplures, qui nullum vitium his ſortibus ſub- *Ion.*3 *&*
eſſe cenſent; modò euentus aut diſpoſitio illarum *Act.*1.
tantùm expectetur à Domino, vel ſimpliciter à for- 2.2.*q.* 95.
tuna. *art.*8.

Quinetiam, Iureconſulti ſortibus vti permittunt *Sum. voce,*
pro dirimendis dubijs rerum eiuſdem priuilegij & *Sors.*
fauoris concurrentibus. Veluti in communi diui- *Digeſtorum*
dundo, familiæ herciſcundæ, finium regundorum: *Lib.*5.*tit.*1.

Lib.13.& 14. in quibus vtriuſque litigatoris par cauſa eſt, & is qui *Cod. Lib. 6.* prius egerit, actor vel petitor dicitur. Si tamen ambo *titul. 43. l.3.* litigantium ad iudicem ſimul prouocauerint, ſorte iudicium dirimendum eſt, quis eorum partes actoris ſuſtinebit. Pari modo, ſi optio legata fuerat rerum plurium legatario, qui ante optionem pluribus hæredibus relictis deceſſerit, iique conuenire non poſſint *Inſtitut. lib. 2. tit 20. §. Optionis.* in re eligenda, ſorte optio & electio vni ex illis adiudicatur. Quando etiam hæredes æquis partibus inſtituti, non poſſunt inter ſe conuenire, apud quem illorum remaneant cautiones hæreditariæ, quas vulgus *Dig. lib. 10. tit.2. l.5.* dicit documenta hæreditatis, ſortiri ea de re eos oportere placuit: vel ex conſenſu & ſuffragio eligere amicum, apud quem deponantur.

4. Inter ethnicos porrò ſortium diuidentium vſus multo adhuc crebrior reperitur. Nam Aegyptij quos quiſque agros coleret, viritim diuidebant. Græci ſortibus colonias deducebant: hinc coloni κληροῦχοι apud illos dicti ſunt. Romani magiſtratus, legationes, & præfecturas ſortiebantur, ne ambitioni (ait Tacitus) aut inimicitijs locus foret. Siracuſis lex *Cor. Tac. lib. 10.* fuit (teſte Tullio), quæ in annos ſingulos Iouis Sacer- *Verrina 4.* dotem ſortitò capi iubebat. Apud Homerum principes ſortiuntur, ſortibus coniectis in galeam, eaque vibrata & agitata euſque, donec exilirent ſortes ordine. Quò cuiuſque ſors prius exibat, eò ipſe antecedebat cæteros. Hodie etiam alicubi quando æqualitas in diuiſione hæreditatum ſeruari nequit, ad vitandas contentiones ſortibus vtuntur. Quinetiam excubiæ inter milites, labores cum periculo coniuncti, manubiæ, & alia huius generis, ad ſortes reuocantur.

Sunt autem diuidentium ſortium diuerſæ rationes. Darius pro ſortibus vſus eſt hinnitu equi: alij aſpectu Solis exorientis. Alij fabis nigris & candidis, *Plat. lib. de liber. educ.* ex quo natum prouerbium, A fabis abſtineto, id eſt, à tractandis reipublicæ muneribus: propterea quod antiquitus in creandis magiſtratibus ſuffragia per fabas vice calculorum ferebantur. Athenienſes per literas alphabeti Græci ſortiebantur. Alij globulis ſeu calculis, quo-

lis, quorum quidam ἀτρῆτοι erant, quidam τετρημένοι, alij verò teſſeris. Veneti in creandis magiſtratibus glo- *Contarin.* bulos inauratos & argenteos vſurpant; alij ſchedas eductas ex vaſculo, aut impoſitas rebus diuidendis adhibent, &c. Modò autem (vt diximus) abſit omnis vanitas, ſuperſtitio, ac dolus; deinde ſortium euentus non quæratur à dæmone, imò verò diuinæ prouidentiæ vniuerſa committantur, non video quid in his peccetur. Hinc Auguſt. Sors non eſt aliquid mali, ſed *Com. in Pſal.* res in humana dubietate diuinam indicans volunta- *30.* tem. Et hactenus de Diuiſoria, id eſt, prima ſortium ſpecie.

5. Secundam ſpeciem Conſultoriam appellant, nimirum cùm inquiritur quid præſertim ſit agendum in re graui & dubia. Hac etiam vti licere confirmant, ſi quatuor diligenter obſeruentur. Primò, ſi in rebus temporalibus duntaxat adhibeatur. Nam in ſpiritualibus, vt in electione paſtorum Eccleſiaſticorum, omnino prohibita eſt. Secundò, ſi omnis abſit ſuperſtitio. Tertiò, quando euentus ſortium expectatur à Deo. Nam ſi à malignis ſpiritibus præſtoletur, impium eſt: ſi à cælo, ſtellis, aſtris, planè ridiculum & inane. Quartò, ſi cum Dei timore, reuerentia, & oratione præuia iaciantur ſortes. Quintò, addi poteſt, vt id fiat ſine vlla fraude ac dolo. Poſtremò, ne ad ſortes adhibeantur verba diuinarum ſcripturarum. De his namq; ſcribitur à Salomone: *Sortes mittuntur in ſinū, ſed à Domi- Prouerb. 16. no temperantur.* Hoc eſt, Deus inuocatus regit exitum rerū dubiarū. Et rurſum: *Contradictiones comprimit ſors, & Prouer. 18. inter potentes quoq; dijudicat.* Etenim cùm decreto aut euentui ſortis ſeſe obligant etiam homines dyſcoli ac moroſi, nō inuiti acquieſcunt, quādo bona fide adminiſtrantur, vt ex ſuperioribus exemplis, quorum multa etiam ad hunc locum pertinent, cuiuis promptū eſt colligere. Quando enim in re graui ac neceſſitate conſtitutis non occurrit ex verbo Dei, aut alia ratione, quid faciendum aut prætereundum ſit, tunc per ſortes ad diuinum recurrendum eſt conſilium & auxilium, vt exemplis Ioſue, Apoſtolorum, & Auguſtini confirmauimus. Inducitur etiā factum Abrahæ, *Geneſ. 21.*

22. *q.2.c. quæritur.* qui quod non potuit, Deo commiſit, in quem ſperauit: nec eum fides aut ſpes fefellit.

S.Thom.2.2. q.95. Deut. 6. Matth.4. 6. Contingit porrò multis modis homines in hoc negotio peccare. Primò, cùm abſque vlla neceſſitate ad ſortes recurrunt. Sic enim contra diuinam prohibitionem, tentant Dominum Deum ſuum. Neceſſitas autem iudicanda eſt, ſi quid occurrat quod faciat ad gloriam Dei, Eccleſiæ publicam vtilitatem, & proximorum ædificationem, quod humana prudentia diſpicere non valeas: aut ſi valeas, inuidiam tamen alia ratione declinare non poſſis. Secundò, ſi quis etiam in neceſſitate, abſque reuerentia Deique timore & inuocatione ſortibus vtatur. Hinc ven. Beda: Si qui aliqua neceſſitate compulſi, Deum putant ſortibus exemplo Apoſtolorum, eſſe conſulendum: videant hoc ipſos Apoſtolos non niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis, egiſſe. Tertiò, quando verbis ſacræ ſcripturæ, aut diuinorum ſacramentorum ritibus ad ſortes abutuntur. De his enim Auguſtinus ait. His qui de paginis Euangelicis ſortes legunt, & ſi optandum ſit, vt potius faciant, quàm ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia ſecularia, & ad vitæ huius vanitates diuina oracula velle conuertere. Quartò, ſi in electionibus Eccleſiaſticis quę Spiritus Sancti inſpiratione fieri debent, aliqui ſortibus vtantur. Vnde Beda: Matthias ante Penthecoſten ordinatus ſorte quæritur: quia ſcilicet nondum erat plenitudo Spiritus Sancti in Eccleſia effuſa. Septem autem Diaconi poſtea non ſorte, ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati. Secus eſt autem in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam diſpoſitionem ordinantur: in quarum electione plerunque homines ſortibus vtuntur, ſicut & in temporalium rerum diuiſione. Quintò, ſi euentus ſortium expectetur à malignis ſpiritibus, vel è cælo tanquam actus humani eidem omninò abſoluteque ſubijcerentur ac dirigerentur. Hoc enim falſum & idololatricum eſt, pertinens ad impietates gentilium adorantium cælos & mili-

Bed. in 1.c. Act.

Aug ep. ad Ianuarij inquiſitiones.

Bed. in 1.c. Act.

Extra, de ſortilegis, cap. vltim.

ſtiam

tiam cælorum. Exemplum propoſitum eſt à Propheta. *Stetit rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum* (ſcilicet, vna qua pergitur ad Rabbath filiorum Ammon, altera verò Hieroſolymam Hebræorum,) *diuinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogans idola, exta conſuluit. Ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem, &c.* *Ezech. 21.*

7. Tertia ſortium ſpecies appellatur Diuinatoria, eo quod per eam homines de rebus occultis, ac etiam futuris contingentibus diuinando augurentur. Hoc autem duobus præſertim modis fieri contingit. Primò, quando dæmones ſiue apertè & manifeſtè, ſeu occultè aut interpretatiuè (vt in ſcholis dicimus) ad id inuocantur. Ochozias mittens ad Beelzebuth idolum Accaronitarum, vt ab eo reſciret, ſi conualeſcere poſſet de infirmitate, diabolum palam inuocabat, more gentilium oracula (quæ mera dæmonia erant) conſulentium: Saul pythoniſſam conſulens interpretatiuè. Ad hunc ordinem plurimæ diuinationum ſpecies referri poſſunt, veluti Hydromantia, quæ fit per aquam: Pyromantia, quæ fit per ignem: Geomantia, per terram: Aeromantia, ex aëre: Batanomantia, ex herbis: Capnomantia, per fumum: Axinomantia, per ſecurim: Lecanomantia, per peluim, in qua aqua mouebatur à dæmone, & vox tenuis indicans futura, reddebatur: Coſchinomantia, ex cribro: Gaſtromantia, id eſt, ex amphora ventroſa, quæ à puero ſolebat introſpici: Capyromantia, quæ de ſpeculis ex diſſultantibus imaginibus trahebatur: Chiromantia, ex manibus hominis: Metopoſcopia, ex frontis inſpectione: Onirocritica, ex ſomniorum interpretatione: Phyſiognomia, ex totius corporis membrorum conſideratione: Augurium, ex auibus: Extiſpicium, ab extis occiſorum animalium contemplatione: Necromantia, Goëtia, Theurgia, & plurimæ aliæ artes, quibus vaniſſimi homines ſimplicibus illudunt, ipſi prius à cacodæmonibus illuſi & dediti: quibus incerta & occulta ſapientiæ diuinæ manifeſtare, & momenta temporaque Patris *4. Reg. 1.* *1. Reg. 28.*

omnium poteſtati reſeruata, ſe præſagire prædicereque damnabili temeritate repromittunt. &c.

8. Secundò, ſorti diuinatoriæ dant operam, qui furta, vel alia occulta inueſtigant per inſpectionem aſtrolabij, clauis agitationem, libri inſcriptionem, taxillorum ſuper punctos iniectionem: ſicut & illi, qui cùm obuiant monacho, fœminæ prægnanti, aut lepori, certò ſibi malum futurum prænunciant. Hæc enim omnia non ſolùm ſuperſtitioſa, impia & ſacrilega ſunt: verùm etiam immundorum ſpirituum inuocationem, & cultum, ſeu occultum ſeu manifeſtum continent, eiſdemque per ſummum ſcelus tribuunt, quæ ad diuinum nomen, præſcientiam, iudiciumque referri deberent: & idcirco omni iure legeq; prohibentur.

Leuit.19. *Non declinetis ad magos* (ait Moyſes), *neque ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos.* Et paulò poſt:

Leuit. 20. *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui* Iterumque alibi.

Deut.18. *Non inueniatur qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria. Nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus: & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit gentes in conſpectu tuo.*

9. Accedunt plurima Eccleſiæ Catholicæ decreta, quibus ſortes iſtæ ſuperſtitioſæ, omneque diuinationis genus prohibetur atque damnatur. Et ſi ſortibus (inquiunt) nihil mali ineſſe monſtratur, prohibentur tamen fidelibus, ne ſub ſpecie diuinationis ad antiquos idololatriæ cultus redirent. Et ſunt verba Auguſt. in Pſalm 30. Hieronymus autem ſcribit: Non ſtatim debemus ſub exemplo Ionæ ſortibus credere: vel illud de Actibus Apoſtolorum huic teſtimonio copulare, vbi ſorte Matthias in Apoſtolum eligitur. Et Leo quartus, ad Epiſcopos Britanniæ. Sortes quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis prouincijs, quas patres damnauerunt: nihil aliud quàm diuinationes & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari: & inter Chriſtianos vltra nolumus

26. q. 2. c. Nō ſtatim. c. Hi qui. can. Non exemplo. c. Intelligi, &c. Et q 5. c. Sortes. c. Si quis ariolos. c. qui diuinationes. c. aliquanti. c. quicunq;, &c.

lumus nominari:& ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus &c.

10. Supplicia verò quibus plecti debeāt ſortilegi, hæc in Decretis conſtituuntur. Infamia publica notantur tum ipſi, tum hi qui ad eos concurrunt. 2. q. S. c. quiſquis. Et de teſti. c. teſtimonium. Si fuerint ex ordine cleri, omnino debent ab officijs deponi, & ad pœnitentiam peragendam in arctum monaſterium retrudi. 26. q 5. c non oportet: c. ſi quis Epiſcopus. Sin laici fuerint, & conditione ſerui, verberibus ſubijciuntur: ſi liberi, incluſione digna coarctandi 26. q. 5. contra idolorum. Et hæc quidem Eccleſia, quæ iudicium ſanguinis non habet, aduerſus ſacrilegos decernit.

11. Imperatores autem Chriſtiani pro ſuo in Chriſtianam pietatem & rempublicam zelo, ſeuerius longè in eos animaduerti præcipiunt. Primò enim volunt, Mathematicos deportationis pœnam excipere, niſi parati ſint codices proprij erroris ſub oculis Epiſcoporum concremare. Rurſum, eoſdem, communis ſalutis hoſtes, & humani generis inimicos eſſe pronunciant: & nunc capitali ſententia feriendos: mox verò haruſpicem concremandum; & eum qui illum ſuaſionibus vel præmijs euocauerit, poſt ademptionem bonorum, in inſulam detrudendum. Denique, accuſatores illorum non delatores eſſe, ſed dignos magis præmio arbitrantur Et de his hucuſq; : ad immanem Eccleſiæ hoſtem redeundum.

Codi. Theod. Lib. 9 tit. 16. lege 12. Lege 1. 4. 6. 8. & 11.

8. *Dixit Haman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus, nouis vtens legibus & cæremonijs, inſuper & regia ſcita contemnens. Et noſti optimè quod non expediat regno tuo vt inſoleſcat per licentiam.*

9. *Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ.*

mutuo ſuorum conſpectu priuentur: ſed de illis ne verbum quidem vllum vnquam audiant: quod pijs animis ipſa morte grauius eſt. Ex quibus manifeſtum eſt res Iudæorum extremis miſerijs afflictas fuiſſe. Quod Pſalmiſta his verbis expreſſit, ſimulque rationem diuini in eos iudicij deſignauit. *Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum* &cæt. Et rurſum: *Sederunt in tenebris & vmbra mortis, vincti in mendicitate & ferro. Quia exacerbauerunt eloquia Dei, & conſilium altiſſimi irritauerunt.* Noluerant Deo parere in terra propria, dum magna libertate gauderent: nunc dura ſeruitute preſſi gemunt, & in capitis diſcrimen adducuntur. Sub proprijs Regibus ſacros Ieroſolymorum conuentus aſpernati; ad vitulos aureos, lucos, idola, & ſuperſtitiones gentilium cucurrerant: nunc ſub duriſſima tyrannide conſtituti & diſtracti nec poſſunt, nec audent, etiam colendi Dei gratia, ſecum ſimul conuenire. Atq; hi fructus aſpernatæ ab hominibus diuinæ religionis. Pſalm. 106.

Secundum caput criminationis eſt, *quòd nouis vterentur legibus & ceremonijs*, id eſt, Perſarum, Medorum, Chaldæorum, & omnium aliarum gentium religiones contemnerent & damnarent: ſuam verò legem & pietatem ſolam mirarentur & ſeruarent. Fingunt ſibi, inquit, neſcio quem Deum, qui nec oculis videri, nec manibus contrectari poſſit. Hunc cælis ſe continere, nec cum hominibus conuerſari iactitant: noſtros autem omnes pro impuris dæmonibus habent. Imperatorum natales non celebrant; Iouis, Saturni, Martis, Veneris, Solis, Lunæ, Oromaſdis, & Arimanis feſta contemnunt; nos tauros & equos eis immolantes irrident. Ipſi diem ſeptimum otio colunt, & quod pudendum ac minimè tolerandum; in verendorum ſuorum circunciſione fœdus Dei ſui conſiſtere gloriantur. &c.

At, falsũ eſt quod religio aut Lex Iudęorũ noua eſſet: quãdo eam ab omnipotẽti Deo, Moſe aũt adminiſtro

& interprete, ante nongentos annos accepiſſent: confirmataque fuiſſet innumeris miraculis in deſerto, & terra Paleſtinorum. Quinetiam circuncifio non erat ex lege, ſed ex patribus, qui legem plus ſeptingentis annis præceſſerant. Imò verò in lege data primis parentibus, omnia præcepta condita (cum Tertulliano) recognoſcimus, quæ poſtea pullulauerunt data per Moyſen. Nam prima illa lex matrix eſt omnium præceptorum Dei, quam ex parte obliteratam, per conſequentem inſtaurauit. Conſtat enim Adamum, Abelem, Seth, Enoch & alios veteris æui patres, non alia credidiſſe de vero & vnico Deo, de creatione rerum, de lapſu & reparatione generis humani, cæteriſque veræ religionis capitibus; quàm quod poſtea crediderunt Prophetæ, & docuerunt per totum orbem Apoſtoli.

Tert.li.adu. Iudæos,ca 2. Idem lib.1. & 2.aduerſ. Marc. Euſeb.lib.1. hiſt cap.1.

Tertium accuſationis caput eſt, *quòd Regis edicta placitaque contemnant*, proindeque rei ſint omnes maieſtatis imminutæ. Et ſiquidem quæſtio ſit de ciuilibus & politicis legibus, falſum eſt: nam in exilio ſuo his legibus neceſſe fuit eos ſubditos eſſe, quas agnoſcebant Imperatores in quorum poteſtate erant. Didicerant enim à Prophetis Magiſtratum eſſe è Deo, proinde verendum & audiendum eſſe. Audierant quoque à Ieremia. *Seruietis regi Babylonis ſeptuaginta annis*. Et iterum. *Gens & regnum quod non ſeruierit Nabuchodonoſor regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum ſuum ſub iugo regis Babylonis. in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illā, dicit Dominus.* Et paulò poſt. *Et ad Sedechiā regem Iuda locutus ſum ſecundū omnia verba hæc, dicens: Subijcite colla veſtra ſub iugo regis Babylonis, & ſeruite ei, & populo eius, & viuetis.* Baruch etiam iubet eos orare *pro vita Nabuchodonoſor regis, & pro vita Balthaſar filij eius, vt ſint dies eorum ſicut dies cæli ſuper terram, ſeruiant eis multis diebus, viuant ſub vmbra eorum, & inueniant gratiam in conſpectu eorum*. Haman igitur vim facit illis cùm eos leges regias contemnere tam impudenter aſſeuerat.

Ierem.25. Ierem.27. Baruch.1.

Quod autem ad religionem attinet, ſanè oportuit eos à ſimulachrorum cultu omnino abhorrere, potiuſ-

tiuſque mortem oppetere quàm his ſeruire, vt conſtanter fecerunt ſeptem illi generoſi adoleſcentes cū matre, quorum vox eſt ad tyrannos: *Parati ſumus mori magis, quàm patrias Dei leges præuaricari.* Pari conſtantia & animi fortitudine tres pueri Nabuchodonoſor horrendum fornacis incendium minitanti, ſi ſtatuam nō adorarent, reſponderunt. *Deus noſter poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam quam erexiſti non adoramus.* Præcipit enim Spiritus ſanctus, obedire Deo magis quàm hominibus. Atque hæc de tribus accuſationis capitibus: ſequitur adhortatio. 2. Mach 7. Daniel. 3. Actor. 4.

Et noſti optimè, quod non expediat regno tuo, vt inſoleſcat populus iſte per licentiam. Si tibi placet, decerne vt pereat. Verendū eſt, inquit, ne alij, qui hactenus ſumma animi alacritate Edictis tuis paruerunt, horum exemplo ad defectionem & rebellionem concitentur, tributa denegent, & ad bella tua cùm opus fuerit, exire detrectent. Age ergo, ſi vltra volueris in pace regnare, ſi dicto audientes ſubditos ſeruare, ſi ſartum tectumque cupis imperium poſteris tuis relinquere, dic tantùm vt pereant. Dictum, factum puta. Attende quoque quàm vafrè & malitioſè rem agat. *Si tibi placet*, inquit, non meum eſt Regi quid agendum ſit præſcribere, quod probè ſciam illum abundare prudentia & conſilio: verùm ſi cauſſa mea eſſet, populum tam peſtiferum excindi curarem, vt ſaluti & tranquillitati totius regni conſulerem.

Et hoc planè artificium & conſilium eſt diaboli mendacis & homicidæ ab initio, qui totus in eo eſt, vt ſemen mulieris deuoret, pioſque Dei ſeruos tollat ex hoc mundo, vt tyrannidem ſuam ſtatuat. Magnum enim & impudens mendacium eſt, ſanctos viros regnis eſſe detrimento, quorum potius ſunt ornamenta, & firmiſſima præſidia. Nam ob paucos pios & bonos viros Deus nonnunquam ampliſſimis ciuitatibus, prouincijs, & regnis ignoſcit. Si decem iuſti in quinque ciuitatibus fuiſſent inuenti, non conflagraſſent incendio ſulphureo. In gratiam vnius Lot, Segor Ioan. 8. Apocal. 12. Geneſ. 3. Gen. 18. et 19 Sap. 10.

prope erat (vt eſt) Dominus omnibus inuocantibus cum in veritate, nihilominus erat neceſſarium tam longum à ſortibus datum dilationis ſpatium, vt ſufficeret tempus currentibus epiſtolis ad principes & populos prouinciarum, vt nouis epiſtolis veteres Hamanis literæ corrigi poſſent, priuſquam termino temporis concluderentur. *Pſal.102.* *Quomodo pater miſeretur filiorum ſuorum, ſic miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Mundo centũ *Gen.6. & 7.* & viginti annorum pœnitendi ſpatium conceſſit, priuſquam diluuium induceret: Niniuitis quoq; quadra- *Ion.2. & 3.* ginta dies, vt interea ieiunio, lacrymis, eiulatu, conuerſioneque reuerterentur ad Dominum. *Ierem.18.* *Si pœnitentiam egerit gens* (inquit ille) *à malo ſuo, pœnitentiam agam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei.* De ſortibus ęquum eſt vt paulo latius agamus.

DE SORTIBVS.

1\. *De diuinat.* SOrtem Tullius cenſet idem eſſe propemodum quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras: in quibus temeritas & caſus, non ratio & conſilium valet. *In Pſal. 30.* Auguſtinus verò ait, Sortes nihil aliud eſſe, quã in dubitatione humana, indicium diuinæ voluntatis. *Thom.2.2.q.95.art.8.* Scholaſtici Sortes propriè dicunt, cùm aliquid fit, vt eius euentu cõſiderato, aliquid dubium reueletur, vel occultum innoteſcat, vtpote, cùm iacitur lapis, nummus, gladius, quadrans, vel quid aliud in altum, ſpectaturq; in quod latus ceciderit: vel cùm ſumptis inęqualibus feſtucis, ex earum ſorte ſtatuitur, quid faciendum ſit aut non ſit, quid eligendum aut fugiendum.

2 Vniuerſum porrò genus Sortium diducitur in tres ſpecies. Cùm enim dubitamus cui aliquid adiudicandum ſit, vt in diuiſione agrorum vel honorum, & ſortitione iſtud exquiritur, diuiſoria ſors appellatur. Quando quid potiſſimum agendum ſit aut omittendum inueſtigatur, Conſultoria dicitur. Diuinatoria verò, quum exquiritur, quid ſit futurum de rebus occultis ac contingentibus. Ac primæ ſpeciei, id eſt, diuiſoriæ ſortis vſum, modò abſit vanitas & ſuperſtitio, in rebus temporalibus licitum eſſe, atq; ad compeſcendas lites non parum vtilem affirmant, vel ex eo

quòd ſancti viri tum in veteri, tum in nouo teſtamen- *26.q. 2. can.*
to multa referantur hoc medio decreuiſſe ac conſti- *quod autem:*
tuiſſe. Deus námq; iuſſit Iſraelitis terram promiſſam *c. Sors: c. Non*
ſortibus diuidere: quod & Ioſue perfecit, vnicuiq; tri- *ſtatim. &c.*
bui partem ſuam aſſignans in funiculo diſtributio- *Num. 26. &*
nis. Idem Ioſue ſortibus deprehendit Achan peccaſ- *34.*
ſe: ſorte hyrcus eligebatur Domino immolandus: ſor- *Deut. 1. et 31.*
te Saul in regem Iſraelis electus: ſorte Ionathas depre- *Ioſue 1. 7.*
henſus mel comediſſe contra patris edictum: mini- *Leuit. 16.*
ſteria templi inter ſacerdotes ſorte diſtributa ſunt: ve- *1. Reg. 10. &*
ſtimenta Chriſti ſorte diuiſa: ſorte Matthias aſſump- *14.*
tus in ordinem duodecim Apoſtolorum, &c. *1. Par. 24. &*
3. Proceres Eccleſiæ Chriſtianæ ab his non adeo ab- *26.*
horruiſſe, ſatis indicant ſequentes Auguſtini ſenten- *Pſalm. 21.*
tiæ Si inter Dei miniſtros, inquit, ſit diſceptatio, qui *Matth. 27.*
eorum perſecutionis tempore maneant ne fuga fiat *Act. 1.*
omnium: & qui eorum fugiant, ne morte eorum de- *Aug epiſt. ad*
ſeratur Eccleſia, ſi hæc diſceptatio non potuerit aliter *Honorat.*
terminari; quantum mihi videtur, qui maneant, &
qui fugiant, ſorte ſunt eligendi. Et hoc ipſum alibi *Idem lib. 1.*
confirmans ſcribit. Si cui abundaret aliquid, quod *de doctrin.*
oporteret dari eis qui non haberent, nec duobus da- *Chriſt.*
ri poſſet, ſi tibi occurrant duo, quorum neuter alium
vel negligentia, vel vrgente aliqua neceſſitate ſu-
peraret, nihil iuſtius faceres, quàm vt ſorte elige-
res cui dandum eſſet, quod dari vtrique non poſ-
ſet. Nec Gregorius ſortem damnat, cùm ait: Qui ſor- *In c. 14. lib.*
tes mittunt, per viſibilium rerum coniecturas, la- *1. Reg.*
tentia ſæpe deprehendunt. Sic nimirum Ionas fugi-
ens ſorte noſcitur: ſic Matthias Apoſtolus Apoſto-
lica celſitudine dignus inuenitur. His accedunt neo- *Com. in 16.*
terici, veluti Lyranus, Thomas, Clauaſius, & alij *Prouer.*
quamplures, qui nullum vitium his ſortibus ſub- *Ion. 3 &*
eſſe cenſent; modò euentus aut diſpoſitio illarum *Act. 1.*
tantùm expectetur à Domino, vel ſimpliciter à for- *2. 2. q. 95.*
tuna. *art. 8.*

Quinetiam, Iureconſulti ſortibus vti permittunt *Sum. voce,*
pro dirimendis dubijs rerum eiuſdem priuilegij & *Sors.*
fauoris concurrentibus. Veluti in communi diui- *Digeſtorum*
dundo, familiæ herciſcundæ, finium regundorum: *Lib. 5. tit. 1.*

 in qui-

Lib.13.& 14. in quibus vtriuſque litigatoris par cauſa eſt, & is qui
Cod. Lib. 6. prius egerit, actor vel petitor dicitur. Si tamen ambo
titul. 43. l.3. litigantium ad iudicem ſimul prouocauerint, ſorte iudicium dirimendum eſt, quis eorum partes actoris ſuſtinebit. Pari modo, ſi optio legata fuerat rerum plurium legatario, qui ante optionem pluribus hære-
Inſtitut. lib. dibus relictis deceſſerit, iique conuenire non poſſint
2.tit 20. §. in re eligenda, ſorte optio & electio vni ex illis adiu-
Optionis. dicatur. Quando etiam hæredes æquis partibus inſti-
Dig.lib. 10. tuti, non poſſunt inter ſe conuenire, apud quem illo-
tit.2.l.5. rum remaneant cautiones hæreditariæ, quas vulgus dicit documenta hæreditatis, ſortiri ea de re eos oportere placuit: vel ex conſenſu & ſuffragio eligere amicum, apud quem deponantur.

4. Inter ethnicos porrò ſortium diuidentium vſus multo adhuc crebrior reperitur. Nam Aegyptij quos quiſque agros coleret, viritim diuidebant. Græci ſortibus colonias deducebant: hinc coloni κληρῦχοι apud illos dicti ſunt. Romani magiſtratus, legationes, & præfecturas ſortiebantur, ne ambitioni,
Cor. Tac. lib. (ait Tacitus) aut inimicitijs locus foret. Siracuſis lex
10. fuit (teſte Tullio), quæ in annos ſingulos Iouis Sacer-
Verrina 4. dotem ſortitò capi iubebat. Apud Homerum principes ſortiuntur, ſortibus coniectis in galeam, eaque vibrata & agitata eouſque, donec exilirent ſortes ordine. Quò cuiuſque ſors prius exibat, eò ipſe antecedebat cæteros. Hodie etiam alicubi quando æqualitas in diuiſione hæreditatum ſeruari nequit, ad vitandas contentiones ſortibus vtuntur. Quinetiam excubiæ inter milites, labores cum periculo coniuncti, manubiæ, & alia huius generis, ad ſortes reuocantur.

Sunt autem diuidentium ſortium diuerſæ rationes. Darius pro ſortibus vſus eſt hinnitu equi: alij aſpectu Solis exorientis. Alij fabis nigris & candidis,
Plut.lib.de ex quo natum prouerbium, A fabis abſtineto, id eſt, à
liber.educ. tractandis reipublicæ muneribus: propterea quod antiquitus in creandis magiſtratibus ſuffragia per fabas vice calculorum ferebantur. Athenienſes per literas alphabeti Græci ſortiebantur. Alij globulis ſeu calcu-

lis, quo-

lis, quorum quidam ἀτρήτοι erant, quidam τετρημένοι, alij verò teſſeris. Veneti in creandis magiſtratibus glo- *Contarin.* bulos inauratos & argenteos vſurpant; alij ſchedas eductas ex vaſculo, aut impoſitas rebus diuidendis adhibent, &c. Modò autem (vt diximus) abſit omnis vanitas, ſuperſtitio, ac dolus; deinde ſortium euentus non quæratur à dæmone, imò verò diuinæ prouidentiæ vniuerſa committantur, non video quid in his peccetur. Hinc Auguſt. Sors non eſt aliquid mali, ſed *Com. in Pſal.* res in humana dubietate diuinam indicans volunta- *30.* tem. Et hactenus de Diuiſoria, id eſt, prima ſortium ſpecie.

5. Secundam ſpeciem Conſultoriam appellant, nimirum cùm inquiritur quid præſertim ſit agendum in re graui & dubia. Hac etiam vti licere confirmant, ſi quatuor diligenter obſeruentur. Primò, ſi in rebus temporalibus duntaxat adhibeatur. Nam in ſpiritualibus, vt in electione paſtorum Eccleſiaſticorum, omnino prohibita eſt. Secundò, ſi omnis abſit ſuperſtitio. Tertiò, quando euentus ſortium expectatur à Deo. Nam ſi à malignis ſpiritibus præſtoletur, impium eſt: ſi à cælo, ſtellis, aſtris, planè ridiculum & inane. Quartò, ſi cum Dei timore, reuerentia, & oratione præuia iaciantur ſortes. Quintò, addi poteſt, vt id fiat ſine vlla fraude ac dolo. Poſtremò, ne ad ſortes adhibeantur verba diuinarum ſcripturarum. De his namq; ſcribitur à Salomone: *Sortes mittuntur in ſinū, ſed à Domi-* *Prouerb. 16.* *no temperantur.* Hoc eſt, Deus inuocatus regit exitum rerū dubiarū. Et rurſum: *Contradictiones comprimit ſors, & Prouer. 18.* *inter potentes quoq; dijudicat.* Etenim cùm decreto aut euentui ſortis ſeſe obligant etiam homines dyſcoli ac moroſi, nō inuiti acquieſcunt, quādo bona fide adminiſtrantur, vt ex ſuperioribus exemplis, quorum multa etiam ad hunc locum pertinent, cuiuis promptū eſt colligere. Quando enim in re graui ac neceſſitate conſtitutis non occurrit ex verbo Dei, aut alia ratione, quid faciendum aut prætereundum ſit, tunc per ſortes ad diuinum recurrendum eſt conſilium & auxilium, vt exemplis Ioſue, Apoſtolorum, & Auguſtini confirmauimus. Inducitur etiam factum Abrahæ, *Geneſ. 21.*

22. q.2.c. quæritur. qui quod non potuit, Deo commiſit, in quem ſperauit: nec eum fides aut ſpes feſellit.

S.Thom.2.2. q.95. 6. Contingit porrò multis modis homines in hoc negotio peccare. Primò, cùm abſque vlla neceſſitate ad *Deut. 6.* ſortes recurrunt. Sic enim contra diuinam prohibi- *Matth.4.* tionem, tentant Dominum Deum ſuum. Neceſſitas autem iudicanda eſt, ſi quid occurrat quod faciat ad gloriam Dei, Eccleſiæ publicam vtilitatem, & proximorum ædificationem, quod humana prudentia diſpicere non valeas: aut ſi valeas, inuidiam tamen alia ratione declinare non poſſis. Secundò, ſi quis etiam in neceſſitate, abſque reuerentia Deique timore & inuocatione ſortibus vtatur. Hinc ven. Beda: Si qui ali- *Bed.in 1.c. Act.* qua neceſſitate compulſi, Deum putant ſortibus exemplo Apoſtolorum, eſſe conſulendum: videant hoc ipſos Apoſtolos non niſi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis, egiſſe. Tertiò, quando verbis ſacræ ſcripturæ, aut diuinorum ſacramentorum *Aug ep. ad Ianuarij inquiſitiones.* ritibus ad ſortes abutuntur. De his enim Auguſtinus ait, His qui de paginis Euangelicis ſortes legunt, & ſi optandum ſit, vt potius faciant, quàm ad dæmonia conſulenda concurrant; tamen iſta mihi diſplicet conſuetudo, ad negotia ſecularia, & ad vitæ huius vanitates diuina oracula velle conuertere. Quartò, ſi in electionibus Eccleſiaſticis quę Spiritus Sancti inſpiratione fieri debent, aliqui ſortibus vtantur. Vn- *Bed.in 1.c. Act.* de Beda: Matthias ante Penthecoſten ordinatus ſorte quæritur: quia ſcilicet nondum erat plenitudo Spi- *Extra, de ſortilegis, cap. vltim.* ritus Sancti in Eccleſia effuſa. Septem autem Diaconi poſtea non ſorte, ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati. Secus eſt autem in temporalibus dignitatibus, quæ ad terrenam diſpoſitionem ordinantur: in quarum electione plerunque homines ſortibus vtuntur, ſicut & in temporalium rerum diuiſione. Quintò, ſi euentus ſortium expectetur à malignis ſpiritibus, vel è cælo tanquam actus humani eidem omninò abſoluteque ſubijcerentur ac dirigerentur. Hoc enim falſum & idololatricum eſt, pertinens ad impietates gentilium adorantium cælos & mili-

ſtiam

tiam cælorum. Exemplum propoſitum eſt à Propheta. *Stetit rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum* (ſcilicet, vna qua pergitur ad Rabbath filiorum Ammon, altera verò Hieroſolymam Hebræorum,) *diuinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogans idola, exta conſuluit. Ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem, &c.* Ezech. 21.

7. Tertia ſortium ſpecies appellatur Diuinatoria, eo quod per eam homines de rebus occultis, ac etiam futuris contingentibus diuinando augurentur. Hoc autem duobus præſertim modis fieri contingit. Primò, quando dæmones ſiue apertè & manifeſtè, ſeu occultè aut interpretatiuè (vt in ſcholis dicimus) ad id inuocantur. Ochozias mittens 4. Reg. 1. ad Beelzebuth idolum Accaronitarum, vt ab eo reſciret, ſi conualeſcere poſſet de infirmitate, diabolum palam inuocabat, more gentilium oracula (quæ mera dæmonia erant) conſulentium: Saul pythoniſſam conſulens interpretatiuè. 1. Reg. 28. Ad hunc ordinem plurimæ diuinationum ſpecies referri poſſunt, veluti Hydromantia, quæ fit per aquam: Pyromantia, quæ fit per ignem: Geomantia, per terram: Aeromantia, ex aëre: Batanomantia, ex herbis: Capnomantia, per fumum: Axinomantia, per ſecurim: Lecanomantia, per peluim, in qua aqua mouebatur à dæmone, & vox tenuis indicans futura, reddebatur: Coſchinomantia, ex cribro: Gaſtromantia, id eſt, ex amphora ventroſa, quæ à puero ſolebat introſpici: Capyromantia, quæ de ſpeculis ex diſſultantibus imaginibus trahebatur: Chiromantia, ex manibus hominis: Metopoſcopia, ex frontis inſpectione: Onirocritica, ex ſomniorum interpretatione: Phyſiognomia, ex totius corporis membrorum conſideratione: Augurium, ex auibus: Extiſpicium, ab extis occiſorum animalium contemplatione: Necromantia, Goëtia, Theurgia, & plurimæ aliæ artes, quibus vaniſſimi homines ſimplicibus illudunt, ipſi prius à cacodæmonibus illuſi & dediti: quibus incerta & occulta ſapientiæ diuinæ manifeſtare, & momenta temporaque Patris

omnium poteſtati reſeruata, ſe præſagire prædicereque damnabili temeritate repromittunt. &c.

8. Secundò, ſorti diuinatoriæ dant operam, qui furta, vel alia occulta inueſtigant per inſpectionem aſtrolabij, clauis agitationem, libri inſcriptionem, taxillorum ſuper punctos iniectionem: ſicut & illi, qui cùm obuiant monacho, fœminæ prægnanti, aut lepori, certò ſibi malum futurum prænunciant. Hæc enim omnia non ſolùm ſuperſtitioſa, impia & ſacrilega ſunt: verùm etiam immundorum ſpirituum inuocationem, & cultum, ſeu occultum ſeu manifeſtum continent, eiſdemque per ſummum ſcelus tribuunt, quæ ad diuinum nomen, præſcientiam, iudiciumque referri deberent: & idcirco omni iure legeq; prohibentur. *Non declinetis ad magos* (ait Moyſes), *neque ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos.* Et paulò poſt: *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui* Iterumque alibi. *Non inueniatur qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria. Nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus: & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit gentes in conſpectu tuo.*

Leuit.19. *Leuit. 20.* *Deut.18.*

9. Accedunt plurima Eccleſiæ Catholicæ decreta, quibus ſortes iſtæ ſuperſtitioſæ, omneque diuinationis genus prohibetur atque damnatur. Et ſi ſortibus (inquiunt) nihil mali ineſſe monſtratur, prohibentur tamen fidelibus, ne ſub ſpecie diuinationis ad antiquos idololatriæ cultus redirent. Et ſunt verba Auguſt. in Pſalm 30. Hieronymus autem ſcribit: Non ſtatim debemus ſub exemplo Ionæ ſortibus credere: vel illud de Actibus Apoſtolorum huic teſtimonio copulare, vbi ſorte Matthias in Apoſtolum eligitur. Et Leo quartus, ad Epiſcopos Britanniæ. Sortes quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis prouincijs, quas patres damnauerunt: nihil aliud quàm diuinationes & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari: & inter Chriſtianos vltra nolumus

26. q. 2. c. Nō ſtatim. c. Hi qui. can. Non exemplo. c. Intelligi, &c. Et q 5. c. Sortes. c. Si quis ariolos. c. qui diuinationes. c. aliquanti. c. quicunq;, &c.

lumus nominari:& ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus &c.

10. Supplicia verò quibus plecti debeāt ſortilegi, hæc in Decretis conſtituuntur. Infamia publica notantur tum ipſi, tum hi qui ad eos concurrunt. 2. q.8. c. quiſquis. Et de teſti. c. teſtimonium. Si fuerint ex ordine cleri, omnino debent ab officijs deponi, & ad pœnitentiam peragendam in arctum monaſterium retrudi. 26. q 5. c. non oportet: c. ſi quis Epiſcopus. Sin laici fuerint, & conditione ſerui, verberibus ſubijciuntur: ſi liberi, incluſione digna coarctandi 26. q. 5. contra idolorum. Et hæc quidem Eccleſia, quæ iudicium ſanguinis non habet, aduerſus ſacrilegos decernit.

11. Imperatores autem Chriſtiani pro ſuo in Chriſtianam pietatem & rempublicam zelo, ſeuerius longè in eos animaduerti præcipiunt. Primò enim volunt, Mathematicos deportationis pœnam excipere, niſi parati ſint codices proprij erroris ſub oculis Epiſcoporum concremare. Rurſum, eoſdem, communis ſalutis hoſtes, & humani generis inimicos eſſe pronunciant: & nunc capitali ſententia feriendos: mox verò haruſpicem concremandum; & eum qui illum ſuaſionibus vel præmijs euocauerit, poſt ademptionem bonorum, in inſulam detrudendum. Denique, accuſatores illorum non delatores eſſe, ſed dignos magis præmio arbitrantur Et de his hucuſq;: ad immanem Eccleſiæ hoſtem redeundum. *Codi. Theod. Lib. 9 tit. 16. lege 12. Lege 1. 4. 6. 8. & 11.*

8. *Dixit Haman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus, nouis vtens legibus & cæremonijs, inſuper & regia ſcita contemnens. Et noſti optimè quod non expediat regno tuo vt inſoleſcat per licentiam.*

9. *Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcarijs gazæ tuæ.*

mutuo ſuorum conſpectu priuentur: ſed de illis ne verbum quidem vllum vnquam audiant; quod pijs animis ipſa morte grauius eſt. Ex quibus manifeſtum eſt res Iudæorum extremis miſerijs afflictas fuiſſe. Quod Pſalmiſta his verbis expreſſit, ſimulque rationem diuini in eos iudicij deſignauit. *Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum* & cæt. Et rurſum: *Sederunt in tenebris & vmbra mortis, vincti in mendicitate & ferro. Quia exacerbauerunt eloquia Dei, & conſilium altiſsimi irritauerunt.* Noluerant Deo parere in terra propria, dum magna libertate gauderent: nunc dura ſeruitute preſſi gemunt, & in capitis diſcrimen adducuntur. Sub proprijs Regibus ſacros Ieroſolymorum conuentus aſpernati; ad vitulos aureos, lucos, idola, & ſuperſtitiones gentilium cucurrerant: nunc ſub duriſſima tyrannide conſtituti & diſtracti nec poſſunt, nec audent, etiam colendi Dei gratia, ſecum ſimul conuenire. Atq; hi fructus aſpernatæ ab hominibus diuinæ religionis. *Pſalm. 106.*

Secundum caput criminationis eſt, *quòd nouis vterentur legibus & ceremonijs*, id eſt, Perſarum, Medorum, Chaldæorum, & omnium aliarum gentium religiones contemnerent & damnarent: ſuam verò legem & pietatem ſolam mirarentur & ſeruarent. Fingunt ſibi, inquit, neſcio quem Deum, qui nec oculis videri, nec manibus contrectari poſſit. Hunc cælis ſe continere, nec cum hominibus conuerſari iactitant: noſtros autem omnes pro impuris dæmonibus habent. Imperatorum natales non celebrant; Iouis, Saturni, Martis, Veneris, Solis, Lunæ, Oromaſdis, & Arimanis feſta contemnunt; nos tauros & equos eis immolantes irrident. Ipſi diem ſeptimum otio colunt, & quod pudendum ac minimè tolerandum; in verendorum ſuorum circunciſione fœdus Dei ſui conſiſtere gloriantur. &c.

At, falsũ eſt quod religio aut Lex Iudęorũ noua eſſet: quãdo eam ab omnipotẽti Deo, Moſe aũt adminiſtro

& inter-

tiuſque mortem oppetere quàm his ſeruire, vt conſtanter fecerunt ſeptem illi generoſi adoleſcentes cũ matre, quorum vox eſt ad tyrannos: *Parati ſumus mori magis, quàm patrias Dei leges præuaricari.* Pari conſtantia & animi fortitudine tres pueri Nabuchodonoſor horrendum fornacis incendium minitanti, ſi ſtatuam nõ adorarent, reſponderunt. *Deus noſter poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam quam erexiſti non adoramus.* Præcipit enim Spiritus ſanctus, obedire Deo magis quàm hominibus. Atque hæc de tribus accuſationis capitibus: ſequitur adhortatio. 2. *Mach* 7. *Daniel*. 3. *Actor*. 4.

Et noſti optimè, quod non expediat regno tuo, vt inſoleſcat populus iſte per licentiam. Si tibi placet, decerne vt pereat. Verendũ eſt, inquit, ne alij, qui hactenus ſumma animi alacritate Edictis tuis paruerunt, horum exemplo ad defectionem & rebellionem concitentur, tributa denegent, & ad bella tua cùm opus fuerit, exire detrectent. Age ergo, ſi vltra volueris in pace regnare, ſi dicto audientes ſubditos ſeruare, ſi ſartum tectumque cupis imperium poſteris tuis relinquere, dic tantùm vt pereant. Dictum, factum puta. Attende quoque quàm vafrè & malitioſè rem agat. *Si tibi placet*, inquit, non meum eſt Regi quid agendum ſit præſcribere, quod probè ſciam illum abundare prudentia & conſilio: verùm ſi cauſſa mea eſſet, populum tam peſtiferum excindi curarem, vt ſaluti & tranquillitati totius regni conſulerem.

Et hoc planè artificium & conſilium eſt diaboli mendacis & homicidæ ab initio, qui totus in eo eſt, vt ſemen mulieris deuoret, pioſque Dei ſeruos tollat ex hoc mundo, vt tyrannidem ſuam ſtatuat. Magnum enim & impudens mendacium eſt, ſanctos viros regnis eſſe detrimento, quorum potius ſunt ornamenta, & firmiſſima præſidia. Nam ob paucos pios & bonos viros Deus nonnunquam ampliſſimis ciuitatibus, prouincijs, & regnis ignoſcit. Si decem iuſti in quinque ciuitatibus fuiſſent inuenti, non conflagraſſent incendio ſulphureo. In gratiam vnius Lot, Segor *Ioan*. 8. *Apocal*. 12. *Geneſ*. 3. *Gen*. 18. *et* 19 *Sap*. 10.

ſextæ ciuitati Deus pepercit: Ait enim in Ieremia. *Circuite vias Ieruſalem, & quærite an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.* Et in Ezechiele; *Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inueni. Et effudi ſuper eos indignationem meam: in igne iræ meæ conſumpſi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.*

Ierem.5.
Ezech.22.

Vtitur denique præoccupatione, diluens quod obijci poterat: videlicet, exciſione huius gentis *permultum de redditibus annuis theſauris regijs deceſſurum.* Reſpõdet Haman. Nec timendum tibi, ô Rex, quòd publica regij fiſci pecunia inde decreſcat: polliceor enim me vel de propria ſubſtantia præbiturum decem millia pecuniarum talenta, vbicúnque præceperis. Itaque ex horum ſeditioſorum nece non decreſcet, ſed potius augebitur fiſcus regius. Nam decem millia talenta ad ſexagies centena millia coronatorum aureorum æſtimantur. Sed vnde huic tantæ opes? Reſpondeo. Omnes cæſorum Iudæorum facultates & ſpolia iam ſpe non dubia deuorabat, ſibique pro certo pollicebatur. Deinde, cùm ſtirpis regiæ eſſet, potuit à maioribus ſuis multas diuitias accepiſſe. Poſtremò, cùm ſecundam ab Imperatore perſonam ſuſtineret, multiſque negotijs præeſſet, certum eſt illum rebus ſuis nequaquam defuiſſe, ſed ex regijs reditibus magis ac magis auxiſſe. Atque hæc de totius orationis huius tyranni partibus, ordine, & fine: nunc quæ ex his omnibus obſeruanda videntur excutiamus.

Ioſeph.li.11. antiq.ca.6.
Bud.lib. de aſſe.

Ac primùm quidem in Hamane diaboli organo & ſatellite, videmus, quo ingenio, & quibus artibus Satanas perſequatur Eccleſiam, id eſt, vniuerſum populum Dei. Ille mendax eſt, & homicida: quare ſolet ſemper Eccleſiam mendacijs & homicidijs perſequi. Ad mendacium ſpectant variæ & tetræ calumniæ, quibus non ſolus Haman hic populum Dei vexauit, verùm & pios omnes cunctis ætatibus per ſuos emiſſarios traduxit. Moſes & Aaron accuſantur, quòd populum retardarent ab operibus: Dauid, quòd

Ioan. 8.
Exod. 5.

quòd necem Sauli regi & ſocero machinaretur: Helias, quòd turbaret Iſraelem: Michæas, quòd infenſus eſſet Regiæ maieſtati: Ieremias, quòd inflecteret corda bellatorum ad defectionem; nimis faueret Chaldæis, authorque foret caritatis annonæ: Daniel & ſocij, quòd edicta regia contemnentes, alios ad rebellionem ſollicitarent: Suſanna, quòd fœdo adulterio ſe ipſam maculaſſet: Præcurſor Domini, quòd ſuis concionibus populum ad ſeditionem moueret: Chriſtus ipſe, quòd prohiberet tributa dari Cæſari: Apoſtoli, & præſertim Paulus, quòd tranquillitatem publicam turbarent: Stephanus, quòd in Moſen & Deum blaſphemaret.

1. Reg. 24. 3. Reg. 18. 3 Reg. 22. Ierem. 44. Daniel. 3. 6. 14. Daniel. 13. Ioſep. 18. antiq. cap. 10. Lucæ 22. Act. 4. 5. 7. 17. 19.

Primis etiam religionis Chriſtianæ profeſſoribus à ſycophantis impoſitum fuit, quod nocturnis vigilijs incumbentes, extinctis luminibus, promiſcuam venerem exercerent: infantulorum carnibus veſcerentur: caput aſininum pro Deo colerent: pro ſalute Imperatoris non ſacrificarent: lignum adorarent: Solem haberent pro Deo: non iurarent per genium Cæſaris: Romano imperio aduerſa imprecarentur: & omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi (vt Tertullianus loquitur) Chriſtianos eſſe in cauſa. Si Tiberis aſcendiſſet in mœnia, ſi Nilus non influiſſet in arua, ſi cœlum ſtetiſſet, ſi terra mouiſſet, ſi fames, ſi lues accidiſſet, ſtatim ethnici acclamabant, Chriſtiani ad leonem, tollantur ſacrilegi.

Tert. Apolo. cap. 2. 7. 10. 16. 23. 28. 32. 39. Iuſtinus, Tatianus, Minutius, Athenag. Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Euſebius, Nicephor.

Ab eodem diabolico, id eſt, calumniandi ſtudio prodierunt horribiles & deteſtandæ illæ impoſturæ, quibus poſt Neſtorianos, Manichæos, Vigilantianos, & Berengarianos, Caluiniani & Zuingliani nouiſſimis iſtis temporibus Catholicos, omnibus exoſos reddere, fidemq; eorum abolere conati ſunt. Quid enim vulgarius eſt, quàm quod iſti ſcriptitant & clamitant, Eccleſiam Catholicam hactenus purum Euangelium ignoraſſe; Antichriſtum coluiſſe, in cultu Chriſti, Sanctorum, Crucis, & Imaginum eorundem idololatriam commiſiſſe; germanam Iuſtificationis doctrinam corrupiſſe; pro verbo Dei hominum traditiones inuexiſſe; & Sacramentorum formas, ritus,

ait:Inuideo Iudæis ob vnius Mardochæi proteruiam, ideo peto vt iubeas eos omnes trucidari: ſed prætex t inuidiæ ſuæ honeſtam cauſam. Sollicitus ſum de Regis ſalute, & publica regni tranquillitate, quam hic populus in diſcrimen adducit, &c. Ita ſolet angelus Satanæ transfigurare ſe in angelũ lucis: quippe quod cum manifeſta ſua ſpecie fœdior ſit, quàm vt ab hominibus aſpectu dignaretur, proponit ſe honeſta forma conſpiciendum, vt reuerenter ſuſcipiatur. *Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ. Venite* (aiebat Pharao) *ſapienter opprimamus Iſrael, ne fortè multiplicetur: & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terra.* Et Iudæi in Chriſti necem conſpirantes, fingunt ſe hoc medio velle ſeruare locum & gentem. *2.Cor.11.* *Exod. 1.* *Ioan. 11.*

Quid de pſeudoprophetis, pſeudoapoſtolis, & hæreſiarchis, Eccleſiæ fidem doctrinamque oppugnantibus, dicemus? Nonne tetras hæreſes ſuas verbi Dei velo cooperire nituntur? *Currebant*, inquit, *& non mittebam eos: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Per dulces ſermones*, ait Apoſtolus, *ſeducunt corda innocentium.* Scripta Pauli deprauant ad ſuam, & aliorum perditionem Scitè Irenæus illos appellat falſarios verbi diuini, & interpretatores malos eorum, quæ bene dicta ſunt. Inſuper, eoſdem aſſerit ſimiles eſſe impoſtoribus, qui vitrum vendunt imprudentibus pro margarito. Iterumque, præſtigiatoribus, qui ornamentis aureis, argenteis, regiiſque vulpeculam adornarent, & pro rege venerandam oſtentarent in habitu regio. Ita hi dictiones propheticas, & ſermones Apoſtolicos adaptant errori ſuo, ne ſine teſte eſſe videatur. *Ierem.23.* *Rom.16.* *2.Pet.vlt.* *Irenæus martyr præf. in lib.1.* *Lib.1. ca.1.*

Intuere etiam in hoc tyranno, quod ſit ingenium hominis inuidi, & maleuoli. Hic enim mauult maximam opum ſuarum iacturam facere, quàm ſe non crudeliſſimè de Mardochæo, & omnibus Iudæis vindicare. Et liuidus libenter cupit monoculus eſſe, modò is cui inuidet, omninò ſit cæcus. Qui animus non eſt humanus, ſed prorſum Satanicus; ideoque ſumma danda eſt opera, vt ſpiritu mortificetur iſthæc animi peſtifera concitatio.

Obſerua quoque impiam liberalitatem illius. Offert omnes facultates ſuas ad ſatisfaciendum libidini ſuę, excindendos ſeruos Dei viuentis,& ſeruandā ido. lolatriam in regno Perſico:cùm interim ad iuuādum verũ Dei cultum,ne teruntium quidem obtuliſſet.Pari quondam profuſione, impij Iſraelitæ inaures aureas tulerunt de vxorum,filiorum ,filiarumque auribus,vt vituli conflarent idolum:qui ad tabernaculum Domini conficiendum, vix pelles caprarum contulerunt. Rurſum, ad votum proditoris Iudæ,militumque comparandum aduerſus reſurrectionis dominicæ veritatem impudens mendacium, in promptu habuerunt non exiguam pecuniam: qui vix obolum pauperi conferebant.

Exod.32.

Matth.26. & 28,

Poſtremò,& in Hamane conſiderandum eſt,quàm impiè abutatur dignitate,potentia , & fauore ſuo apud Imperatorem maximum. Deus enim in principes & magiſtratus confert potentiam & opes, vt officio ſuo iuuent Eccleſiam:*Erũt*,inquit,*reges nutritij tui, & reginæ nutrices*:hic verò omnia conſilia & ſtudia ſua in hoc confert,vt eam opprimat, & radicitus euellat atque deſtruat. Sed diuino iudicio incidit in foueam quam fecit: conuerſus eſt dolor eius in caput eius , & in verticem eius iniquitas eius deſcendit. Populus namque Dei per pœnitentiam ſaluus euaſit: & ipſe de infœlici arbore pependit. Quare hi qui potentia præditi ſunt,admoneantur hoc exemplo, vt quod diuinitus acceperint, ad adiuuandam,non perdendam Eccleſiam Domini,conferant.

Iſaiæ.49.

Pſalm.7.

10. Tulit

10. *Tulit ergo rex annulum quo vtebatur, de manu ſua, & dedit eum Haman filio Amadathi, de progenie Agag hoſti Iudæorum.*

11. *Dixitque ad eum: Argentum quod tu polliceris, tuum ſit: de populo age, quod tibi placet.*

ECCE quid conſecutus ſit Haman Eccleſiæ hoſtis ferus & immanis ſua criminatione à Rege ethnico. Eum aduerſus pauperculos Dei ſeruos adeo concitauit, vt annulum eueſtigio detractum ſibi tradiderit, vt eo edictum ſuo arbitratu conſcriptum obſignaret: quantum in ſe erat, omnes per imperium ſuum diſperſos Iudæos crudeliſſimæ & iniuſtiſſimæ tradens internecioni. Conſtat autem tum ex capite 8. tum ex hoc loco, reges Perſarum annulos ſignatorios geſtaſſe, quos vbi res poſcebat, digito detractos fido alicui ex amicis dabant, obſignandi cauſa: & quod hoc ſigno confirmatũ eſſet, ſic ratum apud omnes, vt nefas eſſet violare. Et certè annulorũ Alexandri & Darij meminit Curti⁹ his verbis: Literas quas Alexander in Europã mitteret, veteris annuli gẽma obſignabat: ijs quas in Aſiã ſcriberet, Darij annulus imprimebatur. Iuſtinus quoq; hiſtoricus memoriæ prodidit, eundẽ Alexandrum iam iam animã agentẽ, præcluſa voce, exemptum digito ipſum annulum Perdicæ ſummo copiarum duci tradidiſſe. Sed & Romanis ſignatorium annulum in vſu fuiſſe ſatis apertè ex his Tullij verbis colligitur. Sit annulus tuus, inquit ad Quintum fratrem, pergentem ad gubernandum Aſię prouinciam, non vt vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu: non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ. Vult enim vt ſigilli in annulo exiſtentis ſummam cautionem habeat, nec permittat eo quemquam abuti. At de annulorum iure, antiquitate, vſu, materia, qui plurima cupit, conſulat Plinium lib. 33. hiſt. ca. 1. lib. 37. ca. 1. Macrobium lib. 7. Saturnalium, ca. 13. Alexandrum ab Alexandro Libro 2. genialium dierum: Rhodiginum lib. 6. cap. 12.

Qu. Curtius lib. 6. de geſtis Alex.

Lib. 12.

Tullius li. 1. ad Quint.

Sunt & qui apud Perſas annulo à Rege donari, interpretantur fuiſſe ſignum intimæ amicitiæ, maximi fœderis,& plenariæ quiduis agendi ſcribendique poteſtatis. Ita Pharao Ioſephũ domui & regno ſuo præficiens, detractum de manu ſua annulum eidem tradidit. Iezabel accepto Achabi regis annulo, decretum mortis Naboth ſcripſit & ſignauit. Antiochus curam filij ſui & totius imperij commendans cuidam Philippo, dato ei proprio annulo, commiſit.

Geneſ 41. *3. Reg.* 21. 1. *Mach.* 6.

Vide autem primò in his, quàm terribilis & mirabilis ſit Deus noſter in cõſilijs ſuper filios hominum. Permittit impio Hamani res aliquanto tempore ſuccedere ex animo, Regem habeat in omnibus propitium, quos velit perdat, etiam cum opum augmento incredibili. Sunt enim qui cõmemorata decem millia talenta contendant promiſſa fuiſſe ex bonis cęſorum Iudæorum. Ergo ſceleſtus Eccleſiæ hoſtis, proſperis euentibus eleuatus ſicut cedrus Libani, vincit, exultat, triumphat. Verùm, ſubſiſte paulisper, & quem nunc vides triumphatorẽ, cum paulo pòſt videbis ex ligno penſilem. *Tranſiui*, inquit Pſaltes, *& ecce non erat: quæſiui, & non eſt inuentus locus eius.* Quare non eſt nobis exultandum, cùm ſcelerata noſtra conſilia promouere videntur: ſed tunc omnium maximè timendum eſt iudicium Dei, & reſipiſcendum ne ſuperueniat repentinus interitus. Nihil enim infelicius eſt, felicitate peccantium. Magna ira, quando peccantibus nobis non iraſcitur Deus. *Quos enim amat, corripit & caſtigat.*

Pſalm. 36. *Hieron.* *Heb.* 12. *Prouerb.* 3. *Apoc.* 3.

Attende etiam huius Regis, & illi ſimilium nobilium leuitatem, imprudentiam, & vecordiam. Omnem fidem adhibet huic perfido homini; non ad conſilium iudicat referẽdum negotium totius huius immenſi populi, ſicut vnius Vaſthi rebellionem retulerat: non iubet diligenter inquiri, an hæc ita ſe haberẽt, ſicut Haman dixerat, quemadmodum in cauſam duorum Eunuchorum inquiri fecerat: non dicit, audiendam eſſe alteram partem: non curat vt de fide & officio ſuo in Regem prius admoneantur, quàm damnẽtur, &c. Sed & ipſi actori Iudæos in poteſtatem permittit, dicens: *De populo age quod tibi placet.* Quid his magis

gis barbarum, impium, nefarium? Nam ſi accuſaſſe ſufficit, quis innocens remanebit? An non etiam hac ſocordia ſua Aſſuerus ſe coram Deo reum conſtituit innumerorum homicidiorum, ſacrilegiorum, rapinarum, ſcelerum, quæ in hac laniena committenda erant? Sic tyranni nihili faciunt ſanguinem innocentum, qui tamen effuſus clamat ad Deum in cælum. Pro minimo ducunt theſauros ſuos adaugere rapinis, ſpolijs, prædationibus agricolarum, viticolarum, mercatorum, innocentum. Suſq; deq; illis eſt fiſcum implere, caſtella ædificare, luxuriari, è ſudore pauperum. Talem tyrannidem Deus inultam feret? Abſit. *Neſcierunt facere rectum, dicit Dominus, theſaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus ſuis. Propterea hæc dicit Dominus Deus. Tribulabitur & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.* Et iterum: *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis. Væ qui congregat auaritiam malam domui ſuæ. Væ ei qui multiplicat non ſua. Cogitaſti confuſionem domui tuæ, concidiſti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit. Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate. & cæt.*

Geneſ. 4. *Luc. 13.* *Apocal. 6.* *Amos 3.* *Habacuc 2.*

Sed Aſſuerus rex cogitabat Hamanem eſſe virum probum, prudentem, veracem, amantem publicæ trãquillitatis, ac ſollicitum pro regia maieſtate: quare nec explorato quidem negotio, eius ſententiæ ſubſcripſit. Talis incogitantia cùm omnibus hominibus turpis, tum Regi fœdiſſima eſt & iniquiſſima. Præcipuum enim Regum atque Magiſtratuum officium eſt, vt in iudicando non condemnent reos inauditos. *Cauſam quam ignorabam* (ait Iob) *diligenter inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Et Moſes ad iudices quos ſuper Iſrael conſtituerat: *Quod iuſtum eſt iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita paruum audietis ac magnum: nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt.* Et iterum. *Aequum iudicium ſit inter vos, ſiue peregrinus, ſiue ciuis peccauerit: quia ego Dominus*

Iob 29. *Deut. 1.* *Leuit. 24.*

Deus veſter. Et Ioſaphat rex Iuda ad ſuos magiſtratus
2.Paral.19. & officiarios: *Videte*, ait, *quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum : & cum diligentia cuncta facite.* Quinetiam huius diligentiæ exem-
Gene.3.et 4 plum iudicibus relicturus Deus ipſe, Adamum, Euam, Cainumque non prius damnauit, quàm accerſitos ad ſe examinaſſet. Rurſumque dicitur deſcen-
Geneſ.11. diſſe, vt videret turrem, quam ędificabant filij Adam, antequam confunderet linguam eorum. Et priuſ-
Geneſ.18. quam Sodomam ſubuerteret, *deſcendam*, inquit, *& videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint; an non eſt ita, vt ſciam.*

Niceph. lib. 14. hiſt. c. 23. De hac Regum imprudentia & incogitantia lepidam hiſtoriam recitat Nicephorus. Theodoſius, maximus ſanè & optimus aliâs Imperator, ſolebat ſubſignare omnibus literis ſibi oblatis, etiam non perlectis, tantam habens fidem aulæ ſuæ miniſtris. Hunc errorem caſtigaturas ſoror eius Pulcheria, ſchedulam confecit, in qua chariſſimam ſibi coniugem Eudociam alteri venundabat, quam ſibi oblatam propria ſyngrapha confirmans, cùm poſtea ad ſe illam accerſiri iuberet, negat Pulcheria iam eius eſſe vxorem quam alteri vendidiſſet, & ſchedam conuentionis profert. Agnitam ergo imprudentiam ſuam Imperator, poſtea cautior effectus eſt. Oportet itaque Principes & magiſtratus cautos & prudentes eſſe, nihilque temere agere: quoniam excuſari non poſſunt ignoratione iuris eius, quod noſſe & ſeruare tenentur.

Hinc etiam patet, quantis periculis & incommodis coniunctum ſit, ſi Rex aut alius quiuis princeps homine aliquo in tantum capiatur, quemadmodum Aſſuerus iſto Hamane, vt quicquid vel dicat, vel tentet, id ipſe vel apertè vel tacito conſenſu approbet, fidemque vni illi ſic adiungat, vt reliquis vniuerſis de-
Exod. 3. trahat. Ianni & Mambri plus æquò addictus Pharao,
Matth.14. & ſibi, & toti regno ſummam perniciem attulit. Pe-
Marc. 6. tulantiſſimæ Herodiadis amor nimius exitio fuit Herodi.

rodi. Sed quid veteres requirimus hiſtorias, cùm nuperæ & domeſticæ redundent?

Docet quoque hæc hiſtoria, Reges adeo principatus ac excellentiæ ſuæ amore excæcatos & faſcinatos eſſe, vt nihil reformident vereanturq; contra omnia iura pugnare, inſuper naturæ Deoque ipſi bellum indicere, modò quæ ſua iura putant, tueantur atq; conſeruent. Verùm enim falluntur turpiſſimè, cùm iudicant illa crudelitate, tyrannide, oppreſſione piorum, & ſanguine innocentum cuſtodiri: quando inde potius diſſipentur & funditus pereant. *Regnum namque à* Eccli. 10.
gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Et ne putent iſti Nembrothi vanas eſſe comminationes, attendant diligenter ac ſeriò, quid Pharaoni & Herodi contigerit propter infanticidia, Sauli propter hypocriſin, Nabuchodonoſori ob arrogantiam, Balthaſari ob irriſa vaſa Domini, Holoferni propter ebrietatem, Antiocho propter ſacrilegia, Neroni denique & Domitiano, Traiano, Decio, & alijs tyrannis ob effuſum piorum ſeruorum Dei ſanguinem. Etenim, *qui malignantur, extermi-* Pſalm. 36.
nabuntur. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies Pſalm. 54.
ſuos.

Intuere rurſus huius Imperatoris & conſimilium præpoſteram indignamque liberalitatem, qua homini planè impio ingentem illam pecuniæ ſummam, quam ſe procuratoribus regiæ gazę appenſurum promiſerat, omnino remittit. Sic ex alieno corio, gigantes iſti latiſſimas corrigias ſecāt. At quo merito? Odione Iudæorum, an verò calumniandi libidine? Simili- Matth. 14.
ter Herodes dimidiam regni partem puellæ ſaltatri- Marc. 6.
culæ, & ſcorti inceſti filiæ cum iureiurando pollicetur: quòd inter aulicos proceres egregiè ſaltaſſet. Certum quidem eſt virtutem omnem non minus Regibus, quàm cæteris mortalibus commendationem afferre: ſed præcipuè liberalitas ac munificētia gloriam & laudem inſignem eis pariunt. Multū tamen refert ex quo, & in quos virtutem illam exerant. *Nam qui of-* Eccli. 34.
fert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Deinde, donare res ſuas

hiſtrio-

hiſtrionibus vitium eſt immane, non virtus, inquit
Aug tract. Auguſtinus. Et ſcitis de talibus quàm ſit frequens fa-
100 in Ioan. ma um laude: *quia laudatur peccator in deſiderijs animæ*
Aug in Pſal. *ſuæ, & iniquus benedicitur.* Et rurſus idem. Qui dant hi-
102. ſtrionibus, venatoribus, meretricibus, quare donant?
Nunquid non hominibus donant? Non naturam ibi
attendunt operis Dei, ſed nequitiam operis humani.
Greg. epi. 29. Et Gregorius Papa. In ipſa liberalitate modus ad-
hibendus eſt rerum & perſonarum. Rerum: vt non
omnia vni, ſed ſingulis quædam præſtentur: vt plu-
Pſalm. 111. ribus prodeſſe poſſimus, iuxta illud Prophetæ, *Diſper-*
ſit, dedit pauperibus. Perſonarum: vt primùm iuſtis,
deinde peccatoribus. Addo hæc Ambroſij verba:
Ambr. lib. 1. Perfecta liberalitas fide, cauſa, loco, tempore, com-
offic. ca. 30. mendatur: vt primùm opereris circa domeſticos fi-
Diſtinct. 86. dei. Grandis culpa eſt, ſi te ſciente fidelis egeat: ſi
c. Non ſatis. ſcias eum ſine ſumptu eſſe, & famem tolerare, ærum-
nam perpeti, qui præſertim egere erubeſcit. Si in
cauſam ceciderit aut captiuitatis ſuæ, aut ſuorum fi-
liorum, aut calumniæ: & non adiuues. Si ſit in carce-
re poſitus, & pœnis propter debitum aliquod iuſtus
aliquis excrucietur. Nam & ſi omnibus debetur miſe
ricordia, iuſto amplius, &c.

12. *Vocatiq́ue ſunt Scribæ regis menſe primo, Niſan, tertiadecima eiuſdem menſis: & ſcriptum eſt vt iuſſerat Haman, ad omnes ſatrapas regis, & iudices prouinciarum, diuerſarumq́ gentium, vt quæq́ gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Aſſueri, & literæ ſignatæ ipſius annulo,*

13 *Miſſæ ſunt per curſores regis ad omnes prouincias, vt occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero vſque ad ſenem, paruulos & mulieres, vno die, hoc eſt, tertio decimo menſis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eo-*

rum

rum diriperent.

14. *Summa autem epiſtolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ ſcirent, & pararent ſe ad prædictam diem.*

POSTREMA iſta capitis parte deſcribitur quomodo Haman accepta ab Aſſuero poteſtate aduerſus Eccleſiam, negotiū vrſerit, & omnia quæ ad necem ſeruorum Dei ſpectabant, diligentiſſimè prouiderit. Illicò enim conuocat omnes qui erant ab epiſtolis regijs, ad omnes ſatrapas, prętores prouinciarum, ſingularumque nationum principes & magiſtratus ſigillatim ſcribi iubet; atque vt codicilli plus haberent ponderis & authoritatis, non ſuo, ſed Regis nomine ſcribit; idque ſuo arbitratu, & pro inuidi ac immanis animi libidine; inſuper, cuiuſque regionis charactere & ſermone; vt vniuerſi Iudæi, iuuenes, ſenes, paruuli, mulieres, vna die extirparentur, interficerentur, perderentur; & vt ſicarijs animum adderet, ab his bona eorum diriperentur. Quid maioris diligentiæ, ſtudij, ardoris, in his deſiderare aut adijcere, ad ſeruos DEI perimendos, vel ipſe diabolus poſſet?

Cernimus itaque quàm acres & vehementes ſint impij ad negocia ſua aduerſus pios & ſimplices promouenda. Nulla deeſt induſtria, nulla interponitur mora, nullæ his dantur induciæ, nullæ admittuntur excuſationes, cùm eis per cōceptum animo furorem agere licet, quod libet. *Sic filij huius ſeculi prudentiores ſunt in generatione ſua filijs lucis.* *Lucæ* 16. Antiochus extrema omnia minitans Ieroſolymis, ac eorum pijs ciuibus, ex Perſide propetans, iuſſit agitari currum ſuum, ſine intermiſſione agens iter, iubens accelerari negotium, id eſt, Ieroſolymam congeriem ſepulcri Iudæorum facturus: ni Deus obſtitiſſet. *2. Mach.* 9. Iudas proditor quærens opportunitatē vt Chriſtum traderet Iudæis, noctu exit, *Matth.* 26. *Ioan.* 18. milites cogit, ſigno communit, antecedit cohortem, iubet eum caute teneri, nihilque prætermittit, quod ad impietatem conſummandam attineret: interea Petrus & coapoſtoli graui ſopore velut mortui tene-

ban-

Nicephor. bantur. Quanto ardore Arrius, Valens, Vrſatius, Euſebius Nicomedienſis, & alij eiuſdem impietatis aſſertores, errores ſuos inuehere ac propagare conati ſunt; cùm interea Catholici ſegnius & frigidius pro Catholico dogmate decertarent? Dormiente cum ſeruis ſuis patrefamilias, haudquaquam dormit inimicus homo, verùm in medio tritici ſua ſemper ſeminat zizania. Sed vnde in hæreticis, horumq; fautoribus tantus ardor, in Catholicis verò tepor ac ſtupor? Illi pro certo Satanæ furorib. percellũtur adeo, vt quieſcere nec velint nec poſſint: iſti carnis corruptione langueſcũt.

Socrates. *Theodoret.* *Hilarius.* *Matth.13.*

Conſpice etiam huius tyranni & conſimilium fraudem atque verſutiam. Nam homo callidus & veterator, maleuolentiæ & crudelitatis ſuæ opera nominis regij pallio contegit, huius abutitur annulo ſignatorio, ſecretarijs, curſoribus, ſatrapis, & prouinciarum iudicibus; cùm ſolus ipſe fons eſſet tot calamitatum & ſcelerum. Regis autem nomen & authoritatem prætendit, primò vt nullus conatibus ſuis audeat obſiſtere: deinde, vt horribilis lanienæ odium à ſeipſo auertat, & in aliũ conuertat: poſtremò, vt maiorẽ audacia, licentia, feritateq; deſtinati ſanctorũ carnifices in eos debacchẽtur, quippe qui potentiſſimi Regis mandatis inſeruientes, maiorem apud eum gratiã inirent. Pari modo Iezabel ſcripſit literas ex nomine Achab, & ſignauit eas annulo eius, & miſit ad maiores natu Ieſrahel, vt indicto per hypocriſin ieiunio, falſos teſtes ſummitterent aduerſus innocentẽ Naboth, & lapidibus interficerent eũ, vt impius rex Achab prędio illius potiretur. Aegyptij nomine Regis ſui opprimebant populũ Iſraelis. Iudæi prætenſo Cæſaris nomine & imperio, Chriſtum ad necem poſtulauerunt. Hodie in Gallijs liberũ eſt vniuerſis hæreticis, apoſtatis, prędonibus, politicis in Catholicorum vitas fortunaſque omni crudelitate ſęuire, aſſumpta ſolum quorundã authoritate ac nomine. Sed tandem aliquando aderit Dominus, qui beſtiæ Apocalypticæ caput, corpus, & vniuerſa membra præcipitabit in ſtagnum ardentis ignis & ſulphuris.

3.Reg.21. *Exod 3.* *Ioan. 19.* *Apoc. 20.*

Verùm, cur vna die omnes Iudæos ſimul vult extirpa-

tirpatos? Primò, vt hanc mentem cunctis inijciat, illos homines fuiſſe conſceleratos & peſtiferos, contra quos Rex non præter vrgentem rationem in tantum ſæuiat, vt illos in vniuerſum omnes vna die, vnoque quaſi momento radicitus excindendos euellendoſque imperarit. Solent enim homines de aliorum internecione vel leuiter audientes, in eam plerumque ſententiam venire, vt eos grauiſſima quæque ſupplicia commeritos eſſe ſuſpicentur. Nunciauerunt quidam Domino noſtro Pilatum quoſdam Galilæos necaſſe, horumque ſanguinem cum ſacrificijs eorum miſcuiſſe: veluti percunctarentur ab eo, quam ob culpam id illis contigiſſet: Reſpondit autem illos non fuiſſe Galilæorum omnium maximè reos; ſicut nec illi decem & octo ſupra quos cecidit turris Siloë: prauum illud corrigens iudicium, quo miſeris & calamitoſis ſolent homines eſſe nimis rigidi, ſibi autem nimium indulgentes, &c. *Lucæ 13.*

Deinde voluit Haman hoc conſilio, vt ne vnus quidem illorum euaderet. Certè ſi rumor antea increbuiſſet, hoc vel illo locò cædem factam: Rex vel ſua ſponte lanienam prohibuiſſet; vel vnus aut alter pro cæteris interceſſiſſet, ſpe facta, reliquos hoc exemplo commonitos, poſtea cautiores fore: vel denique pars fugâ aut latebris ſaluaſſet.

Animaduerte porrò populi diuini extremam multiplicemque miſeriam. Tolerabile quidem viſum, ſi vnicus tantùm Mardochæus ad necem requiſitus fuiſſet, ſi ſolùm decimatus populus, ſi ſoli ad arma & rebelliones idonei, ſi ſoli viri: ſed viri, iuuenes, paruuli, ſenes, mulieres, innocentes puellæ deleri iubentur. Deinde, mirabile ſimulque miſerabile dictu, quod nullus inter Perſas, Medos, Chaldæos inuentus eſt, qui ſortem illorũ miſeraretur, qui apud Regẽ pro eis intercederet, qui cor Regis vel Hamanis emolliret. Miſerrimæ profectò huiuſmodi principũ aulę, & dæmonũ aut ferarũ potius quàm hominũ luſtra, ex quibus ſic exulat omnis humanitas, pijſq; cõſilijs nullus relictus eſt locus. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum.* *Pſalm. 13.*

Pari

1.Reg.22. Pari feritate Doeg præcipiẽte crudeli rege Saule, trucidauit vna die octoginta quinq; ſacerdotes Domini, veſtitos ephod lineo: & in Nobe ciuitate illorum, viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, & boues, & aſinos, & oues percuſſit in ore gladij.

T.Liuius li. 78 *Pro lege Manil.* Referunt Liuius, Tullius, Plutarchus, Valerius Max. & alij, Mithridatem regem Ponti, vna die, vno nuncio, atque vna literarum ſignificatione ciues Romanos 80000. per vrbes Aſiæ negotiandi cauſa diſperſos, necandos, trucidandoſque denotaſſe. Nec parcitum eſt mulieribus, aut liberis qui Romani ſanguinis eſſent: ſed omnes interfecti, abiecti inſepulti, bona eorum cum Rege ab interfectoribus diuiſa, ſupplicio propoſito ijs qui vel ſepeliſſent, vel occultaſſent. *Paulus Aemil. lib. 6.* Nec diſſimili crudelitate Emmanuel Græcorum Imperat. ob denegatam ſibi à Venetis belli aduerſus Siculorum regem ſocietatem, Venetos mercatores vno eodemque die, vno edicto comprehendendos curauit: miſſoſque ad expoſtulandum oratores, contra ius gentium in cuſtodiam tradidit. *Aemil. li. 7. Platina. Blondus.* Sed & ipſi Siculi Gallicæ libidinis pertæſi, conſilio cum Byzantino imperatore, & Petro Arragonum cõmunicato, Gallos omnes qui tum Siciliam tenebant, interemerunt ipſo die Paſchæ, ad primum ſignum campanæ, quo veſpertinæ preces ſignificabantur. Idque cum tanta rabie factum, vt Siculis mulieribus, quas ex Gallis concepiſſe arbitrabantur, exſecti fuerint vteri, & fœtus ſolo alliſi, ne quid vſpiam Gallici ſanguinis ſupereſſet. *Aemil. Guaguin. Platina. Blond.* Templarij mirifico aſtu occultata conſpiratione, iuſſu Philippi Pulchri Francorum regis, tota Gallia, eodem impetu, vno quaſi momento extincti fuerunt. Multa & grauia illis imputata fuerunt ſcelera, rectè ne, an ſecus, ſoli Deo notum eſt. Manifeſtum autem & certum, quòd Deo inuiſæ ſunt iſtiuſmodi hominum carnificinæ, nec diu ſinuntur inultæ, ſicut euentus oſtendunt.

AN

AN PECCENT MINISTRI crudelium principum.

DISPVTATVR verò hoc loco à quibuſdam, An iſti regij ſcribæ,curſores,principes,ſatrapę, operas ſuas Hamani in trucidandis Iudæis locantes,excuſari poſſint à peccato,& ira Dei: Omnes obſtringuntur(inquiunt) vt obediāt principibus & magiſtratibus:idque etiam propter conſcientiam.Petrus & Paulus iubent ſeruos obtemperare dominis ſuis,etiam diſcolis Chriſtus ſoluit tributa & vectigalia , nec vnquam aduerſatus eſt Pilato,Herodi,aut Cæſari. Pij Chriſtiani etiam ethnicis imperatoribus , inſuper & apoſtatis hæreticiſque Conſtanti, Conſtantio, Iuliano,Valenti,in bellis adfuerunt,in quibus multi innocentes oppreſſi & ſublati de medio. Naaman & Abdias pij militiæ duces , ſub impijs Regibus militauerunt.Euſtachius ſub Traiano, Mauritius ſub Diocletiano & Maximiano,Terentius,Traianus, Arintheus & Victor viri Chriſtianiſſimi ſub Valente Arriano copias in bellum duxerunt, multoſque cæciderunt. Cur ergo Aſſueri & Hamanis miniſtri coarguerētur, dominorum ſuorum imperata facientes? An non acceptis ab his ſtipendijs,omnes operas ſuas illis debebant ? Non eſt ſeruorum aut militum in ſacratiora dominorum ac Regum ſuorum conſilia inquirere, ſed tantùm obedire. Viderint illi recta ne an praua imperent:nos(inquiunt)facimus quod iubemur.

Rom. 13. *1. Petr.* *Matth. 17. & 22.* *Nicephor.* *Theodoret.* *Sozomen.* *4. Reg. 5.* *3. Reg. 19.*

Sed his nihil obſtantibus , reſpondeo, ſi conſtaret Perſicis officiarijs,vti conſtare debebat , Iudæos eſſe innocentes,illos grauiter peccaſſe. Nunquam experti erant illos quicquam aut in Regem, aut in rempublicam admiſiſſe:cernebant nullam iuris formam in eorum damnatione ſeruatam: Mardochæi ſanctiſſimi & clariſſimi viri querelas audiebant,quod magna iniuria tot innocentes perirent:nouerant Hamanē hominem eſſe ſuperbiſſimum & crudeliſſimum. Non debuerunt ergo illi operas ſuas ad hoc ſcelus patrandum conferre.

Accedit quod legem naturæ, à diuina confirma-

tam, qua prohibemur alijs facere, quod nobis fieri nolimus, noſſe tenebantur. Dictat etiàm natura Innocentē non eſſe occidendum, abhorrendum ab humani ſanguinis profuſione, non diripiendas eſſe facultates alienas, &c.

Audiſſe potuerant miniſtros regis Chaldæorum, qui tribus ſanctis incendia ſubminiſtrabāt, diuina vltione perijſſe. Duos quinquagenarios ab Achabo ad comprehendendum Eliam miſſos, cum ſuis militibus, cæleſtibus flammis conſumptos. Militiam Aegyptiorum Regem ſuum ad iniuſtum bellum ſequentem, fluctibus maris rubri cum ipſo ſubmerſam: qui tamen à præceptis Regum ſuorum excuſationes in peccatis petere valebant, ſi iuſſa eorum iniuſta ſubditos à peccatis eximerent.

Daniel. 3. *4. Reg.* 1. *Exod.* 14.

Debetur quidem obedientia Principibus & magiſtratibus: ſed tantiſper dum aduerſus Deum, & conſcientiam recte ordinatam nihil præceperint. Dei maieſtatem in terris referunt, eiuſdemque vicarias partes gerunt: eidem ergo in primis & fidem & operas ſuas collocent neceſſe eſt. Mandatarij ſi quid velint facere extra mandatum, id irritum eſſe iubetur. Neque mandati obligatio contrahitur contra bonos mores.

1. Reg. 22. Mandauit Saul Abner & Amaſæ, alijſque ſtipatoribus ſuis, vt irruerent in ſacerdotes Domini. Renuerunt illi, ſcientes quàm graue ſcelus eſſet: nec tamen accuſari poſſunt rebellionis, aut officij deſerti erga Regem. Rabbi Salomon non abs re putat illos tum habuiſſe in animo ſententiam iſtam ex libro Ioſue, *Obediemus tibi, modò Deus tecum ſit, quemadmodum fuit cum Moſe.* Hoc eſt, ſi nihil feceris aut iuſſeris cōtra præſcriptum Dei. Videndum igitur eſt, non ſolùm quid Magiſtratus aut Princeps imperet, ſed quàm rectè & piè imperet: ne ſis miniſter libidinis, ac nefariæ cupiditatis illius Et ſi enim culpam tuam illius imperium vtcunque leuare poteſt, prorſus tamen tollere non poteſt. Hinc Auguſtinus & piè & eruditè ſcripſit: Quicunq; legibus Imperatorum, quę pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſup-

R. Salom. *Ioſue* 1. *Epiſt.* 50.

ſupplicium: quicunque autem legibus Imperatorum quæ contra Dei veritatem ferũtur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.

Meditare & aliam miſeriæ Iſraelis cauſam. Facultates eorum tot vigilijs & laboribus quæſitæ, tot curis ad familiæ cibum ſeruatæ, exponuntur prædæ, velut lanienæ & homicidiorũ præmia. Iſtud verò non ſolùm permittit Princeps impius, verùm etiam præcipit, vt vel ſic ad cædem piorum maiori alacritate & auiditate ferrentur milites: & ſi qui humanitate forſan reuocarentur, allicerentur ſaltem prædæ amore: quod extremæ fuit impietatis. Licet quidem militibus, qui vitam ſuam pro republica, periculis, mortique exponunt, contra hoſtes illius, his victis vel deletis, eorum facultates in prædam habere: ſed ex ordinatione diſtributioneque Imperatorum ſuorum, vt his verbis indicat probatq; Ambroſius. Cùm Abraham vicerit, quomodo dicit ad regem Sodomorum, *Nihil ſumam abs te*; cùm præda vtique in poteſtate victoris fuerit: Docet militarem diſciplinam, vt Regi ſeruentur omnia. Sanè his qui ſecum fuiſſent in adiutorium ſociati, partem emolumenti tribuendam aſſerit, tanquam mercedem laboris. Militaris quoque iuris partem Iſidorus docet conſiſtere in prædæ deciſione, vt pro perſonarum qualitatibus & laboribus iuſta fiat diuiſio, ac principis portio. Regis quidem ſunt omnia quantum ad tuitionem ſpectat: ſed tenetur ea diuidere ſecundum merita perſonarum. Iura etiam decernunt, bona in bello iuſto captiuorum, effici capientium. Debere tamen ea Capitaneo tradi, vt militibus ſecundum merita diſtribuat, voluit Bartholus. Quod intelligendum alij volunt eſſe, tantummodo vbi cõſuetudo non obtinuit, vt vnuſquiſque ſibi retineat, quod ab hoſtibus cepit.

Amb. li. 1. de Abrah. ca 3. *23. q. 5. can. Dicat.* *Lib. 5. etym. cap 4.* *Diſt. 1. can. Ius militare.* *Digeſt l. 49. ti. 15 li. poſtliminium, l. ſi quid bellici & li hoſt. s.*

Sed & ius diuinũ hęc de prædæ diuiſione cõſtituit. *Omnem prædã exercitui diuides, & comedes de ſpolijs hoſtiũ tuorũ, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Quod attendẽs Dauid, voluit prædã captam ab Amalecitis æqualiter diuidi inter ſuos, ſiue illi militaſſent, ſiue laſſi reſediſſent ad ſarcinas. Samaritæ dicuntur diripuiſſe caſtra

Deut. 20. *1. Reg. 30.* *4 Reg. 7.*

4. Reg. 19. Syrorum:Ieroſolymitani,Aſſyriorum:& Bethulienſes,Chaldæorum,&c.
Iudith 16.

Verùm,hęc fieri cùm bellum iuſtum eſt,nemo hominum coarguere poſſit.Cùm autem nullum bellum indictum fuerit Iudæis ab Aſſuero aut Hamane, non potuerunt bona eorum dari in prædam.Fuit ergo hęc direptio,aperta rapina,merumque furtum,& populatio iniquiſſima, quæ damnatur his prohibitionibus

Exod. 20. diuinis, *Non furtum facies. Non concupiſces rem proximi*
Deut. 5. *tui,non bouem,non aſinum,nec omnia quæ illius ſunt. Rapinas*
Pſalm. 61. *nolite concupiſcere.* Quiſquis ergo his operam dederit, non ſolùm æternæ mortis reus erit coram Domino & Angelis eius:verùm & reſtitutioni obnoxius,iuxta hanc D. Auguſtini regulam: Non dimittitur peccatum,niſi reſtituatur ablatum. Viderint ergo huius æui milites,qui omnia in agris,in vicis,in oppidis rapiunt: viderint principes & magiſtratus qui hæc ſeruunt, quid iudici viuorum & mortuorum ſint aliquando ſuper his reſponſuri.Sequitur.

15. *Feſtinabant curſores qui miſſi erant, Regis imperium explere. Statimq́ in Suſan pependit edictum, Rege & Haman celebrante conuiuium: & cunctis Iudæis,qui in vrbe erant,flentibus.*

QVID conſequutum ſit ex crudelibus edictis, hîc paucis,ſed grauiſſimis verbis Author commemorat. Ac primùm quidem de his Curſori-

Xenoph.li.8. bus dicendum.Patet ex Xenophonte,Cyrum curſum
de inſtit. publicum in Perſide inſtituiſſe,quo mutatis ad cele-
Cyri. ritatem equis,per veredarios,breui temporis momento certior fieret omnium,quæ in remotiſſimis & longo locorum interuallo diſiunctis regni partibus gererentur. Manſiones autem & ſtationes equorum ſic paratas fuiſſe ait,vt quantum itineris equus conficere poſſet per diem,ne deficeret,ſtabula parata erant quæ tantùm diſtarent, in hiſque laſſi equi recipiebantur, recentes autem aſſumebantur. Atque hoc iter ne no-

cte qui-

& quidem ceſſabat, ſed nuncio diurno ſuccedebat nocturnus. Quæ cùm ita fiunt, ait Xenophon, ſunt qui dicant huiuſmodi iter gruum volatu celerius confici, &c. Hinc Herodotus, Xerxem cladis à ſe ad Salaminem acceptę nuncios in Perſidem miſiſſe narrans, ſubijcit, nihil his nuncijs pernicius tranſcurriſſe in rebus humanis. Hos autem Curſores ſeu veredarios Perſicis nominibus appellabant Augaros, & Aſtandas, vti ex Suida & Ioſepho colligitur. Deſtinauit autem (inquit Ioſephus) per omnes gentes eos, qui Aggari dicebantur. Vtebantur etiam mulis, vel camelis dromedarijs, vel equis curſu valentibus Nec vile aut ignobile munus hoc fuiſſe videtur, quandoquidem conſtet ex Plutarcho, Darium cùm quem Alexander vicit, hoc munere aliquando functū fuiſſe apud Ochum & Arſem reges, &c.

Herod. li. 8.

Ioſeph. li. 11. antiq. ca. 6.

Plut. in vit. Alexand.

Attende autem, quàm ardenter omnia fiant, omniaque in exterminium populi diuini conſpirent. Sententia atrox definitur, deſcribitur tot linguis & characteribus quot ſub imperio gẽtes degebant, legibus Perſarum nemo audebat contradicere, monentur omnes ſatrapæ, Iudæis alioqui plus æquo infenſi, vt parati ſint ad diem occiſionis, promittuntur cæſorum ſpolia, miſſi regij curſores pro viribus feſtinant, ac volare eos non iter facere diceres, edictum crudele publico foro, in ipſa metropoli regia propendet, ne quis vel ignoret, vel ſurreptitium cauſetur. Interim dum pij triſtes crudelis executionis fatalem præſtolantur diem, rex & Haman perpotant, libidinantur, & gaudent. Sic perit iuſtus, & nemo conſiderat: ſic opprimuntur ſerui Dei ab organis diaboli; ſic triumphat crudelitas, ſic regnat infidelitas, ſic exultant in rebus peſſimis filij huius ſeculi, ſic conculcatur & proteritur à tyrannis Eccleſia Dei militans in terris, niſi Chriſtus ſponſus ei ſuccurrat. Quid tunc enim pij omnes paſſi ſint anguſtiarum, ex vnius Mardochæi ſacco, cinere, luctu, & planctu ſequenti capite facilè colligitur. An non ad portas inferi ſe perductos videbant, & dolebant quàm miſerabiliter?

Iſaiæ 57.

Prouer. 2.

Deut.32. Sed bene habet. Eſt Deus in cælo, *qui percutit, & ſa-*
1.Reg.2. *nat: humiliat, & ſubleuat: deducit ad inferos, & reducit.*
Iſaiæ 59. Eius manus nulla potentia humana, nulla ſapientia
Ierem.15. abbreuiari poteſt, vt ſaluare nequeat. *Ego tecum ſum,* ait, *vt ſaluem te, & eruam te. Liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium.* Et rurſum: *Audi-*
Iſaiæ 46. *te me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci, &*
Oſee 13. *ego feram: ego portabo, & ſaluabo.* Rurſumq;. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

Et ne putes vanas eſſe huiuſmodi promiſſiones, oculos erige ad exempla ſanctorũ plurimorũ, quos velut ex ipſorum inferorũ faucibus eripuit. Nimirum Iob de manibus Satanæ, Iſraelem de fornace ferrea, Ionam de ventre ceti, Dauidem de inſidijs Saulis, tres pueros de camino, Danielem de ore leonum, Suſannam de infami ſupplicio, Ieremiam de cœno, Petrum de manu Herodis, Paulum de naufragio, &c. Ipſam ſuam Eccleſiam Chriſtianam toties aſſeruit è tyrannide & oppreſſione Neronis, Domitiani, Traiani, Aureliani, Decij, Seueri, Adriani, Antonini, Saporis, Valeriani, Diocletiani, Maximini, Valentis, Iuliani, &c. Quare ſiue principes ſtatuant, ſiue ſcribant, ſiue mandent, ſiue amandent nuncios aduerſus Eccleſiam; confugiendum eſt ad Dominum Deum noſtrum; promiſſionum & liberationum ſuperiorum fiducia confirmanda eſt: conſtanterque ſperandum de auxilio eius. Quoniam cùm receperit ſe ſeruaturum Eccleſiam ſuam, idemque tot exemplis ſtabilierit: non eſt vlla creatura, quæ poſſit decretum eius infirmare, & manum eius ad ferendum auxilium extentam auertere. Hæc nos hodie ſolari ac ſuſtentare animis debent aduerſus tentationes, quibus ex tot cladibus, cædibus, & defectionibus hominum poſtremi huius æui, piorum conſcientiæ pulſantur & affliguntur. Nam vt clamor Iudæorum vicit conſilium Hamanis; & lacrymæ eorum aſcendentes in cælũ, crudelis edicti reuocationem & abolitionem impetrauerunt: ſic nobis finem peccatis facientibus, ieiunantibus, opem Dei & omniũ San

ctorum

ctorum eius ſeriò implorantibus, tandem aliquando Chriſtus Saluator aderit.

Seruis autem Dei mœrentibus & lugentibus, *Rex & Haman*, inquit, *celebrabant conuiuium*, & poculis omniq́ue luxui indulgebant: parum curantes ſe tot piorum hominum corda ſumma mœſtitia vulneraſſe. Imò præclarè actum putabant, quod hi à quibus Regi periculum fuiſſet, hac ratione ſtirpitus tollerentur, ac ſibi de ſanguinarijs iſtis machinationibus tantùm non delitias faciebant. Quæ impietas nec noua eſt, nec inſolens. Etenim ſemper extiterunt, qui cæteris in luctu & ſqualore iacentibus, ſuos triumphos egerunt. Filij Iacob ſedentes manducant panem, nihili ducentes crudele fratricidium, quod eadem hora in Ioſeph commiſerant. *Geneſ. 37.* Sanctiſſimo inter natos mulierum Præcurſore Domini in vinculis agente, Herodes epulatur, Herodias luxuriatur, & ſaltatrix in conuiuio tripudiat. *Matth. 14.* Diues purpuratus cibo & potu indulget, Lazaro vulneribus pleno fame pereunte. *Lucæ 16.* *Plorabitis, & flebitis vos*, inquit ad Apoſtolos & ſeruos ſuos Chriſtus, *mundus autem gaudebit*: quod paulò poſt, nimirum eius paſſionis tempore, reipſa completum eſt. *Ioan. 16.* Tunc enim Pontifices triumphabant, milites ludebant, prætereuntes inſultabant, Scribæ & Phariſæi blaſphemabant: Chriſtus autem de cruce pendens omnibus probris affectus, cum clamore valido & lacrymis animam agebat, & Apoſtoli in cauernis terræ latitantes in omni luctu & ſqualore erant. *Ioan. 19. Matth. 27. Lucæ 23. Marc. 14. Hebr. 5.* Verùm, vt Apoſtolorum triſtitia conuerſa eſt in gaudium, ſic exultationes impiorum in æterna lamenta. *Gaudium ergo impiorum eſt inſtar puncti*, &c. breuiſſimum, leuiſſimum, inconſtantiſſimum. *Ducunt in bonis dies ſuos*: (Ecquam breues!) *& in puncto, ad inferna deſcendunt*. *Iob. 21.* *Sic poſtrema gaudij luctus occupat.* *Prouerb. 14.*

Habes etiam in hoc ſpeculo relucentes mores Tyrannorum. Nihil commouentur mundi huius calamitatibus: nihilq́ue ad ſe pertinere putant, ſi populus Dei eſuriat, algeat, lacrymet, plangat, miſerrime pereat. Tales Nembroth, Nabuchodonoſor,

Balthaſar, Holofernes, Herodes, &c. Multos nunc habemus eis ſimiles, qui in ſummo diſcrimine verſante Eccleſia Catholica, cultu Dei, fide patrum, & ſalute animarum; ipſi voluptati indulgent, reſque priuatas tantummodo ſeruare & adaugere curant. Certum eſt autem quòd grauiſſimis peccatis hac ſua feritate & indolentia ſe alligant: quandoquidem pugnant aduerſus charitatem, cuius officiũ eſt flere cum

Rom. 12. flentibus. Naturæ quoque aduerſantur, quæ miſeris

1 Cor. 13. ſuccurrere docet. Et belluæ ſola natura duce, ſibiipſis condolent. Propheta vt nefarium ſcelus expro-

Amos 6. brat proceribus Iſraelitarum, *quòd bibentes in phialis, vnguentoque delibuti, nihil paterentur ſuper contritione Ioſeph*, id eſt, populi afflicti & oppreſſi. Sequitur diuinæ vltionis comminatio. *Quapropter migrabunt in capite*

Apocal. 6. *tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium.* Superueniente enim ſuper eos iudicio Dei, tum fruſtra, nimiſque ſerò vociferabunt: *Montes cadite ſuper nos. Quid*

Sapient. 5. *nobis profuit ſuperbia? Aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam nuncius præcurrens, &c.*

LIBRI

LIBRI ESTHERIS
CAPVT QVARTVM.

1. *Quæ cùm audiſſet Mardochæus, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti: & in platea media ciuitatis voce magna clamabat, oſtendens amaritudinem animi ſui. Et hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens.*

2. *Non enim erat licitum, indutum ſacco, aulam Regis intrare.*

POSTQVAM recenſuit Auctor falſas Hamanis accuſationes, & crudelia edicta aduerſus populum Dei, ad centum viginti ſeptem prouincias imperij Perſici tranſmiſſa fuiſſe: nunc deſcribit quo pacto in tanta calamitate affecti fuerint Iudæi, in primis autem princeps eorum Mardochæus. Deinde, quibus internuntijs totum negotium reginæ Eſtheri innotuerit: quidq́ue ad primam Mardochæi commonitionem reſponderit. Denique, quomodo & ipſa imperatis impetratiſq́ue à populo ſuo publicis ieiunationibus & precibus ad Deum, profectionem pro eius liberatione in aulam Perſicam inſtituerit. Hæc verò eò diligentius & attentius conſideranda ſunt, quòd nunc in noſtris Gallijs non multum abſimilis videatur piorum Catholicorum conditio. Præterea, quòd hinc diſcamus, quale ſit noſtrum in publicis & grauibus Eccleſiæ calamitatibus officium.

In primis autem mecum animaduerte, quàm contraria & inter ſe pugnantia fuerint Hamanis & Mardochæi ſtudia: vtque in illo exprimitur impetus atque conatus impiorum, ſic in iſto munus ac officium piorum Dei ſeruorum. Ille ſuperbus Diuini numinis

contemptor, immanis & ferus Eccleſiæ hoſtis, cunctos Dei ſeruos per latiſſimum imperium Perſicum, medijs nefarijs & truculentis, è medio tollere funditusque delere conatur: hic è contrario, grauiſſimis ad Deum & homines querelis, publica pœnitentia, ardentiſſimis votis eos ſaluos & incolumes eſſe cupit. Ille Regis abutitur authoritate, vt ne vnus ſuperſit: iſte Reginæ interceſſione ſatagit, vt ne vnus quidem pereat. Ille ſatellites ſuos ac carnifices paratos habet in omnibus 127. prouincijs, qui ſignato die in omnes Iudæos inuaderent & mactarent: iſte verbo & exemplo cunctos hortatur atque impellit, vt ieiunio,
Ioel.2. fletu, planctu, ſacco, & cinere ad Deum optimum ſeruatorem confugiant. Sic & ab initio fuerunt mali
Geneſ.3. Angeli, qui contra Dei verbum cultumque inſurgerent, & in pernitiem generis humani conſpirarent: fuerunt quoque & boni, in miniſterium miſſi eorum
Hebr.1. qui hæreditatem capiunt ſalutis. In familia Adæ Ca-
Geneſ.4. in natus ex maligno, inuidus, fratricida, hypocrita, doctrinæ paternæ irriſor, initium dedit Eccleſiæ malignantium, & (vt Auguſtinus loquitur) ciuitatis diaboli fundamenta iecit: in eadem verò ſanctus Abel, & confeſſione, & virginitate, & ſacerdotio, & mar-
Geneſ.8. tyrio, ciuitatis Dei mœnia conſecrauit. In ædibus
Beroſ. Noë, Dei altiſſimi pius ſacerdos Sem, qui & Melchiſedec, diuinā religionem propagare ſtudet: contra verò Cham eſenua, id eſt, omnibus modis infamis & impurus, omnis idololatriæ, Magię, & cultus dęmonum ſemina ſpargit. Pharao omnem mouet lapidem, vt Iſ-
Exod. 4. 5. rael in AEgypto vel permaneat, vel pereat: Moſes ni-
6.7. &c. hil intentatum reliquit, vt hinc liber educatur. Helias
3.Reg.18 19. incredibili zelo flagrat, vt populus decem tribuum ad cultum Domini redeat: contrà Iezabel, Achab, Baaliſtæ magna pertinacia certant, vt poſt vitulos au-
Matth.2. reos & Baalem fornicetur. Sub Euangelio Herodes infantem Chriſtum perdere quęrit: Maria & Ioſeph ſeruare conantur. Petrus & Paulus regni Chriſti pomeria pro viribus toto Oriente ac Occidente dilatant: Nero, Simon, Nicolaus, Ebion, eadem conuellunt, & labefactant. Sic itaq; ab initio ad finem vſque,
ciui-

ciuitatis Dei & ciuitatis diaboli ciues,ſeu(vt ſcriptura loquitur)ſemen mulieris & ſemen ſerpentis, filij Dei & filij hominum diuerſis contrarijſque ſtudijs dimicant,& irreconciliabili bello confli&tantur,nullas vnquam inducias facturi. Hoc porrò attentè meditari iuuabit,ne propter nouiſſimas iſtas mundi pereuntis colliſiones animis deficiamus. *Geneſ.3.et 5.*

Conſpice etiam Mardochæi excelſum, conſtantem & infractum animum. Videns ſibi ſuiſque pro certo paratum exitium, non ſe coniecit in pedes, non latebras quæſiuit,non pretio vitam ſuam redemit,nō ſtuduit animum impotentis tyranni blanditijs lenire,non ficta adoratione cicurare, non ipſum vnà cum ſuo Rege aut veneno aut gladio proditoriè trucidare,non Iudæorum legem religionemque coram hominibus abnegare, vt vitæ ac fortunis ſuis conſuleret.Sed neque ſegnis domi reſidet, aut deſperans dicit,vt huius ſeculi molles aulici & politici ſolent, *Cauſa Dei agitur, eam defendat ſi velit aut poßit.* &cæt.

Verùm, magna fide veteres Dei promiſſiones de perpetuò ſeruanda Eccleſia conſiderans, & ita etiam tunc futurum eſſe confidens, vniuerſis quibus poteſt dignis pœnitentiæ fructibus ad DEVM omnipotentem recurrit: & vt eiſdem ſtudijs ſeipſos occuparent,ſalutique communi proſpiciant vniuerſi per orbem Perſicum Iudæi author eſt. *In omnibus*, inquit author libri,*prouincijs,oppidis, ac locis, ad quæ crudele Regis dogma*, id eſt,lex ſeu edictum, *peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, ſacco & cinere multis proſtratu vtentibus.* Quibus adiunctæ erant feruentes ad Deum Abraham Iſaac & Iacob preces, vt de tam graui periculo ſeruos ſuos potenter eriperet:aut ſaltem fortiter pro ſanctis ſuis legibus occumbere daret.Nihil enim dubito quin eorum melioribus in animo reſideret nouiſſimū trium puerorum exemplum & propoſitum iſtud ad Nabuchonodozorem aduerſus eos horribilibus incendijs ſæuientem: *Ecce Deus noſter quē colimus,poteſt nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex,liberare.* *Daniel.3.*

Quòd

Quòd ſi noluerit, notum ſit tibi, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream quam erexiſti, non adoramus. Hæc fortium virorum exempla ſibi propoſuit aliquot poſtea ſeculis beatus Eleazarus, qui glorioſiſſimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præiuit ad ſupplicium, deſtinans non admittere il-
2. Mach. 6. licita propter vitæ amorem. *Nam & ſi præſenti tempore* (aiebat) *ſupplicijs hominum eripiar, manum Omnipotentis, nec viuus, nec defunctus effugiam.* Et ſeptem fratres ad crudelem lanienam ab Antiocho rapti, eidem inge-
2. Mach. 7. rebant. *Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? Parati ſumus mori magis, quàm patrias Dei leges præuaricari.* Quis autem ibit inficias hęc conſtantis fidei & ſpei patrum exempla, nobis ad imitandum à Spiritu ſancto propoſita eſſe?

Vt verò Mardochæus videbatur huic calamitati gentis Iudaicæ occaſionem dediſſe, ſic nunc eidem in pœnitentiæ & precum remedijs prælucere voluit. Quatuor porrò de illo recitantur, quibus ad auxilium de cælo petendum acceſſit, quando nullum de terris apparebat. Primùm, *ſcidit veſtimenta,* quæ pro conditione illuſtri, pretioſa induerat: omnem gloriæ & lætitiæ externam ſignificationem abijciens, & internam intimamque cordis mœſtitiam indicans: fuit enim hic vetus Hebręorum, Perſarum, Chaldęorum, adeoque Ethnięorum omnium ritus in ſummis doloribus & anguſtijs, vt ſic corda ſua mœroribus vulne-
Geneſ. 37. rari lacerarique teſtarentur. Iacob namque cernens tunicam filij ſui Ioſeph tinctam hœdi ſanguine, putans quòd à feris diſcerptus fuiſſet, ſcidit veſtes ſuas,
Geneſ. 37. induit cilicium, & luxit eum multo tempore. Ruben quoq; non inuento cõtra ſpem, fratre in ciſterna, ſci-
Ioſue 7. dit & ipſe veſtes ſuas. Ioſue cæſis aliquot ad vrbẽ Hai Iſraelitis, cũ ſenioribus populi, ſciſſis veſtibus, proni coram arca Domini in terram ceciderunt, mittentes
2. Reg. 1. puluerem ſuper capita ſua. Dauid & viri eius audita morte Saulis, cædeque populi, ſciderunt veſtes, & ie-
2. Reg. 13. iunauerunt vſque ad veſperam. Thamar vi compreſſa expulſaque ab Amnone, laceratis veſtibus, cinere
4. Reg. 18. conſperſa caput ibat & exibat vociferans. Ezechias

rex

rex auditis in Deum blaſphemijs Rhapſacis, vnà cum legatis ſuis veſtes lacerauit. Quinetiam Paulus & Barnabas, prohibituri ne pro dijs à Lycaonibus colerentur, cõſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, &c. *Actor.14.*

Quod etiam Perſæ hunc morem in ſummis anguſtijs & conſternationibus ſeruarent, teſtis eſt in aliquot locis Herodotus. Cui ſubſcribit his verbis Curtius: Spado (putans Darium regem in acie cæſum) gemitu non modò tabernaculum, ſed etiam caſtra compleuit. Irrupêre deinde alij, laceratiſque veſtibus, lugubri & barbaro vlulatu Regem deplorare cœperunt. Quod & Tyrioten quendam fuga elapſum, & ab excubitoribus Darianis exceptum, obſeruaſſe ſcribit. Idem rurſum matris regis Darij luctum ita depingit. Ingens circa eam nobilium fœminarum turba conſtiterat, laceratis crinibus, abſciſſaque veſte, priſtini decoris immemores. Et mortuo Alexandro, eadem (infit) abſciſſa veſte qua induta erat, lugubrem ſumpſit, laceratiſque crinibus, humi corpus abiecit. Et aliquanto poſt. Perſæ comis ſuo more detonſis, in lugubri veſte cum coniugibus ac liberis, non vt victorem, & modò hoſtem; ſed vt gentis ſuæ iuſtiſſimum Regem vero deſiderio lugebant, &c. *Herod.lib. 3.& 9. Curt. lib.5. Curt.lib. 4. Curt.lib.3. Curt lib. 11.*

Aſſyrios Chaldæoſque his ritibus addictos locuples teſtis eſt Eunuchus Vagao, qui in ſanguine ſuo tabefactum, & ſine capite proſtratum in terra corpus Holofernis inueniens, exclamauit voce magna cum fletu, & ſcidit veſtimenta ſua, dicens: *Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo regis Nabuchodonoſor.* Quod cùm audiſſent principes virtutis Aſſyriorum, & ipſi ſciderunt omnes veſtimenta ſua, timor & tremor cecidit ſuper eos, &cæt. Amici Iob quantumuis ethnici, videntes dolorem eius eſſe vehementem, ſciſſis veſtibus, ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum, & exclamantes plorauerunt. His ſatis confirmatum puto, quod initio diximus de veſtium lacera- *Iudith.14. Iob.2.*

ratio-

ratione inter potiſſimas huius ſeculi nationes. Ad Mardochæum lugentem redeo.

Secundò itaque *indutus eſt ſacco*, nimirum vt delitias omnes procul valere iuberet, triſtis autem animi omnem formam oſtenderet. Sic enim qui in ſqualore iacent & mœrore, lugubres veſtes induunt. Hunc Mardochæi ſaccum Ioſephus appellat σχῆμα ταπεινὸν, id eſt, veſtem humilem & abiectam. Item, veſtem lugubrem; vel vt eius verba ſunt, ἐσθῆτα πενθικὴν. In poſterioribus capitibus vocatur à Græcis ἱμάτιον στενοχωρίας, veſtis angoris & luctus. Hanc veſtis formam in vſu fuiſſe lugentibus in Perſide hic locus probat; & duo ſuperiores ex Quint. Curtio confirmant.

Hebræis autem frequentiſſimum & communiſſimum hunc morem extitiſſe conuincunt ſequentes
2.*Reg*. 3. loci: *Scindite veſtimenta veſtra* (ait Dauid ad populum) *& accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Ab-*
3. *Reg*. 21. *ner*. Achab operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauit, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.
4. *Reg*. 19. Ezechias audiens verba Sennacherib, ſcidit veſtimen-
2. *Eſdr*. 9. ta ſua, & indutus eſt ſacco. Horratore Eſdra, conuenerunt filij Iſrael in ieiunio, & in ſaccis, & humus ſuper
Iudith. 4. eos. Inſtante Bethulienſibus Holoferne, ſacerdotes induerunt ſe cilicio. Altare Domini operuerunt cili-
Ierem. 6. cio. Et Propheta iubet: *Accingere cilicio, & conſpergere*
Baruc. 4. *cinere. Exui me ſtola pacis, indui me autem ſacco obſecratio-*
Ioel. 1. *nis. Cubante in ſacco miniſtri Dei.*

Ab Hebræis ad vicinos eorum Syros, hanc obſeruationem dimanaſſe, ſatis euincunt verba iſta
3. *Reg*. 20. militum Syrorum ad Ben-Adad: *Audiuimus quòd reges domus Iſrael clementes ſint, ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & egrediamur ad regem Iſrael: forſitan ſaluabit animas noſtras.* Quinetiam ad Aſſyrios ipſos eadem pœnitentis & verè afflicti animi teſſera perue-
Ion. 3. nit, quando ad prædicationem Ionæ, *Niniuitæ veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minimum.* Et Rex eorum abiecit veſtimentum ſuum à ſe, *& indutus eſt ſacco.* Per præconem quoque clamauit, *Operiantur ſaccis homines*

mines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.

Tertiò, Mardochæus *ſparſit cinerem capiti ſuo;* Et hunc quoque ritum Hebræis, & alijs gentibus vſitatum fuiſſe in publica grauiq́ue calamitate, ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Inſuper, Iob profitetur ſe pœnitentiam acturum in fauilla & cinere. *Iob.42.* Daniel quoque Dominum deprecatus eſt in ieiunio, ſacco, *Daniel.9.* & cinere. Bethulienſes timentes Aſſyrios, orabant Dominum, *mittentes cinerem ſuper capita ſua*: quod & *Iudith.7. & 9.* ſancta Iudith ſeruauit. Ieremias etiam publici lamenti Hebræorum ceremonias ita deſcribit: *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes, conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt cilicijs, abiecerunt in terram capita ſua.* *Thren.2.* Idem præſtiterunt non ſemel, cùm Antiochi & Græcorum armis vaſtarentur: vti diuina Machabæorum *1.Mach 3. & 4.* hiſtoria refert. *2.Mac. 4. 19.* CHRISTVS denique adfirmans Tyrios & Sidonios olim acturos fuiſſe pœnitentiam in cilicio & cinere, ſi miracula vidiſſent: *Matth.11. Lucæ 10.* ſatis oſtendit hæc cunctis fuiſſe externa pœnitentiæ & doloris ſigna.

Hac porrò ceremonia magnam animi demiſſionem, & cordis contritionem ſignificabant; quodq́ue ſe puluerem eſſe, ac in puluerem tandem redituros ſeriò cognoſcebant & profitebantur. Hinc Abraham: *Geneſ.3.* *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis.* *Geneſ 18.* Et Sapiens hominum arrogantiam increpans: *Quid ſuperbis*, inquit, *terra & cinis?* *Eccli. 10.* Deniq; hac terræ aut pulueris conſperſione ſignificabant, Deum illicò peccatores diſſipaturum, & in puluerem redacturum, ſi ſummo iure, proq́ue peccatorum ſuorum meritis, cum illis agere vellet. Ait enim Iob: *Et in puluerem reduces me.* Et Iterum: *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.* *Iob 10.* Ideo Ieremias pro ſe, & ſynagoga peccatrice ſuppliciter orat. *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio; & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* *Ierem. 10.*

Poſtremò, Mardochæus *in platea mediæ ciuitatis magna voce clamabat.* Ioſephus, & interpres Græcus adijciunt, Οτι μηδὲν ἀδικῆσαν ἔθνος ἀναιρεῖται: quòd præter omne ius, Gens innoxia deleretur. Indignum, facinus

nus immane, horrendum ac planè barbarum ſcelus, tot innocentum ſanguine Imperatorem ſe commaculare. Vnius aulici ambitu, & libidine, tot homines perire, & cæt. Magnos autem clamores edebat, indicans amaritudinem & triſtitiam animi ſui grauiſſimam eſſe, ſeque ſeriò & imo pectore dolere. Vociferabatur vt & ipſam Reginam, & contribules ſuos Iudæos ad pœnitentiæ lamenta, & feruentes preces inuitaret. Planctu & lamento cuncta replebat, vt Deum ſaluatorem Iſraelis ad gratiam & miſericordiam flecteret. Palam enim conteſtatur ſe clamore & lacrymis ſuorum velut de ſomno excitari, vt his ſubueniat. *Vidi*, ait, *afflictionem populi mei in AEgypto, & clamorem eius audiui, & ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum.* Et prohibens veſtem pauperis pro pignore datam, noctu retineri, *Si clamauerit ad me*, inquit, *exaudiam eum, quia miſericors ſum.* Hinc Iſaias, *Inuocabis, & DOMINVS exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adſum.* Et per Ieremiam: *Clama ad me, & exaudiam te: & annuntiabo tibi grandia.* Conqueritur verò per Oſeam: *Non eſt qui clamet in eis ad me, &c.* Et hactenus de his publicæ ac ſolemnis pœnitentiæ lamentique ritibus: horum nunc rationes ſigillatim excutiamus.

Exod. 3. *Exod. 22.* *Iſaiæ 58.* *Ierem. 33.* *Oſeæ 7.*

In primis verò mirandum videtur, quod Mardochæus tantos planctus, eiulatus, & triſtes clamores ediderit, cùm ſe morti obnoxium noſſet; ſimulque conſtanter crederet corpora ſanctorum tandem aliquando reſurrectura ad gloriam; animas autem eorum in manu Dei eſſe. Inſuper, non ignoraret plurimos Ethnicos, qui hanc fidem & ſpem non haberent, magno & intrepido animo omnes mortis minas irriſiſſe, & obiecta eius pericula alacres ſubiuiſſe: Ad hæc, nouerat ſe iam multos vitæ ſuæ annos emenſum eſſe: proindeque paucos ſupereſſe, quos Haman eripere poſſet. Iuuenes ſiquidem mori poſſunt, ſenes autem diu viuere non poſſunt.

Sap. 3. *Hieron.*

At, vir pius non ſui ipſius tantùm rationem habuit: ſed vehementer dolebat, quòd tanta

fraus

fraus ſublimi regnaret in aula: ſolaque adulatio, inuidia, malitia, ſuperbia, in pios omnes ſæuitia primum obtinerent locum. Vehementius, tot honeſtas matronas, tremulos ſenes, pudicas virgines, honeſtos adoleſcentes, innocentes pueros indicta cauſa perire. Omnium autem vehementiſſimè, quòd in tot ſanctorum cæde cultus Dei imminui videretur, & ſacrum eius nomen blaſphemaretur à Gentibus; quaſi non potuiſſet legis ſuæ cultores aſſerere & vindicare. Ideoq; in oratione ſua dicit: *Et nunc Domine Deus Abraham, miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere. Conuerte luctum noſtrum in gaudiũ, vt viuentes laudemus nomen tuum, & ne claudas ora canentium te.* Pij itaque maximè cruciantur, dolent, & acerbiſſimè conqueruntur, quòd impietas, hæreſis, diuinę legis contemptus præualeat: vera religio pietaſque odio habeatur & pereat. *Vſquequo* (inquit Pſaltes) *improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomen tuum in finem? Cogitauerunt ſimul aduerſum te, teſtamentum diſpoſuerunt, dicentes, hæreditate poßideamus ſanctuarium Dei.* Sequitur ardens & vehemens imprecatio: *Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti, &c. Imple facies eorum ignominia &c. Erubeſcant & conturbentur &c.* Et alibi rurſum oſtendens ſe tum præſertim affligi, cùm cultus Dei periclitaretur, ait: *Populum tuum humiliauerunt & hæreditatem tuam vexauerunt. Et dixerunt. Non videbit Dominus, &c.* Poſtea zelum & feruorem ſuum aduerſus illos indicat, dicens: *Quis conſurget mihi aduerſus malignantes? Aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos, Dominus Deus noſter.* Elias ſibi vitam acerbam & amaram eſſe ſignificat, cùm dicit: *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, &c.* Mathathias cernẽs omnia ſacra prophanari, exclamat: *Væ mihi. Vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & ciuitatis ſanctæ, & ſedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta ſunt, templum eius ſicut homo ignobilis, &c. Quo ergo nobis adhuc viuere?* Et de Machabæis aduerſus Nicanorem dimicaturis dicitur: *Erat eis pro vxoribus, & filijs, fratribus, & cognatis, minor ſolicitudo,*

Eſther. 13.
Pſalm. 73.
Pſal. 82.
Pſal. 93.
3. Reg. 19.
1. Mach. 2.
2. Mach. 15.

licitudo, maximus verò & primus pro ſanctitate templi erat timor. Tantundẽ ergo de Mardochæi lacrymis atq; clamoribus hîc iudica: & hunc ſanctorum virorum zelum tibi ad imitandum eſſe à Spiritu Sancto propoſitum exiſtima.

Diſce etiam ſancti Mardochæi & piorum Hebræorum exemplo, veram coram Deo pœnitentiæ rationem longè aliam eſſe, quàm huius æui ſectarij literis & concionibus prædicent. Aiunt enim *eam tantùm conſiſtere, in fide apprehendente miſericordiam Dei propter Chriſtum, & recordatione baptiſmi aut circunciſionis.* Quid magis impium, mendacius, & cum verbo Dei expreſſo acrius pugnans? An non Contritionem cordis, vt primam eius partem poſtulat, qui dicit per Ioë-
Ioel. 2. lem: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu. Et ſcindite corda veſtra?* Et per alium. *Fi-*
Ierem. 6. *lia populi mei, accingere cilicio, & conſpergere cinere, lu-*
Pſal. 50. *ctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, &c.* Sacrificium namque ſpiritus contribulati à pœnitente in primis poſtulat Deus, nec deſpicit cor contritum & humiliatum. Vnde autem tot tantæque Dauidis, Ezechiæ, Manaſſis, Petri, Magdalenes, & aliorum pœnitentum lacrymæ, niſi ex hoc fonte prodire potuerunt?

Confeſſionem quoque delictorum requirit, qui
Ioan. 20. ait. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorum*
Matth. 3. *retinueritis, retenta erunt.* Venientes ad baptiſmum Io-
Act. 19. annis, *confitebantur peccata ſua.* Et diſcipuli Pauli, *fate-*
Aug. lib. 50. *bantur actus ſuos.* Diabolus vult (inquit Auguſtinus) vt
hom. homil. magis defendere, quàm accuſare peccata noſtra veli-
12. mus; vt inueniat quod nobis ante tribunal iudicis æterni obijciat. E contrario autem Deus noſter, vult vt ea confiteamur in hoc ſeculo, ne pro illis confundamur in futuro.

An non etiam ad ſatisfactionis rationem preces, eleemoſynas, ieiunia, fletuſque pertinerè docuerunt,
Dan. 4. qui dixerunt: *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum? Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere,*
Tob. 12. *quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat*
pecca-

peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam? Hinc Auguſtinus. In melius eſt vita pœnitenti mutanda, & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus. Idem rurſus. Non ſufficit mores in melius commutare,& à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. *Beati enim miſericordes, quoniam ipſorum miſerebitur Deus.* Non enim dictum eſt, vt tantum abſtineatis à peccatis: *ſed & de præteritis,*inquit, *deprecare Dominum, vt tibi dimittantur.* Intuere Petrum præſumentem accuſatum, timentem vulneratum, flentem ſanatum,&c. Quis in his non cernit tres veræ pœnitentiæ partes, ſacro Dei verbo expreſſas & confirmatas? *Aug.Enchir. cap.70.* *L.50.homil. hom. vltima.* *Matth.5.* *Eccli.21.* *Matth. 27.*

Sed & in propoſito Mardochæi, Iudaicique populi exemplo earundem veſtigia conſpice. Præ maxima cordis anguſtia veſtes lacerant, lamentiſque replent omnia: delicta ſua palam agnoſcunt & confitentur, dicentes, *Peccauimus in conſpectu tuo, & idcirco tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum, &c.* deniq; duris ac laborioſis exercitijs, vtpotè ſacco, cinere, ieiunijs,& humicubationibus,corpora caſtigantes, pœnas debitas peccatis ſuis perſoluunt,vt Deum habeant propitium,& cauſæ ſuæ aſſertorem & vindicem. Nec fraudati ſunt à deſiderio ſuo. *Eſther. 14.*

Eſt quoque non minima laude dignum in principe ſancto Mardochæo, quod non ſolo verbo, ſed ſuo exemplo alios omnes ad pœnitentiam,preceſq; inuitauerit ac permouerit. Siquidem,ſubditi exemplis ſuorum Præfectorum magis mouentur, quàm legibus. Segnius irritant animos immiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. Quod cùm non ignorarent pij principes, rebus aduerſis,ſubditis exemplo præire rectè putauerunt ſui eſſe officij. Cùm arca ducenda eſſet in montem Sion, rex Dauid accinctus ephod lineo, pſallebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominum. Quando verò fugiendum fuit à facie Abſalonis, & ipſe pri- *2.Reg.6.*

ſe primus pœnitentiæ fructus inchoat, quando pedi-
2.Reg.15. bus incedit, lacrymatur, & operto capite, graditur
plorans. Ioſaphat præter omnem ſpem bello impeti-
2.Par 20. tus à vicinis populis, totum ad ieiunandum & oran-
dum ſe confert, & id poſtea conſtanter ab alijs exigit
2.Par.32. & conſequitur. Idem Ezechias, idem Ioſias, idem Rex Niniues præſtiterunt, & à ſubditis facilè impetrauerunt. Iudæi ergo videntes principem ſuum Mardochæum, ſacco indutum, plateas vrbis Suſan lamentis complere, facilè iudicant magnum periculum toti genti imminere, ſerioque ad Deum confugiendum, ni funditus deleri velint. Ideo omnes ſunt in luctu & plangore, omnes vociferantur ad Dominum, omnes dignis pœnitentiæ fructibus illum ſibi propitium, hoſtibus autem ſuis aduerſum reddere ſatagunt: emendationem vitæ repromittunt, & omni humilitate fideque precantur, ne populus ex quo naſciturus erat Saluator mundi, ſtirpitus euellatur & deſtruatur.

Quærit Rupertus, Cur tanta difficultas adeundi Re-
Rup l. 8. de vict. verbi c. 10. gem erat, vt afflictis *& ſacco indutis via ad aulam non pateret*? Reſpondet, primò ex nimia ambitione ac ſuperbia miſeræ vanitatis, vt ſic plus homine aliquid habere putaretur; nec vilior coram ſubditis fieret, ex vſu publicæ viſionis. Nam Iuſtinus ſcribit: A-
Iuſt. lib. 1. pud Perſas perſona Regis ſub ſpecie maieſtatis occu-
Ariſt. lib. de mundo. litur. Et Ariſtoteles interprete Apuleio: Nulli temerè noticiam oris ſui pandit. Ea verò lege (ſubijcit Rupertus) diabolus per Haman abuti voluit, vt dum ille accuſator tam familiaris Regi immineret, & ad excuſandum nulli aditus pateret, ad exorandum nullus acceſſus fieret, emuncta Regis ſententia curreret irreuocabilis; atque ita draconi illi deuorare liceret
Apoc. 12. non ſolum conceptum, verùm etiam totum corpus mulieris in vtero habentis, id eſt, vniuerſam gentem delere, penes quam erat promiſſa, quemadmodum
Eſther. 14. idem Mardochæus orans dicit: *Et nunc tua volunt mutare promiſſa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui.*

Perſpice

Perſpice interim quàm corrupta & deprauata ſint
omnia in aulis Regum ac principum huius mundi.
Illas Deus inſtituit, vt ſint refugia aſylaque miſero- *Rom. 13.*
rum & afflictorum: contra verò miſeri & afflicti *Sap. 6.*
tam procul arceantur ab illis, vt nec illas ingredi, nec
videri, nec audiri in eis poſſunt. *Mardochæus cum eiu-*
latu vſque ad fores palatij gradiebatur. Hîc ſiſtere gradum
coactus. *Non enim erat licitum, indutum ſacco aulam Regis*
intrare. Cauebatur ne Regibus innumeris voluptati-
bus immerſis, quicquam triſte occurreret, quod mo-
leſtiam adferret, aut ſtomachum moueret. Curia pau-
peribus clauſa eſt Pauper vbique iacet. Patet ganeo-
nibus, mimis, aſſentatoribus, blaſphemis, & cæte-
ris id genus impijs: ſeruis Dei afflictis & lugenti-
bus non eſt peruia. Moſes & Aaron Prophetæ ex au- *Exod. 3. 4. 5.*
la Pharaonis propelluntur, Iannes & Mambres ma-
gi in delitijs ibi ſunt. Miniſtri Baaliſmi comedunt de *3. Reg.*
menſa Iezabelis, Elias zelans cultum Dei fame con-
ficitur in deſertis. Procax ſaltatrix in Herodis pala- *Matth. 14.*
tio triumphat, Ioannes præcurſor Chriſti in vincu- *Mar. 6.*
lis gemit, & ſpiculatorem præſtolatur, &c.

Sed bene habet, quòd miſeris & afflictis via latiſ-
ſima patet, & locus ampliſſimus datur in aula cœ-
leſti, apud miſericordiſſimum patrem & omnipo-
tentem Dominum Deum noſtrum. Hos benignè in-
tuetur, his cælum aperit, hos clementiſſimè inuitat,
miſericordiſſimè ſuſcipit, & beneuolentiſſimè affa-
tur & conſolatur. *Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis,* *Pſalm. 49.*
eruam te, & honorificabis me. Venite ad me omnes qui labora *Matth. 11.*
tis, & onerati eſtis, & ego reficiā vos. Ergo ſaltem à modo vo- *Ierem. 3.*
ca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Paterno verè
animo aduentantibus pergit obuiam, amplexatur, & *Luc. 15.*
in priſtinam dignitatem lapſos reſtituit. Quinetiam
ouem aberrantem ſolicitè requirit, inuentamq; cum
gaudio proprijs humeris in caulam reportat. Quare
etiam ſi in luctu & calamitate excludamur ab aulis
Principum, bono animo eſſe oportet, quoniam nobis
orantibus & lugentibus pro certo patet aula cæleſtis. *Matth. 7.*
Pulſemus, aperietur nobis, &c. *Luc. 11.*

3\. *In omnibus quoque prouincijs, oppidis, ac locis, ad quæ crudele Regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus, & fletus, ſacco & cinere multis proſtratu vtentibus.*

HIc refertur quid Mardochęus ſuo exẽplo conſequutus ſit à gentilibus ſuis: videlicet vniuerſos illos permouit ad planctum, ieiunium, fletum, feruentes preces, & cætera veræ pœnitentiæ remedia, quibus ſibi apud Deum conſulerent. Omnes itaque ducis ſui exemplum ſequuti, conſcientiarum latebras excutiunt, de peccatis quorum ratione in tantam calamitatem incurrerant, ſeriò recogitant, iram Omnipotentis verentur, de ſceleribus admiſſis non tam ſuppliciorum terrore, quàm diuino amore dolent ex animis, ad illa nunquam ſeredituros ſanctè pollicentur, de illis dignos pœnitentiæ fructus pro virili producunt; denique diuinæ miſericordiæ ſupplicant, vt propter Meſſiam ex ſemine Abrahæ tandem aliquando venturum, Deus populo ſuo etiam hoc tempore & loco ſit propitius. Non dubium eſt, *Rupert. Lib. 8. de vict. ca. 13.* aît Rupertus, quin & ſi in proſperitate negligentiores erant, in aduerſitate fierent attenti ad illam ſpem: iamque illum aduenire deſiderarent, quem ſubuenire poſſe credebant, vtpotè, Regem magnum, dicente Moſe, Exodi cap. 4. *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es.*

Contemplare porrò mecum quanta commoda, quantosque fructus vna adferat calamitas. Vero ſimillimum eſt Iudæos conſpicientes Danielem & ſocios omnibus honoribus auctos ſub imperio Chaldæorum, nouiſſimè autem Eſtherem generis ſui fœminam ſummum gradum accepiſſe in Perſide, nimium exultaſſe rebus ita ſecundis: idcirco vt in officio continerentur, diſcerentque non altum ſapere, ſed timere, immiſſam fuiſſe iſtam calamitatem. Huius ergo potiſſima cauſa fuit, iuſtum Dei iudicium volentis ſuorum excitare nimiam ſecuritatem, in-

ſolentiam

ſolentiam compeſcere, & ſupplicia de peccatis eorum in præſenti ſumere, ne in æternum perirent. *Non ſaciam te in conſummationem*, ait Dominus, *ſed caſtigabo te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius*. Sequitur crucis vtilitas: *Caſtigaſti me, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus. Poſt quam conuertiſti me, egi pœnitentiam; & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & erubui, &c.* Et ſanctus Tobias in captiuitate poſitus ait: *Dominus caſtigáuit nòs propter iniquitates noſtras, & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam.* Itaque dum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. *Noli ergo negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Ierem. 30. Ierem. 31. Tob. 13. 1. Cor. 11. Heb. 12.

Inquiritur autem hoc loco, An Iudæi ſibi ipſis perſuaſerint externis his operibus ac ritibus, videlicet, ieiunijs, fletibus, cineribus, ſaccis, precibus, ac cilicijs, ſe expiare peccata ſua, iram Dei à ſuis capitibus auertere, mererique liberationem & gratiam eius? Reſponſio in promptu eſt, ſiquidem iſthæc ſine interna pœnitentia ſuperius admiſſorum peccatorum, melioris vitæ inſtitutione, fide & ſpe in venturum Semen Abrahæ, id eſt, Meſſiam, cuius ſolius meritis & interceſſione Deus Pater propitius eſt humano generi, peregerint & obſeruauerint; nihilo plus meruerunt quàm hypocritæ, illi, quibus dicitur; *Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Nunquid eſt tale ieiunium quod elegi? Per diem affligere hominem animam ſuam? Nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere?* Et iterum. *Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: & ſi obtulerint holocauſtomata & victimas, non ſuſcipiam eas.* Deniq; nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, qui exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes, quoniam receperunt mercedem ſuam. Paria etenim etiam impij palamq; ſcelerati nonnunquam præſtiterunt, veluti Ieſraëlitæ falſum teſtimonium laturi contra Naboth; Phariſæi, & hi qui iuramento ſeipſos aſtrinxerunt, non manducaturos, Iſa. 58. Ierem. 14. Matth. 6. 3. Reg. 21. Act. 23.

neque bibituros, donec Paulum occiderent. Habuerunt etiam Encratitæ, & Montaniſtæ, & Manichæi ſuperſtitioſa ieiunia ſua, quæ meritò reprobauit Eccleſia Catholica: ſicut & Turcarum atque Ethnicorum.

Sin verò, vt eſt omnino probabile, agnitis damnatiſque ſuperioris æui delictis, ſeriaque cordis pœnitudine ducti, fide ſpeque in futurum Semen mulieris collocata, Deum Patrem per ipſum inuocauerint auxiliatorem & vindicem; planum ac certum eſt, illum lacrymas, preces, ieiuniaque eorum miſericordiæ oculis conſpexiſſe, grataque habuiſſe, ac etiamnum propter hæc totum populum à præſenti internecione liberaſſe. *Vidit enim opera Niniuitarum, his ſimilia, & miſertus eſt ſuper malitia quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Vidit Achab impijſſimum alioqui tyrannum, humiliatum in cilicio, cinere, ac ieiunio, & non induxit in eum malum quod loquutus fuerat aduerſus eum. Quanto magis ergo horum (de quibus agimus) aſpexit ieiunia, lacrymas, & alios pœnitentiæ fructus, eiſque propterea placatus eſt? Promiſit enim, *Si pœnitentiam egerit gens à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui facere ei.* Præcepit autem, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Sequitur paulò pòſt. *Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo.* Chriſtus palam docet Patrem ſuum redditurum eſſe mercedem piorum ieiunijs: Apoſtolos ſuos ieiunaturos poſtquam ablatus foret ab eis ſponſus, & per eadem peſſimum genus dæmoniorum expelli: quibus confirmat ieiunia à nobis exigi, eadem Deo Patri accepta, mercede digna, & ad plurima conducere: quicquid aduerſus iſta blatterent hæretici: Vnius tantum & alterius Patris ſententias ſubijcio. Ieiunium (ait Auguſt.) purgat mentem, carnem Spiritui ſubijcit, cor facit contritum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis lumen accendit. Et Ambroſius: Ieiunium, ait,

Ionæ 3. *3. Reg. 21.* *Ierem. 18.* *Ioel. 2.* *Matth. 6. 9. 17.*

ait,eſt mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis. Hoc gradu ad Deum citius peruenit, hoc gradu antequam curru Helias aſcendit. Diſputationem iſtam claudat Bernardus his ſuis verbis: Bonum eſt & ſalutare ieiunium, quo redimuntur æterna ſupplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non ſolùm autem abolitio eſt peccatorum, ſed & extirpatio vitiorum: non ſolùm obtinet veniam, ſed meretur gratiam, non ſolùm delet peccata præterita, quæ commiſimus, ſed & repellit futura, quæ committere poteramus.

Amb. lib de Helia & ieiunio.

Bern. ſer. 4. de Quadrageſima.

4. *Ingreſſæ ſunt autem puellæ Eſther & eunuchi, nuntiaueruntq; ei. Quod audiens conſternata eſt: & veſtem miſit, vt ablato ſacco, indueret eam: quam accipere noluit.*

HIs author narrare incipit, quid à Regina ſuis clamoribus & pœnitentiæ operibus conſequutus ſit Mardochæus: nimirum reſciuit ipſa per internuntia puellarum ac eunuchorum ſibi miniſtrantium, Iudæos omnes eſſe in lamentis & planctibus, Mardochæum præſertim veſtes diſcerpſiſſe, ſaccum induiſſe, puluereque in caput aſperſo, per mediam vrbem magnos, triſteſque clamores etiam tunc edere, & vſque ad regiæ portæ conſpectum procedere. His acceptis, animo conſternatur, prudenter exiſtimans res totius gentis ſuæ peſſimo in loco eſſe. In primis autem Mardochæo parenti ac nutritori ſuo proſpicit, miſſa ad illum honeſta veſte, vt vel ſic indutus in aulam penetret; vel ad eam decentius accedat. Ille perſeuerandum adhuc in luctu & pœnitentia iudicans, veſtem noluit admittere.

Primò autem ex his aduerte Eſtheris pudicitiam & modeſtiam. Domi etenim adeo ſe continebat in conclaui, intenta pietati & temperantiæ, aliiſque piæ matronæ operibus, vt nec publicis regni negotiis ſeipſam intricaret; nec quid in vrbe, aut populo, ſenatu, conciliove ageretur agnoſceret, niſi famulis ac ancillis demum renunciantibus. Igitur nec ſemper pro-

ſpectabat de feneſtra, nec ſeſe oſtentabat in ſpectaculis, nec in publicum frequentius prodibat, vt procaces minuſq; pudicæ ſolent, tum vt ſpectent, tũ vt ſpectentur & ipſæ. Siquidem impudicam mulierem Salomon
Prou. 7. his coloribus depingit: *Occurrit iuueni ornatu meretricio, præparata ad decipiēdas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris,*
2. Reg. 11. *nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians.* Si Bethſabea,
Gen. 34. Dina, Suſanna in ædium ſuarum penetralibus abditæ
Dan. 13. ſeipſas continuiſſent, nunquam tot cædium & publicarum calamitatum occaſiones dediſſent. Prohi-
1. Tim. 5. bet autem Apoſtolus honeſtas fœminas, otioſas circuire domos, ſimulque verboſas eſſe, ac curioſas, &
Tit. 2. loquentes quæ non oportet. Contrà verò iubet eas eſſe prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſobrias, ſubditas viris ſuis, &c. Anna
Luc. 2. propheteſſa non recedebat de templo, ieiunijs & orationibus vacans die ac nocte. Beata Iudith fecerat ſibi ſecretum cubiculum in ſuperiori parte domus
Iudith. 8. ſuæ, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, in-
Tertull. lib. de cultu fæmin. cap. 7. duta cilicio, continuò ieiunans & orans. Tertullianus ſcribit, Nullam eſſe fœminis caſtis cauſam foras procedendi nõ tetricam. Aut enim imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus, aut ſacrificium offertur, aut Dei verbum adminiſtratur. Quoduis horum aut ſanctitatis, aut grauitatis negotium.

Attende etiam in puellis ac eunuchis iſtis, fidelium ſeruorum & famularum erga heros heraſque officia. Hi perſuaſi Mardochæum cum Eſthere ſanguine iunctum, & charum eſſe, ei maturè ſignificant illum in magno luctu verſari, nihil de ſuo addunt, nihil detrahunt, rem ſimpliciter & candidè narrant, vt ipſa ſecum animo reputet rem ſeriò agi, & parentem cariſſimum grauiter affligi. Ita decet pios ſeruos ſi quid magni momenti acciderit, quod dominos ſuos ſcire referat, illos maturè commonefacere. Fa-
4. Reg. 5. mula Naamã dominam ſuam vxorem eius ſalubriter monuit de potentia Dei Hebræorum, & Prophetæ illius Eliſæi virtute in curanda illius lepra. Serui quoq;
4. Reg. 5. eiuſdem tempeſtiuè herum hortati ſunt, vt mandatis

viri Dei obtemperaret. Hinc Sapiens: *Seruo ſenſato libe-* *Eccli.10.*
ri ſeruient. Et rurſum. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi tan-* *Eccl. 33.*
quam anima tua. Angelus monuit Agarem, vt redi- *Gen. 16.*
ret ad dominam ſuam Saram, & ſub manu eius ſe
humiliaret. dixerunt ſerui regis Dauid ad eum: *Om-*
nia quæcunq; præceperit Dominus noſter Rex, libenter exe- *2.Reg.15.*
quentur ſerui tui, &c. Reliqua ſeruorum officia alibi re-
cenſuimus.

Expende inſuper inſignem ſanctæ Eſtheris pieta- *Com. in Epiſt.*
tem & humanitatem. Sublimata in regiam dignita- *ad Philem.*
tem, iſta ſua poteſtate non inſoleſcit, aut honore tu-
met: vt vel Mardochæi miſerrimè lugentis & affli-
cti pudeat, vel oppreſſos populares ſuos aſpernetur.
Non in has impiorum voces erumpit: Quocunque
res cadant, ego in portu nauigo. Res meę in tuto ſunt,
ille ſuarum ſatagat ſi velit, aut valeat. Sed mira com-
paſſione cum ipſo (etiam ſi adhuc rationem ignoret)
dolet, luget, exhorreſcit, animoque conſternatur. Re- *Euripides in*
ctè profectò illos non re, ſed nomine ſolo amicos *Oreſte.*
eſſe iudicauit poëta, qui rebus afflictis non præſtant
amicorum officia. Et idem rurſum ſcribit: Ἐν τοῖς *In Hecuba.*
κακοῖς γὰρ οἱ ἀγαθοὶ σαφέςατοι φίλοι τὰ χρηςὰ δ' αὔθ' ἕκας'
ἔχει φίλους. In aduerſis qui ſint boni patent maximè a-
mici: ſed ſors habet vndecunque amicos proſpe-
ra.

Eſther ergo ſuũ patruelem, quantumuis annoſum,
pannoſum, ac diuinæ legis ac religionis ergô odio *Rom. 12.*
mundi expoſitum, negligere non poteſt. Didicit à Spi
ritu diuino flere cum flente, lugere cum lugente. Bea- *Gen. 47.*
tum Ioſeph imitatur, qui fratres ſuos exules, egen-
tes, afflictos domi excipit, fouet, conſolatur. Pari pie-
tate motus Moyſes Pharaonis aulam reliquit, vt fra- *Exod. 2.*
tres ſuos inuiſeret atq; iuuaret: deniq; *negauit ſe eſſe fi-* *Heb. 11.*
lium filiæ Pharaonis, malens affligi cũ populo Dei, quàm tem-
poralis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias theſau-
ro Aegyptiorum æſtimans improperium Chriſti. Qui & ipſe
iam immortalis, mortis & inferorum triumphator,
pauperculos piſcatores diſcipulos ſuos non deſpe- *Ioan. 20.*
xit: ſed frequenter viſit, & donis ſuis auxit. Deus quo- *Luc. 24.*
que optimus & maximus nos terræ vermiculos, &

plurimis

plurimis grauiſſimisq́ue peccatis contaminatos non aſpernatur. Ter quaterq́; miſeri filij hominum, qui ſi aliquando ex humili loco ad aliquem dignitatis gradum aſcenderint, intolerâbili arrogantia tument, & pauperculos affines faſtidiunt, &c.

Veſtem porrò ad ſe miſſâm *induere noluit Mardochæus*, & ſaccum, cineremq́; ponere renuit, quia luctum ſciebat nondum eſſe relinquendum; ſed in pœnitentiæ fructibus perſeuerandum, quamdiu periculum vrgeret. Nouerat Deo gratiſſimam eſſe ſanctam illam im-
Luc. 11. portunitatem, qua pâuperes & afflicti ad ianuam eius miſericordiæ tamdiu pulſant, donec aperiat; tantiſper quærunt, donec inueniant; & orant con-
Geneſ. 32. tinuò, donec exaudiantur. *Non dimittam te*, inquie-
Oſee 12. bat ad angelum colluctatorem ſuum Iacob, *niſi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco*. Et Sunamitis
4. *Reg.* 4. ad Eliſeum: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te*, videlicet, donec filium meum à morte ex-
Matth. 15. citaueris. Beata Chananæa perſeuerans in precibus, quodcunque voluit, à Chriſto obtinuit. Qui & propoſita parabola Iudicis, qui nec Deum timebat, nec homines verebatur, quem ſancta pertinâcia quædam vidua permouit, hortans perſeuerandum in precibus
Luc. 18. adijcit. *Sic oportet ſemper orare, & nunquam deficere*. Sint
Pſal. 122. ergo oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, do-
Bern. epiſt. ad nec miſereatur noſtri. Hinc Bernardus: Perſeuerantia
Genuenſes. ſola virtutum coronatur. Sola meretur iuſtis gloriam, coronam virtutibus. Sine hac, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Hæc vigor virium, virtutum conſummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. &c.

Sed quid ad hæc Regina?

5. Accitoq́;

5. *Accitoq́; Athach eunucho, quem Rex ei miniſtrum dederat, præcepit ei vt iret ad Mardochæum, & diſceret ab eo cur hoc faceret.*

6. *Egreſſusq́ue Athach iuit ad Mardochæum ſtantem in platea ciuitatis, ante oſtium Palatij.*

7. *Qui indicauit ei omnia quæ acciderant, quomodo Haman promiſiſſet, vt in theſauros Regis pro Iudæorum nece inferret argentum.*

8. *Exemplar quoque edicti quod pendebat in Suſan, dedit ei, vt Reginæ oſtenderet, & moneret eam, vt intraret ad Regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo.*

HAC ſecunda parte capitis deſcribitur, quomodo id quod decretum fuerat contra populum Dei, Reginæ innotuerit. Grauiter enim commota ſuper calamitate Mardochæi, mittit ad eum fidiſſimum ex miniſtris ſibi ab Imperatore & marito in obſequium datis; qui reſciſcat, quid ſibi velit veſtitus ille lugubris, cuius rei cauſſa eum induiſſet, qua de re vociferaretur in platea, aulam regiam pro more non intraret, demum, cur veſtem ad ſe miſſam induere noluiſſet: horumq́ue omnium rationem ad ſe fideliter referret: Mardochæus periculum ſuum & totius populi impendentem ruinam illi exponit, & pecuniæ ſummam, quam ſe ſoluturum Haman receperat, dum modò perderentur Iudæi. Denique crudelis edicti, quod in Suſis affixum pendebat, exemplar in totius rei fidem tranſmittit: hortaturq́ue vt Regem adiens, rebus populi ſui periclitantibus pro viribus opituletur.

Vide autem in his eximiam Eſtheris prudentiam. Tametſi enim ſeruos & puellas vera narraſſe putet; vult tamen de iiſdem rebus certior fieri, cauſſasq́ue calamitatis diligentius noſſe, idq́ue proprio ipſius parentis ſui Mardochæi ſermone; ne fortaſſis quicquam de ſuo ſerui addidiſſent, aut confinxiſſent. Docet itaque ex-

que exemplo ſuo non eſſe temerè cuiuis credendum, etiam ſi ſeruus, ſi filius, ſi frater fuerit: præſertim in rebus grauioris momenti, & quæ rumoribus vulgi hinc inde feruntur. Nam fama mobilitate viget, vireſque acquirit eundo. Eademque veris addere falſa gaudet, & è minimo ſua per mendacia creſcit. Ait quoq;
Eccli.19. Sapiens: *Qui citò credit, leuis eſt corde, & minorabitur.* Dauid pluſquam decuit credulus criminationibus Sibæ
2 Reg.16. ſerui Miphiboſeth, quibus herum ſuum falsò traduxit, non ſine iniuria cunctis agris & poſſeſſionibus ſuis illum ſpoliauit. Iſraelitæ etiam temerè fidem ad-
Dan.13. hibentes duobus ſenioribus iudicibus, Suſannam innocentem, velut turpiſſimi adulterij ream, ad locum ſupplicij lapidibus obruendam duxerunt. Et quid non incommodi accidet, ſi aurem fidemque cuilibet delatori præbueris?

Intuere quoque excellentem illius in ſummis honoribus animi moderationem. Non iraſcitur ob remiſſam ad ſe veſtem; non excandeſcit aut vociferatur eum omni fauore indignum, quòd Imperatricis munus contempſerit: non clamat eum hominem eſſe nimis moroſum, qui pacem ac delitias ſuas interturbet: ſed omnia in meliorem partem capiens, ingenti calamitati & triſtitiæ illud imputat, cuius cauſ-
1.Cor.13. ſas & rationes compatiendo perquirit. Sic *charitas patiens eſt, benigna eſt, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet.* Contra verò nunc vniuerſa fiunt. Leuiſſima de cauſſa indignantur, frendent, furuntque Principes ac nobiles à
2.Reg.10. ruſticis interpellati: & ſicut Hanon rex Ammonitarum legatos Dauidis ad ſe pia intentione miſſos, omni dedecore affecit, tametſi non impunè: ſic & iſti omnia in malam partem rapiunt ac interpretantur. A præconibus diuini verbi vel etiam leuiſſimè de manifeſtis cædibus, blaſphemijs, & rapinis admoniti; impotenti animo excandeſcunt, & læſæ maieſtatis eos accuſant & damnant. Populi diuini calamitatibus nihil mouentur, dummodo ipſi rerum omnium copia affluant, & ſuis honoribus perfruantur. Opem eorum implorantes, aut verbis eludunt,

dunt, aut conuitijs inceſſunt, ne quid in eos beneficij collocent. Sic iuxta CHRISTI de nouiſſimis diebus vaticinium, *abundat malitia, & frigeſcit charitas multorum*. Aut pauci, aut nulli Philemones, quorum beneficijs viſcera ſanctorum pro Christo agonizantium refocillentur. *Matth. 24.* *Epiſt. ad Philem. verſ. 7.*

Perſpice rurſus ſancti Mardochæi ſummam pro ſalute populi diuini diligentiam, qua nihil intentatum reliquit, nihil prætermittit eorum, quæ ad eius aſſertionem facere poterant. Veſtes lugubres, cineremque prius aſſumpſerat, nec ponere voluerat vt in pretioſa veſte aulam penetraret, vniuerſos clamore & exemplo ad pœnitentiæ fructus inuitârat: nunc Reginæ omnia exponit per circunſtantias ne quid ignoret, hoſtem Eccleſiæ nominat, fraudes eius aperit, mittit exemplar crudelis edicti, vt legens cognoſcat gentis ſuæ periculum; cauſam reijcit in Hamanis auaritiam vt cauſam Iudæorum magis fauorabilem reddat, monet denique de promerendo fauore Regis contra tam immanes feroſque Hamanis conatus. Quid vlterius facere potuiſſet? Hæc porrò ideo Spiritus ſanctus voluit in ſacris referri, proponi, & prædicari, vt diſcerent omnes, vniuerſa ſtudia & conſilia ſua impendere Eccleſiæ conſeruationi & defenſioni, quando ab impijs affligitur & impugnatur; quandoquidem ſeruari nequeant, niſi ipſa ſeruetur; & Deum non ſint habituri patrem, ni hanc prædilectam matrem habuerint, & obſeruauerint. Debent ei paſtores & doctores cum virtute & conſtantia doctrinam ſanam, conſolationem, & contrariorum dogmatum redargutionem. *Prædica verbum*, inquit Apoſtolus, *inſta oportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et paulò poſt nomine Timothæi cunctos paſtores ſic de officijs ſuis commonefacit: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple*. Coarguuntur à Deo per Prophetas canes muti, non valentes latrare; & ſpeculatores hi qui gladium aduenientem cernentes, non cecinerint buccina vt *Cypri.* *Aug. l. de vnit. Eccleſ.* *1. Tim. 3.* *Tit. 1.* *2. Tim. 4.* *Iſaiæ 56.* *Ezech. 3. & 33.*

popu-

Iſaiæ 49. populus ſibi caueat. Debent Reges eſſe huius nutricij,
2.Reg. 3. & Reginæ nutrices. *Tu paſces*, inquit Dominus ad Da-
*Rom.*13. uid, *populum meum. Seruite Domino in timore.* Debent ma giſtratus vti legibus & gladijs ſibi conceſſis ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. Debet populus preces, zelum, obedientiam: & vt paucis finiam, debent omnes quicquid poſſunt & valent, tanquam communi omnium electorum parenti. Vtinam, iterum autem vtinam, diligentius à cunctis ordinibus hæc hodie conſiderarentur, &c.

Mardochæus etiam admonens Eſtherem, *vt intraret ad Regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo*, ſatis eſt ē-dit Reginarum, heroidum, matronarum, atque etiam quarumlibet mulierculararum, & puellarum referre, quod Eccleſia ſancta Catholica & Apoſtolica proſperè agat, quòd ſint docti & pij prædicatores verbi diuini, quod ſacramenta miniſtrentur, quod fides &
*Ioan.*10. religio ſuper terram refulgeat. Nam & ipſæ pertinent ad gregem ouium dominicarum, ideoque vocem paſtoris eas audire neceſſe eſt. Suntque membra corporis Chriſti, iccirco ſollicitę debent eſſe vt bene habeat. Proderunt autem Eccleſiæ, ardentibus votis & precibus inprimis apud Deum, angelos, & omnes beatos ſpiritus, quibus curæ eſt fratrum ſuorum: deinde apud maritos, patres, fratres, cognatos, liberos, & quoſcunque alios poterunt monere, rogare, incitare, impellere, vt cauſam illius pro viribus iuuent atque tueantur.
Gen 18. antur. Sara cooperata eſt viro ſuo Abrahæ in ſuſcipi-
*1.Tim.*5. endis peregrinis: Horum pedes lauabant temporibus
*3.Reg.*17. Apoſtolorum piæ viduæ. Heliam atque Eliſeum Di-
*4.Reg.*4. uinæ legis præcones, domibus aliæ exceperunt, & fa-
1.Reg 19. cultatibus ſuis humaniſſimè fouerũt, & aluerunt. Michol Dauidem virum ſuum, Synagogæ maximũ Prophetam & doctorem, ab infeſti patris & regis ſatellitibus omni ope & artificio ſeruauit. Chriſtus iter fa-
Lucæ 8. ciens per ciuitates & caſtella Galilææ, euangelizans verbum Dei, & duodecim cum illo, nutriebatur facul tatibus Magdalenæ, Ioannę, Suſannæ, & aliquot aliarum illuſtrium fœminarum, quæ illum comitabantur.
*4.Reg.*5. tur. Ancillula Naamanis, heri ſui ac totius eius am-

pliſſimæ

pliſſimæ familiæ ſalutem procurauit. Opera vnius mulierculæ, Samaritanorum magna pars in Chriſtũ credidit. Marthæ & Magdalenes priuatis hortationibus, exemplis, & miraculis, primùm Maſſilienſes, deinde Arelatenſes, & tota illa ora Prouinciæ & Aquitaniæ, Euangelium ſalutis amplexata eſt. Nicephorus recitat Iberos, Georgianos, & alios aliquot ſeptemtrionis populos, opera mulierculæ Chriſtianę, inter hos captiuæ, ad Chriſti agnitionem viamq́ue ſalutis perductos fuiſſe. Quot teneræ puellæ, quot conſtantes viragines fortiſſimo martyrio ſuo populum Chriſtianum auxerunt, confirmauerunt, illuſtrauerunt? Iſthæc ſecum animis perpendant piæ fœminæ, & fidem religionemq́ue Catholicam pro ſua conditione & ſorte promoueant & conſeruent; ſecuræ quod glorioſa merces repoſita eſt illis apud Dominum, cum Thecla, Agatha, Agnete, Cecilia, Catharina &c.

Ioan.4. *Niceph. li 8. cap.34.* *Metaphr.* *Euſeb.* *Niceph.* *Martyrologia.*

9. *Regreſſus Athach nuntiauit Eſther omnia, quæ Mardochæus dixerat.*

10. *Quæ reſpondit ei, & iuſſit vt diceret Mardochæo.*

11. *Omnes ſerui Regis, & cuncta quæ ſub ditione eius ſunt, norunt prouinciæ, quòd ſiue vir, ſiue mulier non vocatus, interius atrium Regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur: niſi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit viuere.*

12. *Ego igitur quomodo ad Regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non ſum vocata ad eum?*

ATHACH fidiſſimi internuntij officio perfungitur, bonaq́ue fide exponit Eſtheri mandata Mardochæi, viciſſimq́ue refert reſponſionem dominæ ſuæ eidem Mardochæo. Summa reſponſionis eſt, modeſta, & ex candido animo profecta excuſatio de profectione ad Regem, duplici ob-

ſtante ratione. Priore, quòd lege Perſarum omnibus peruulgata, ſub capitis diſcrimine vetitum ſit, ne quis non vocatus nominatim Regem adeat, poſteriore, quòd iam triginta diebus non fuerit ab illo acterſita, ideoque neſciat an apud illum in gratia ſit, vel odio. Verendum ergo ne ſi ad ipſum non vocata irruperit, capitis periculum incurrat, cùm alijs conſulere tentauerit. Recenti memoria tenebat Vaſthin ob culpam non ita grandem gradu excidiſſe, quod non parum timoris incutiebat. Deníque Perſas & Medos in more habuiſſe, ne ſemel decreta, præſertim nomine ſignaculoque Regis confirmata, reſcinderent. Simplici itaque & fideli animo quærit à Mardochæo, vt hæc diligenter expendat; ſimulque pro ſua prudentia & ſagacitate conſulat, quid in tam arcto diſcrimine ſit agendum.

Sed vnde lex iſta Perſarum & Medorum? Doctor Lyranus ſcribit Hamanem illam procuraſſe poſt decretum aduerſus Iudæos, ne quis interueniens illud impediret. Hanc ſententiam paulò ſupra confirmauimus authoritate & verbis doctiſſimi viri D. Ruperti. Imitatus ergo impios illos ſatrapas, qui vt perderent Danielem extorſerant à Dario legem, ne quis intra dies triginta quicquam peteret ab aliquo Deo aut homine, niſi ſolùm à Rege, aliàs mitteretur in lacum leonum: & ipſe prauo malignoq; conſilio ſuo potuit ab incauto Rege hanc extorquere. Nec huic ſententiæ aduerſatur illud, *Omnes ſerui Regis, & cunctæ prouinciæ nôrunt*, &c. quoniam eadem diligentia & ſtudio quo impium decretum perlatum eſt vbique, potuit & perferri eadem lex. Ex hoc autem conſpicimus quàm vigiles ac ſoliciti, quamque ardentes ſint hoſtes diuinæ Eccleſiæ, vt eius filios affligant & diſperdant, inſpirante eis proculdubio Satana aliquid de ſuo furore & implacabili rabie aduerſus Sanctos, vt patet exemplis Saulis, & Iudæ proditoris. Eſt enim inimicus ille, qui dormiente patrefamilias, ſuperſeminat zizania in medio puri tritici. Eiuſdem ſerpentis calliditate inſtructi *filij huius ſeculi, prudentiores dicuntur filijs lucis in generatione ſua.* Circuit terram, & perambulat

Supr. ver. 2.
Dan. 6.
1. Reg 16.
Matth. 26.
Lucæ 22.
Matth. 13.
Luc. 16.

ambulat eam, *tanquam leo rugiens quærens quem deuoret*, *Geneſ.3.*
& ſuos emiſſarios excitans, accendens, impellensque *Iob 1.*
ad omne ſcelus audacter perpetrandum. Et vt ait Poë- *1.Petr.5.*
ta: Audax omnia perpeti gens humana, ruit per veti- *Horat. ode 3.*
tum nefas.

Non iuerim tamen inficias Medos & Perſas ſuos Reges tanquam aliquod ſacrum myſterium ferè ſemper occuluiſſe, tum ad ſeruandam & augendam maieſtatem & authoritatem regiam, tum vt illorum vitæ & ſaluti proſpicerent. Nam vt nimia familiaritas parit contemptum, ſic & multorum inſidijs teliſque patebunt Reges, ſi quoſuis ſine delectu admiſerint. Conſtat ex hiſtorijs nonnullos ſimulantes negotia quædam ſibi eſſe cum Regibus tractanda, qui hac fallacia illos peremerunt. Aod fingens ſe verbum *Iudic.3.*
Domini dicturum Egloni Moabitarum regi, adacto
in eius ventrem pugione ipſum interfecit. Iſmael fi- *Ierem. 41.*
lius Nathaniæ Godoliam, quem præfecerat terræ
Iudæorum Rex Babylonis, ficta cum illo amicitia,
ferro tranſuerberauit. Rechab & Baana admiſſi in cu- *2.Reg.4.*
biculum Isboſeth filij Saulis, caput ſuper lectulum
dormienti præciderunt. Iudith ſimulans dormituram *Iudith.13.*
ſe cum Holoferne, reſectum à corpore caput eius in Bethuliam retulit. Notiores ſunt recentes hiſtoriæ, quàm vt hîc eas producam. Ex quibus manifeſtum eſt, ſortem Principum & tyrannorum huius ſeculi pluſquam miſeram & infelicem eſſe: nunquam ſunt ſecuri, nemini confidunt, omnes ſuſpectos habent; frequenterque tot carnificibus vitam ſuam exponunt, quot ſatellitibus ſtipantur. Teſtes ſunt plurimi Reges Iſraelis & Imperatores Romani, qui ab his trucidati fuerunt, quos corporum ſuorum cuſtodes adhibuerant. Teſtis apud Tullium & Euſebium Dio- *Li.8 præp. E-*
nyſius Siculus, cui & propria coniunx, & filiæ peni- *uang. cap. 5.*
tus ſuſpectæ fuerunt. Qui alios terret, plus ipſe timet, ſors iſta tyrannis, vt muniti gladijs viuant, cinctique venenis.

Nec tamen prætereundum ſilentio iſtam Perſicorum regum conſuetudinem, qua ſic difficiles acceſſu

reddebantur, non ſolùm legitimæ Regum ordinationi, quæ in ſacris legitur, omnino contrariam fuiſſe: verùm etiam à prophanis authoribus veluti barbaram, nimiſque faſtuoſam, reprehenſam & damnatam. Siquidem Xenophon hunc morem comparans cum Ageſilai imperatoris Græcorum moderatione ac temperãtia, ſcribit. Rex Perſarum grauitatem quærebat ex eo, quòd rarò conſpiceretur. Ageſilaus eo ipſo delectabatur, quòd ſemper hominum in conſpectu verſaretur. Exiſtimabat enim decere vitam facinoroſam ac turpem vt in obſcuro ſit: honeſtæ verò lucem ipſam maius ornamentum conciliare. Deinde grauitatem ille præ ſe ferebat ex eo, quòd difficilis ad ipſum acceſſus eſſet: hic gaudebat omnibus aditum ad ſe patere. Putabat ille ſplendidum eſſe, quòd negotia tardius conficeret: hic maximè tum lætabatur, cùm homines id quod cupiebant celerrimè conſequutos dimitteret. Hactenus ille. Plutarchus etiam refert vetulam quandam aliquando Philippum Macedoniæ regem ſummopere rogaſſe, vt ſe benignè audiret. Qui cùm reſpondiſſet, ſibi tunc per otium non licere, intulit illa: Ergo nec imperare debes. Id tantum apud illum valuit, vt non vetulam ſolùm, ſed omnes benigniſſimè poſtmodum audierit. Traditur quoque Traianum interpellatum à vidua, vt ei de vnico filio iniuſtè perempto ius redderet, reſpondiſſe, Vbi rediero (nam ad bellum properabat) cauſam tuam cognoſcam Subiecit illa, Et ſi nunquam redieris, quis mihi ius dicet? Quod ſic animum eius affecit, vt ex loco pedem non mouerit, donec viduæ plenè factum ſit ſatis. Referunt præterea Demetrium eo potiſſimum animos Macedonum à ſe alienaſſe, quòd multorum ſupplices libellos, ipſis ſpectantibus, in profluentem abieciſſet.

Xen. orat. de Ageſilao rege.

Plutarch.

Diuina porrò lex docet Regum officium eſſe, cauſas pauperum noſſe, affectos iniuria vindicare, & oppreſſos citra omnem perſonarum reſpectum tueri, & aſſerere. Quomodo verò his dabunt operam, ſi nullus ád ipſos miſeris aditus patet? Hinc beatus Aſaph canit: *Dominus elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus*

Pſal. 77.

gibus ouium, vt paſceret Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam. Alibi etiam maximi & optimi regis Meſſiæ officia, per regnum Salomonis ita deſcribuntur. *Iudicare populum in iuſtitia, & pauperes in iudicio. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Pſalm. 71. Dauid Thecuanam fœminam oratione figurata reuocationem Abſalonis ſuadentem attentè audiuit. 2 Reg.14. Salomon duarum meretricum de oppreſſo alterius earum filiolo, etiam cum mutuis probris litigantium, querelas mira patientia auſcultauit, & ſapienter diremit. 3.Reg.3. Et Chriſtus rex regum Apoſtolos de primatu certantes compeſcuit. Matt. 18.20. Luc.22. Incredibile enim dictu eſt, quantum mali dent Principes, cùm rerum omnium adminiſtrationem in cõſiliarios ſuos reijciunt; præſertim ſi à talibus poſſideantur, qualis fuit Haman. Nullus de officiariorum ſuorum infidelitate, rapinis, oppreſſionibuſque illos admonet: nullus de miſerijs & calamitatibus populi commonefacit: nullus afflictis ſuccurrere poteſt. Contra verò ipſi aures Principum implent calumnijs, oculos faſcinant præſtigijs, corda deliniunt voluptatibus, animos corrumpunt aſſentationibus, & non rarò contra inſontes exaſperant. Tum impletur quod ait Propheta: *Principes tui infideles, ſocij furum, diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Iſaiæ 1. Et rurſus: *Stulti facti ſunt Principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens; deceperunt Aegyptum angulum populorum.* Iſaiæ 19. Et alius: *Principes eius quaſi lupi rapientes prædam: ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra.* Ezech.22.

Eſther porrò excuſatione ſua demonſtrat etiam iuſtos & ſanctos Dei ſeruos in periculis ſubeundis trepidare, terreri, carne crucem exhorrere, & officia frequenter detrectare, quorum exercitio mortis imminent ſupplicia. Moſes mittendus ad Pharaonem legationem refugit, dicens: *Non ſum eloquens &c. Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem? Obſecro, mitte quem miſſurus es.* Exod.3. Et Ieremias munus prophetandi in tempore exulceratiſſimo deprecatus eſt his verbis: *A, A, A,* Ierem.1.

neque bibituros, donec Paulum occiderent. Habuerunt etiam Encratitæ, & Montaniſtæ, & Manichæi ſuperſtitioſa ieiunia ſua, quæ meritò reprobauit Eccleſia Catholica: ſicut & Turcarum atque Ethnicorum.

Sin verò, vt eſt omnino probabile, agnitis damnatiſque ſuperioris æui delictis, ſeriaque cordis pœnitudine ducti, fide ſpeque in futurum Semen mulieris collocata, Deum Patrem per ipſum inuocauerint auxiliatorem & vindicem; planum ac certum eſt, illum lacrymas, preces, ieiuniaque eorum miſericordiæ oculis conſpexiſſe, grataque habuiſſe, ac etiamnum propter hæc totum populum à præſenti internecione liberaſſe. *Vidit enim opera Niniuitarum, his ſimilia, & miſertus eſt ſuper malitia quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Vidit Achab impiiſſimum alioqui tyrannum, humiliatum in cilicio, cínere, ac ieiunio, & non induxit in eum malum quod loquutus fuerat aduerſus eum. Quanto magis ergo horum (de quibus agimus) aſpexit ieiunia, lacrymas, & alios pœnitentiæ fructus, eiſque propterea placatus eſt? Promiſit enim, *Si pœnitentiam egerit gens à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui facere ei.* Præcepit autem, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Sequitur paulò pòſt. *Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo.* Chriſtus palam docet Patrem ſuum redditurum eſſe mercedem piorum ieiunijs: Apoſtolos ſuos ieiunaturos poſtquam ablatus foret ab eis ſponſus, & per eadem peſſimum genus dæmoniorum expelli: quibus confirmat ieiunia à nobis exigi, eadem Deo Patri accepta, mercede digna, & ad plurima conducere: quicquid aduerſus iſta blatterent hæretici: Vnius tantum & alterius Patris ſententias ſubijcio. Ieiunium (ait Auguſt.) purgat mentem, carnem Spiritui ſubijcit, cor facit contritum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis lumen accendit. Et Ambroſius: Ieiunium, ait,

Ionæ 3. *3. Reg. 21.* *Ierem. 18.* Ioel. 2. *Matth. 6. 9. 17.*

ait, eſt mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis. Hoc gradu ad Deum citius peruenit, hoc gradu antequam curru Helias aſcendit. Diſputationem iſtam claudat Bernardus his ſuis verbis: Bonum eſt & ſalutare ieiunium, quo redimuntur æterna ſupplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non ſolùm autem abolitio eſt peccatorum, ſed & extirpatio vitiorum: non ſolùm obtinet veniam, ſed meretur gratiam, non ſolùm delet peccata præterita, quæ commiſimus, ſed & repellit futura, quæ committere poteramus.

Amb. lib de Helia & ieiunio.

Bern. ſer. 4. de Quadrageſima.

4. *Ingreſſæ ſunt autem puellæ Eſther & eunuchi, nuntiaueruntq; ei. Quod audiens conſternata eſt: & veſtem miſit, vt ablato ſacco, indueret eam: quam accipere noluit.*

HIs author narrare incipit, quid à Regina ſuis clamoribus & pœnitentiæ operibus conſequutus ſit Mardochæus: nimirum reſciuit ipſa per internuntia puellarum ac eunuchorum ſibi miniſtrantium, Iudæos omnes eſſe in lamentis & planctibus, Mardochæum præſertim veſtes diſcerpſiſſe, ſaccum induiſſe, puluereque in caput aſperſo, per mediam vrbem magnos, triſteſque clamores etiam tunc edere, & vſque ad regiæ portæ conſpectum procedere. His acceptis, animo conſternatur, prudenter exiſtimans res totius gentis ſuæ peſſimo in loco eſſe. In primis autem Mardochæo parenti ac nutritori ſuo proſpicit, miſſa ad illum honeſta veſte, vt vel ſic indutus in aulam penetret; vel ad eam decentius accedat. Ille perſeuerandum adhuc in luctu & pœnitentia iudicans, veſtem noluit admittere.

Primò autem ex his aduerte Eſtheris pudicitiam & modeſtiam. Domi etenim adeo ſe continebat in conclaui, intenta pietati & temperantiæ, alijſque piæ matronæ operibus, vt nec publicis regni negotijs ſeipſam intricaret; nec quid in vrbe, aut populo, ſenatu, conciliove ageretur agnoſceret, niſi famulis ac ancillis demum renunciantibus. Igitur nec ſemper pro-

ſpectabat de feneſtra, nec ſeſe oſtentabat in ſpectaculis, nec in publicum frequentius prodibat, vt procaces minuſq; pudicæ ſolent, tum vt ſpectent, tũ vt ſpectentur & ipſæ. Siquidem impudicam mulierem Salomon
Prou.7. his coloribus depingit: *Occurrit iuueni ornatu meretricio, præparata ad decipiẽdas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris,*
2.Reg. 11. *nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians.* Si Bethſabea,
*Gen.*34. Dina, Suſanna in ædium ſuarum penetralibus abditæ
Dan. 13. ſeipſas continuiſſent, nunquam tot cædium & publicarum calamitatum occaſiones dediſſent. Prohi-
*1.Tim.*5. bet autem Apoſtolus honeſtas fœminas, otioſas circuire domos, ſimulque verboſas eſſe, ac curioſas, &
*Tit.*2. loquentes quæ non oportet. Contrà verò iubet eas eſſe prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſobrias, ſubditas viris ſuis, &c. Anna
Luc. 2. prophetiſſa non recedebat de templo, ieiunijs & orationibus vacans die ac nocte. Beata Iudith fecerat ſibi ſecretum cubiculum in ſuperiori parte domus
Iudith. 8. ſuæ, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, in-
Tertull. lib. de cultu fœmin. cap.7. duta cilicio, continuò ieiunans & orans. Tertullianus ſcribit, Nullam eſſe fœminis caſtis cauſam foras procedendi nõ tetricam. Aut enim imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus, aut ſacrificium offertur, aut Dei verbum adminiſtratur. Quoduis horum aut ſanctitatis, aut grauitatis negotium.

Attende etiam in puellis ac eunuchis iſtis, fidelium ſeruorum & famularum erga heros heraſque officia. Hi perſuaſi Mardochæum cum Eſthere ſanguine iunctum, & charum eſſe, ei maturè ſignificant illum in magno luctu verſari, nihil de ſuo addunt, nihil detrahunt, rem ſimpliciter & candidè narrant, vt ipſa ſecum animo reputet rem ſeriò agi, & parentem cariſſimum grauiter affligi. Ita decet pios ſeruos ſi quid magni momenti acciderit, quod dominos ſuos ſcire referat, illos maturè commonefacere. Fa-
4.Reg. 5. mula Naamã dominam ſuam vxorem eius ſalubriter monuit de potentia Dei Hebræorum, & Prophetæ illius Eliſæi virtute in curanda illius lepra. Serui quoq;
*4.Reg.*5. eiuſdem tempeſtiuè herum hortati ſunt, vt mandatis viri

viri Dei obtemperaret. Hinc Sapiens: *Seruo ſenſato libe-* *Eccli.10.*
ri ſeruient. Et rurſum. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi tan-* *Eccl. 33.*
quam anima tua. Angelus monuit Agarem, vt redi- *Gen. 16.*
ret ad dominam ſuam Saram, & ſub manu eius ſe
humiliaret. dixerunt ſerui regis Dauid ad eum: *Om-*
nia quæcunq; præceperit Dominus noſter Rex, libenter exe- *2.Reg.15.*
quentur ſerui tui, &c. Reliqua ſeruorum officia alibi re-
cenſuimus.

Expende inſuper inſignem ſanctæ Eſtheris pieta- *Com. in Epiſt.*
tem & humanitatem. Sublimata in regiam dignita- *ad Philem.*
tem, iſta ſua poteſtate non inſoleſcit, aut honore tu-
met: vt vel Mardochæi miſerrimè lugentis & affli-
cti pudeat, vel oppreſſos populares ſuos aſpernetur.
Non in has impiorum voces erumpit: Quocunque
res cadant, ego in portu nauigo. Res meę in tuto ſunt,
ille ſuarum ſatagat ſi velit, aut valeat. Sed mira com-
paſſione cum ipſo (etiam ſi adhuc rationem ignoret)
dolet, luget, exhorreſcit, animoque conſternatur. Re- *Euripides in*
ctè profectò illos non re, ſed nomine ſolo amicos *Oreſte.*
eſſe iudicauit poëta, qui rebus afflictis non præſtant
amicorum officia. Et idem rurſum ſcribit: Ἐν τοῖς *In Hecuba.*
κακοῖς γὰρ οἱ ἀγαθοὶ σαφέστατοι φίλοι τὰ χρηστὰ δ᾽ αὔθ᾽ ἕκαστ᾽
ἔχει φίλους. In aduerſis qui ſint boni patent maximè a-
mici: ſed ſors habet vndecunque amicos proſpe-
ra.

Eſther ergo ſuũ patruelem, quantumuis annoſum,
pannoſum, ac diuinæ legis ac religionis ergô odio *Rom. 12.*
mundi expoſitum, negligere non poteſt. Didicit à Spi
ritu diuino flere cum flente, lugere cum lugente. Bea- *Gen. 47.*
tum Ioſeph imitatur, qui fratres ſuos exules, egen-
tes, afflictos domi excipit, fouet, conſolatur. Pari pie-
tate motus Moyſes Pharaonis aulam reliquit, vt fra- *Exod. 2.*
tres ſuos inuiſeret atq; iuuaret: deniq; *negauit ſe eſſe fi-* *Heb. 11.*
lium filiæ Pharaonis, malens affligi cũ populo Dei, quàm tem-
poralis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias theſau-
ro Aegyptiorum æſtimans improperium Chriſti. Qui & ipſe
iam immortalis, mortis & inferorum triumphator,
pauperculos piſcatores diſcipulos ſuos non deſpe- *Ioan. 20.*
xit: ſed frequenter viſit, & donis ſuis auxit. Deus quo- *Luc. 24.*
que optimus & maximus nos terræ vermiculos, &

plurimis

plurimis grauiſſimisque peccatis contaminatos non aſpernatur. Ter quaterq; miſeri filij hominum, qui ſi aliquando ex humili loco ad aliquem dignitatis gradum aſcenderint, intolerabili arrogantia tument, & pauperculos affines faſtidiunt, &c.

Veſtem porrò ad ſe miſſam *induere noluit Mardochæus*, & ſaccum, cineremq; ponere renuit, quia luctum ſciebat nondum eſſe relinquendum; ſed in pœnitentiæ fructibus perſeuerandum, quamdiu periculum vrgeret. Nouerat Deo gratiſſimam eſſe ſanctam illam importunitatem, qua pauperes & afflicti ad ianuam eius miſericordiæ tamdiu pulſant, donec aperiat; tantiſper quærunt, donec inueniant; & orant continuò, donec exaudiantur. *Non dimittam te*, inquiebat ad angelum colluctatorem ſuum Iacob, *niſi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco*. Et Sunamitis ad Eliſeum: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te*, videlicet, donec filium meum à morte excitaueris. Beata Chananæa perſeuerans in precibus, quodcunque voluit, à Chriſto obtinuit. Qui & propoſita parabola Iudicis, qui nec Deum timebat, nec homines verebatur, quem ſancta pertinacia quædam vidua permouit, hortans perſeuerandum in precibus adijcit. *Sic oportet ſemper orare, & nunquam deficere*. Sint ergo oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Hinc Bernardus: Perſeuerantia ſola virtutum coronatur. Sola meretur iuſtis gloriam, coronam virtutibus. Sine hac, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Hæc vigor virium, virtutum conſummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. &c.

Sed quid ad hæc Regina?

Luc. 11. *Geneſ.* 32. *Oſee* 12. 4. *Reg.* 4. *Matth.* 15. *Luc.* 18. *Pſal.* 122. *Bern. epiſt. ad Genuenſes.*

5. Accitoq;

5. *Accitoq; Athach eunucho, quem Rex ei mini-*
ſtrum dederat, præcepit ei vt iret ad Mardo-
chæum, & diſceret ab eo cur hoc faceret.
6. *Egreſſusq́ue Athach iuit ad Mardochæum ſtan-*
tem in platea ciuitatis, ante oſtium Palatij.
7. *Qui indicauit ei omnia quæ acciderant, quo-*
modo Haman promiſiſſet, vt in theſauros Re-
gis pro Iudæorum nece inferret argentum.
8. *Exemplar quoque edicti quod pendebat in Su-*
ſan, dedit ei, vt Reginæ oſtenderet, & moneret
eam, vt intraret ad Regem, & deprecaretur
eum pro populo ſuo.

HAC ſecunda parte capitis deſcribitur, quomodo id quod decretum fuerat contra populum Dei, Reginæ innotuerit. Grauiter enim commota ſuper calamitate Mardochæi, mittit ad eum fidiſſimum ex miniſtris ſibi ab Imperatore & marito in obſequium datis; qui reſciſcat, quid ſibi velit veſtitus ille lugubris, cuius rei cauſſa eum induiſſet, qua de re vociferaretur in platea, aulam regiam pro more non intraret, demum, cur veſtem ad ſe miſſam induere noluiſſet: horumq́ue omnium rationem ad ſe fideliter referret: Mardochæus periculum ſuum & totius populi impendentem ruinam illi exponit, & pecuniæ ſummam, quam ſe ſoluturum Haman receperat, dummodò perderentur Iudæi. Denique crudelis edicti, quod in Suſis affixum pendebat, exemplar in totius rei fidem tranſmittit: hortaturq́ue vt Regem adiens, rebus populi ſui periclitantibus pro viribus opituletur.

Vide autem in his eximiam Eſtheris prudentiam. Tametſi enim ſeruos & puellas vera narraſſe putet; vult tamen de iiſdem rebus certior fieri, cauſſasq́ue calamitatis diligentius noſſe, idq́ue proprio ipſius parentis ſui Mardochæi ſermone; ne fortaſſis quicquam de ſuo ſerui addidiſſent, aut confinxiſſent. Docet itaque ex-

que exemplo ſuo non eſſe temerè cuiuis credendum, etiam ſi ſeruus, ſi filius, ſi frater fuerit: præſertim in rebus grauioris momenti, & quæ rumoribus vulgi hinc inde feruntur. Nam fama mobilitate viget, vireſque acquirit eundo. Eademque veris addere falſa gaudet, & è minimo ſua per mendacia creſcit. Ait quoq; Sapiens: *Qui citò credit, leuis eſt corde, & minorabitur.* Dauid pluſquam decuit credulus criminationibus Sibæ ſerui Miphiboſeth, quibus herum ſuum falsò traduxit, non ſine iniuria cunctis agris & poſſeſſionibus ſuis illum ſpoliauit. Iſraelitæ etiam temerè fidem adhibentes duobus ſenioribus iudicibus, Suſannam innocentem, velut turpiſſimi adulterij ream, ad locum ſupplicij lapidibus obruendam duxerunt. Et quid non incommodi accidet, ſi aurem fidemque cuilibet delatori præbueris?

Eccli. 19. *2 Reg.* 16. *Dan.* 13.

Intuere quoque excellentem illius in ſummis honoribus animi moderationem. Non iraſcitur ob remiſſam ad ſe veſtem; non excandeſcit aut vociferatur eum omni fauore indignum, quòd Imperatricis munus contempſerit: non clamat eum hominem eſſe nimis moroſum, qui pacem ac delitias ſuas interturbet: ſed omnia in meliorem partem capiens, ingenti calamitati & triſtitiæ illud imputat, cuius cauſſas & rationes compatiendo perquirit. Sic *charitas patiens eſt, benigna eſt, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet.* Contra verò nunc vniuerſa fiunt. Leuiſſima de cauſſa indignantur, frendent, furuntque Principes ac nobiles à ruſticis interpellati: & ſicut Hanon rex Ammonitarum legatos Dauidis ad ſe pia intentione miſſos, omni dedecore affecit, tametſi non impunè: ſic & iſti omnia in malam partem rapiunt ac interpretantur. A præconibus diuini verbi vel etiam leuiſſimè de manifeſtis cædibus, blaſphemijs, & rapinis admoniti; impotenti animo excandeſcunt, & læſæ maieſtatis eos accuſant & damnant. Populi diuini calamitatibus nihil mouentur, dummodo ipſi rerum omnium copia affluant, & ſuis honoribus perfruantur. Opem eorum implorantes, aut verbis eludunt,

1. Cor. 13. *2. Reg.* 10.

dunt, aut conuitijs inceſſunt, ne quid in eos beneficij collocent. Sic iuxta CHRISTI de nouiſſimis diebus vaticinium, *abundat malitia, & frigeſcit charitas multorum*. Aut pauci, aut nulli Philemones, quorum beneficijs viſcera ſanctorum pro Chriſto agonizantium refocillentur. *Matth. 24.* *Epiſt. ad Philem. verſ. 7.*

Perſpice rurſus ſancti Mardochæi ſummam pro ſalute populi diuini diligentiam, qua nihil intentatum reliquit, nihil prætermittit eorum, quæ ad eius aſſertionem facere poterant. Veſtes lugubres, cineremque prius aſſumpſerat, nec ponere voluerat vt in pretioſa veſte aulam penetraret, vniuerſos clamore & exemplo ad pœnitentiæ fructus inuitârat: nunc Reginæ omnia exponit per circunſtantias ne quid ignoret, hoſtem Eccleſiæ nominat, fraudes eius aperit, mittit exemplar crudelis edicti, vt legens cognoſcat gentis ſuæ periculum; cauſam reijcit in Hamanis auaritiam vt cauſam Iudæorum magis fauorabilem reddat, monet denique de promerendo fauore Regis contra tam immanes feroſque Hamanis conatus. Quid vlterius facere potuiſſet? Hæc porrò ideo Spiritus ſanctus voluit in ſacris referri, proponi, & prædicari, vt diſcerent omnes, vniuerſa ſtudia & conſilia ſua impendere Eccleſiæ conſeruationi & defenſioni, quando ab impijs affligitur & impugnatur; quandoquidem ſeruari nequeant, niſi ipſa ſeruetur; & Deum non ſint habituri patrem, ni hanc prædilectam matrem habuerint, & obſeruauerint. Debent ei paſtores & doctores cum virtute & conſtantia doctrinam ſanam, conſolationem, & contrariorum dogmatum redargutionem. *Prædica verbum*, inquit Apoſtolus, *inſta oportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Et paulò poſt nomine Timothæi cunctos paſtores ſic de officijs ſuis commonefacit: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple*. Coarguuntur à Deo per Prophetas canes muti, non valentes latrare; & ſpeculatores hi qui gladium aduenientem cernentes, non cecinerint buccina vt *Cypri.* *Aug. l. de vni. Eccleſ.* *1. Tim. 3.* *Tit. 1.* *2. Tim. 4.* *Iſaiæ 56.* *Ezech. 3. &* *33.*

popu-

Iſaiæ 49. populus ſibi caueat. Debent Reges eſſe huius nutricij, *2.Reg.* 3. & Reginæ nutrices. *Tu paſces*, inquit Dominus ad Da- *Rom.*13. uid, *populum meum. Seruite Domino in timore.* Debent magiſtratus vti legibus & gladijs ſibi conceſſis ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. Debet populus preces, zelum, obedientiam: & vt paucis finiam, debent omnes quicquid poſſunt & valent, tanquam communi omnium electorum parenti. Vtinam, iterum autem vtinam, diligentius à cunctis ordinibus hæc hodie conſiderarentur, &c.

Mardochæus etiam admonens Eſtherem, *vt intraret ad Regem, & deprecaretur eum pro populo ſuo*, ſatis oſtēdit Reginarum, heroidum, matronarum, atque etiam quarumlibet muliercularum, & puellarum referre, quod Eccleſia ſancta Catholica & Apoſtolica proſperè agat, quòd ſint docti & pij prædicatores verbi diuini, quod ſacramenta miniſtrentur, quod fides & *Ioan.*10. religio ſuper terram refulgeat. Nam & ipſæ pertinent ad gregem ouium dominicarum, ideoque vocem paſtoris eas audire neceſſe eſt. Suntque membra corporis Chriſti, iccirco ſollicitę debent eſſe vt bene habeat. Proderunt autem Eccleſiæ, ardentibus votis & precibus inprimis apud Deum, angelos, & omnes beatos ſpiritus, quibus curæ eſt fratrum ſuorum: deinde apud maritos, patres, fratres, cognatos, liberos, & quoſcunque alios poterunt monere, rogare, incitare, impellere, vt cauſam illius pro viribus iuuent atque tue- *Gen* 18. antur. Sara cooperata eſt viro ſuo Abrahæ in ſuſcipi- *1.Tim.*5. endis peregrinis! Horum pedes lauabant temporibus *3.Reg.*17. Apoſtolorum piæ viduæ. Heliam atque Eliſeum Di- *4.Reg.*4. uinæ legis præcones, domibus aliæ exceperunt, & fa- *1.Reg* 19. cultatibus ſuis humaniſſimè fouerūt, & aluerunt. Michol Dauidem virum ſuum, Synagogæ maximū Prophetam & doctorem, ab infeſti patris & regis ſatellitibus omni ope & artificio ſeruauit. Chriſtus iter fa- *Lucæ* 8. ciens per ciuitates & caſtella Galilææ, euangelizans verbum Dei, & duodecim cum illo, nutriebatur facultatibus Magdalenæ, Ioannę, Suſannæ, & aliquot aliarum illuſtrium fœminarum, quæ illum comitaban- *4.Reg.*5. tur. Ancillula Naamanis, heri ſui ac totius eius amplíſſimæ

pliſſimæ familiæ ſalutem procurauit. Opera vnius *Ioan.4.*
mulierculæ, Samaritanorum magna pars in Chriſtũ
credidit. Marthæ & Magdalenes priuatis hortationibus, exemplis, & miraculis, primùm Maſſilienſes, de- *Niceph. li 8.*
inde Arelatenſes, & tota illa ora Prouinciæ & Aqui- *cap.34.*
taniæ, Euangelium ſalutis amplexata eſt. Nicephorus *Metaphr.*
recitat Iberos, Georgianos, & alios aliquot ſeptemtri- *Euſeb.*
onis populos, opera mulierculæ Chriſtianæ, inter hos *Niceph.*
captiuæ, ad Chriſti agnitionem viamq́ue ſalutis per- *Martyrolo-*
ductos fuiſſe. Quot teneræ puellæ, quot conſtantes *gia.*
viragines fortiſſimo martyrio ſuo populum Chriſtianum auxerunt, confirmauerunt, illuſtrauerunt? Iſthæc ſecum animis perpendant piæ fœminæ, & fidem religionemq́ue Catholicam pro ſua conditione & ſorte promoueant & conſeruent; ſecuræ quod glorioſa merces repoſita eſt illis apud Dominum, cum Thecla, Agatha, Agnete, Cecilia, Catharina &c.

9. *Regreſſus Athach nuntiauit Eſther omnia, quæ Mardochæus dixerat.*

10. *Quæ reſpondit ei, & iuſſit vt diceret Mardochæo.*

11. *Omnes ſerui Regis, & cuncta quæ ſub ditione eius ſunt, norunt prouinciæ, quòd ſiue vir, ſiue mulier non vocatus, interius atrium Regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur: niſi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit viuere.*

12. *Ego igitur quomodo ad Regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non ſum vocata ad eum?*

ATHACH fidiſſimi internuntij officio perfungitur, bonaq́ue fide exponit Eſtheri mandata Mardochæi, viciſſimq́ue refert reſponſionem dominæ ſuæ eidem Mardochæo. Summa reſponſionis eſt, modeſta, & ex candido animo profecta excuſatio de profectione ad Regem, duplici ob-

ſtante ratione. Priore, quòd lege Perſarum omnibus peruulgata, ſub capitis diſcrimine vetitum ſit, ne quis non vocatus nominatim Regem adeat, poſteriore, quòd iam triginta diebus non fuerit ab illo accerſita, ideoque neſciat an apud illum in gratia ſit, vel odio. Verendum ergo ne ſi ad ipſum non vocata irruperit, capitis periculum incurrat, cùm alijs conſulere tentauerit. Recenti memoria tenebat Vaſthin ob culpam non ita grandem gradu excidiſſe, quod non parum timoris incutiebat. Deníque Perſas & Medos in more habuiſſe, ne ſemel decreta, præſertim nomine ſignaculoque Regis confirmata, reſcinderent. Simplici itaque & fideli animo quærit à Mardochæo, vt hæc diligenter expendat; ſimulque pro ſua prudentia & ſagacitate conſulat, quid in tam arcto diſcrimine ſit agendum.

Sed vnde lex iſta Perſarum & Medorum? Doctor Lyranus ſcribit Hamanem illam procuraſſe poſt decretum aduerſus Iudæos, ne quis interueniens illud impediret. Hanc ſententiam paulò ſupra confirmauimus authoritate & verbis doctiſſimi viri D. Ruperti. Imitatus ergo impios illos ſatrapas, qui vt perderent Danielem extorſerant à Dario legem, ne quis intra dies triginta quicquam peteret ab aliquo Deo aut homine, niſi ſolùm à Rege, aliàs mitteretur in lacum leonum: & ipſe prauo malignoq; conſilio ſuo potuit ab incauto Rege hanc extorquere. Nec huic ſententiæ aduerſatur illud, *Omnes ſerui Regis, & cunctæ prouinciæ nôrunt*, &c. quoniam eadem diligentia & ſtudio quo impium decretum perlatum eſt vbique, potuit & perferri eadem lex. Ex hoc autem conſpicimus quàm vigiles ac ſoliciti, quamque ardentes ſint hoſtes diuinæ Eccleſiæ, vt eius filios affligant & diſperdant, inſpirante eis proculdubio Satana aliquid de ſuo furore & implacabili rabie aduerſus Sanctos, vt patet exemplis Saulis, & Iudæ proditoris. Eſt enim inimicus ille, qui dormiente patrefamilias, ſuperſeminat zizania in medio puri tritici. Eiuſdem ſerpentis calliditate inſtructi *filij huius ſeculi, prudentiores dicuntur filijs lucis in generatione ſua.* Circuit terram, & perambulat

Supr. ver. 2. *Dan. 6.* *1. Reg 16.* *Matth. 26.* *Lucæ 22.* *Matth. 13.* *Luc. 16.*

ambulat eam, *tanquam leo rugiens quærens quem deuoret*, *Geneſ.3.*
& ſuos emiſſarios excitans, accendens, impellensq́ue *Iob 1.*
ad omne ſcelus audacter perpetrandum. Et vt ait Poë- *1. Petr.5.*
ta: Audax omnia perpeti gens humana, ruit per veti *Horat. ode 3.*
tum nefas.

Non iuerim tamen inficias Medos & Perſas ſuos Reges tanquam aliquod ſacrum myſterium ferè ſemper occuluiſſe, tum ad ſeruandam & augendam maieſtatem & authoritatem regiam, tum vt illorum vitæ & ſaluti proſpicerent. Nam vt nimia familiaritas parit contemptum, ſic & multorum inſidijs teliſq́ue patebunt Reges, ſi quoſuis ſine delectu admiſerint. Conſtat ex hiſtorijs nonnullos ſimulantes negotia quædam ſibi eſſe cum Regibus tractanda, qui hac fallacia illos peremerunt. Aod fingens ſe verbum *Iudic.3.* Domini dicturum Egloni Moabitarum regi, adacto in eius ventrem pugione ipſum interfecit. Iſmael fi- *Ierem. 41.* lius Nathaniæ Godoliam, quem præfecerat terræ Iudæorum Rex Babylonis, ficta cum illo amicitia, ferro tranſuerberauit. Rechab & Baana admiſſi in cu- *2. Reg.4.* biculum Isboſeth filij Saulis, caput ſuper lectulum dormienti præciderunt. Iudith ſimulans dormituram *Iudith.13.* ſe cum Holoferne, reſectum à corpore caput eius in Bethuliam retulit. Notiores ſunt recentes hiſtoriæ, quàm vt hîc eas producam. Ex quibus manifeſtum eſt, ſortem Principum & tyrannorum huius ſeculi pluſquam miſeram & infelicem eſſe: nunquam ſunt ſecuri, nemini confidunt, omnes ſuſpectos habent; frequenterq́ue tot carnificibus vitam ſuam exponunt, quot ſatellitibus ſtipantur. Teſtes ſunt plurimi Reges Iſraelis & Imperatores Romani, qui ab his trucidati fuerunt, quos corporum ſuorum cuſtodes adhibuerant. Teſtis apud Tullium & Euſebium Dionyſius Siculus, cui & propria coniunx, & filiæ penitus ſuſpectæ fuerunt. Qui alios terret, plus ipſe timet, ſors iſta tyrannis, vt muniti gladijs viuant, cinctique venenis. *Li.8 præp. Euang. cap.5.*

Nec tamen prætereundum ſilentio iſtam Perſicorum regum conſuetudinem, qua ſic difficiles acceſſu

reddebantur, non ſolùm legitimæ Regum ordinationi, quæ in ſacris legitur, omnino contrariam fuiſſe: verùm etiam à prophanis authoribus veluti barbaram, nimiſque faſtuoſam, reprehenſam & damnatam. Siquidem Xenophon hunc morem comparans cum Ageſilai imperatoris Græcorum moderatione ac temperātia, ſcribit. Rex Perſarum grauitatem quærebat ex eo, quòd rarò conſpiceretur. Ageſilaus eo ipſo delectabatur, quòd ſemper hominum in conſpectu verſaretur. Exiſtimabat enim decere vitam facinoroſam ac turpem vt in obſcuro ſit: honeſtæ verò lucem ipſam maius ornamentum conciliare. Deinde grauitatem ille præ ſe ferebat ex eo, quòd difficilis ad ipſum acceſſus eſſet: hic gaudebat omnibus aditum ad ſe patere. Putabat ille ſplendidum eſſe, quòd negotia tardius conficeret: hic maximè tum lætabatur, cùm homines id quod cupiebant celerrimè conſequutos dimitteret. Hactenus ille. Plutarchus etiam refert vetulam quandam aliquando Philippum Macedoniæ regem ſummopere rogaſſe, vt ſe benignè audiret. Qui cùm reſpondiſſet, ſibi tunc per otium non licere, intulit illa: Ergo nec imperare debes. Id tantum apud illum valuit, vt non vetulam ſolùm, ſed omnes benigniſſimè poſtmodum audierit. Traditur quoque Traianum interpellatum à vīdua, vt ei de vnico filio iniuſtè perempto ius redderet, reſpondiſſe, Vbi rediero (nam ad bellum properabat) cauſam tuam cognoſcam Subiecit illa, Et ſi nunquam redieris, quis mihi ius dicet? Quod ſic animum eius affecit, vt ex loco pedem non mouerit, donec viduæ plenè factum ſit ſatis. Referunt præterea Demetrium eo potiſſimum animos Macedonum à ſe alienaſſe, quòd multorum ſupplices libellos, ipſis ſpectantibus, in profluentem abieciſſet.

Xen. orat. de Ageſilao rege.

Plutarch.

Diuina porrò lex docet Regum officium eſſe, cauſas pauperum noſſe, affectos iniuria vindicare, & oppreſſos citra omnem perſonarum reſpectum tueri, & aſſerere. Quomodo verò his dabunt operam, ſi nullus ad ipſos miſeris aditus patet? Hinc beatus Aſaph canit: *Dominus elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus*

Pſal. 77.

gibus ouium, vt paſceret Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam. Alibi etiam maximi & optimi regis Meſſiæ officia, per regnum Salomonis ita deſcribuntur. *Iudicare populum in iuſtitia, & pauperes in iudicio. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Dauid Thecuanam fœminam oratione figurata reuocationem Abſalonis ſuadentem attentè audiuit. Salomon duarum meretricum de oppreſſo alterius earum filiolo, etiam cum mutuis probris litigantium, querelas mira patientia auſcultauit, & ſapienter diremit. Et Chriſtus rex regum Apoſtolos de primatu certantes compeſcuit. Incredibile enim dictu eſt, quantum mali dent Principes, cùm rerum omnium adminiſtrationem in cõſiliarios ſuos reijciunt; præſertim ſi à talibus poſſideantur, qualis fuit Haman. Nullus de officiariorum ſuorum infidelitate, rapinis, oppreſſionibuſque illos admonet: nullus de miſeriis & calamitatibus populi commonefacit: nullus afflictis ſuccurrere poteſt. Contra verò ipſi aures Principum implent calumnijs, oculos faſcinant præſtigijs, corda deliniunt voluptatibus, animos corrumpunt aſſentationibus, & non rarò contra inſontes exaſperant. Tum impletur quod ait Propheta: *Principes tui infideles, ſocij furum, diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Et rurſus: *Stulti facti ſunt Principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens; deceperunt Aegyptum angulum populorum.* Et alius: *Principes eius quaſi lupi rapientes prædam: ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra.*

Pſalm. 71. — 2 *Reg.* 14. — 3. *Reg.* 3. — *Matt.* 18.20. — *Luc.* 22. — *Iſaiæ* 1. — *Iſaiæ* 19. — *Ezech.* 22.

Eſther porrò excuſatione ſua demonſtrat etiam iuſtos & ſanctos Dei ſeruos in periculis ſubeundis trepidare, terreri, carne crucem exhorrere, & officia frequenter detrectare, quorum exercitio mortis imminent ſupplicia. Moſes mittendus ad Pharaonem legationem refugit, dicens: *Non ſum eloquens &c. Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem? Obſecro, mitte quem miſſurus es.* Et Ieremias munus prophetandi in tempore exulceratiſſimo deprecatus eſt his verbis: *A, A, A,* Domine,

Exod. 3. — *Ierem.* 1.

Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Ananias
Act. 9. timuit admittere Paulum, audiens quod ille vaſtaret
Matth. 26. Eccleſias. Imò & ipſe auctor vitæ Chriſtus propoſi-
Luc. 22. tam ſibi mortis imaginem ſenſu exhorreſcens, dixit:
Mar. 14. *Si fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Non ſunt ergo ſta-
tim abijciendi homines natura timidi & vacillantes;
ſed potius cohortandi & confortandi, carnis imbe-
cillitati nonnihil concedendo, ſcribente Apoſtolo,
Rom. 15. *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere,*
1. *Cor.* 10. *& non nobis placere.* Et iterum: *Qui ſe exiſtimat ſtare, vi-*
Gal. 6. *deat ne cadat.* Iterumque, *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit*
homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi
inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu
tenteris.

Conſideranda denique proponitur Aſſueri leui-
tas in amore coniugali. Eſtherem præ cæteris initio
dilexit, hanc ſolam ardebat: nunc verò ſedet & bibit
cum Hamane, illius immemor. Forſitan concubina-
rum numerus prohibuit eam accerſere triginta me-
moratis diebus; vel cubiculi leges fuerunt, ne quid tri-
ſte illic Regi denunciaretur etiam à Regina. Ita ſunt
inconſtantes fauores aulæ, ac incerti amores princi-
pum. Non eſt ergo intumeſcendum, non ſuperbien-
Ierem. 17. dum illorum ratione. *Maledictus homo qui confidit in*
homine, &c. Beatus verò qui confidit in Domino, & erit
Dominus fiducia eius. Hic enim quos diligit, nunquam
deſerit, niſi prius ab his deſeratur. Quocunque iero,
Auguſt. lib. inquit Auguſt. tu me Domine, non deſeris; niſi prior
Solilog. c. 14. ego te deſeram. Vbicunque fuero, non recedis, quo-
niam vbique es; vt quocunque iero inueniam te,
per quem poſſim eſſe, ne peream ſine te;
cùm ſine te eſſe non poſ-
ſim.

13. Quod

13. *Quod cùm audiſſet Mardochæus, rurſum mandauit Eſther dicens: Ne putes quod animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es, præ cunctis Iudæis.*

14. *Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis.*

15. *Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?*

MArdochæus nunc oratione memorabili, plenaq; grauitate, conſtantia, & fide, obiecta Estheris diluit: trepidantemque rurſum hortatur, vt Regem adeat, & curam ſalutis Iudæorum ſuſcipiat. Huius autem tres ſunt præcipuæ partes. Prima, refellit opinionem, qua fortaſſe in animum inducere potuiſſet ſe commune Iudæis diſcrimen euaſuram, quòd Regina eſſet, nullusq; auderet illi violentas manus inijcere. *Ne putes*, inquit, *te ſolam conſeruaturam vitam tuam*, quòd aſſumpta in coniugem, quòd diademate redimita, quòd vnicè dilecta, quodq; excellentem locum in aula regia teneas. Memento quàm inconſtantes atq; fallaces ſint aulæ fauores, memineris Vaſthi repudiatæ, nec obliuiſcaris diuinorum iudiciorum, quibus *euertit ſedes potentium, & ſedere facit mites pro eis. Deponit potentes de ſede, & exaltat humiles. Superbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* Itaq; nec viua, nec mortua poteris effugere manus ac iudiciũ Altiſſimi, ſi Eccleſiæ illius defenſionem neglexeris. Regnat enim in cælo & in terra Deus vltionum, qui iuſtas & horribiles pœnas tandem aliquãdo repetet ab his, qui Eccleſiam ſuam in terris afflictam non omni ope ſua iuuerint & defenderint, &c. Diſcimus ergo non eſſe negligendum cultũ Dei, nec ſegniter aut perfunctoriè agendũ in conſeruatione Eccleſiæ, quæ eſt vnica ſponſa & familia eius: aliàs grauiſſimum imminet iudiciũ, quod nemo hominum effugere poterit. *Qui diligit patrem aut matrem,* (adde, ſeipſum, ac priuatam vtilitatem) *pluſquam me,* (inquit Dei Filius) *non eſt me dignus.*

Sap.5. *Eccli.10.* *Luc.1.* *Matth.10.*

Ierem. 48. Et Propheta: *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter: & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, nimirum
1. Reg. 2. 3. 4. hoſtium Eccleſiæ. Heli maiorem curam habens filiorum ſuorum, quàm legis ac cultus diuini; & ſeipſum, & filios, & totam familiam perdidit. Abrahæ patri fi-
Geneſ. 12. dei noſtræ dictum eſt: *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi*. At, cui poterit vnquam bene eſſe, quem Deus proprio ore maledixerit? Maledicti porrò ſunt omnes illi, qui poſthabita neglectaq; communi Eccleſiæ Catholicæ cauſa, priuatis tantùm commodis inuigilant; quæ non proderunt in die neceſſitatis.

Secunda orationis ac reſponſionis Mardochęi pars continet inſignem fidem, & inconcuſſam ſpem eius, de poteſtate, & bona voluntate Dei, in conſeruanda Eccleſia ſua, cunctantibus, aut etiam obſtantibus cun-
Hebræi ctis mortalibus. *Etiam ſi* (inquit) *omnino ſilueris in tempore iſto, reſpiratio & euaſio à Deo erit Iudæis ex loco alio.* Omni conſtantia credo, omniq; fiducia ſpero, Deum populo ſuo quantumuis afflicto ac oppreſſo, potenter adfuturum; eundemque quocunque voluerit modo benignè liberaturum: tametſi te in iſtã cauſam nolueris demittere, ſed ſilentio malueris ſalutẽ eius præterire. Mira profectò, ac omnibus linguis, ſeculis, iocisq; commendabilis fides! Credit Deum Eſtheris diligentiæ, ſtudio, medio, nullo modo aſtrictum eſſe: credit illum innumerabiles totique mundo ignotas ſeruandi Eccleſiam ſuam rationes habere: credit eum tantæ eſſe poteſtatis, vt etiam ex ipſis mortis, inferi, dæmonum, & omnium tyrannorum faucibus valeat velitque eandem aſſerere & vindicare: credit nunquam permiſſurum vt populus, ex quo naſciturus erat Meſſias mundi ſaluator, funditus intereat: credit denique perfidas Hamanis machinationes ſucceſſu carituras. Videt reginam cunctantem, legem pœnamque Perſicam horrere, cætera omnia aduerſa: non tamen deſperat, ſed conſtanter credit, prædicatque Deum ſeruos ſuos è ſummo periculo erepturum. Vnde quæſo, tanta conſtantia & firmitas animi? Sacras Dei promiſſiones factas patribus attentè conſiderans, excellenti

magna-

magnaque fide has amplexatus eſt tanquam veras & certas, ſciens *impoſsibile eſſe Deum mentiri.* Credidit in- *Heb. 6.*
quam, & propterea conſtanter & liberè proteſtatur, *Etiam ſi nunc ſilueris, per aliam tamen occaſionem liberabuntur Iudæi.*

Promiſſiones porrò, quas cũ Mardochęo, pij omnes in periculis ſeu communibus ſeu priuatis conſtituti, ſibi in memoriam reuocare, & animos in bonas ſpes erigere & confirmare debent, iſtæ ſunt. *Semen mulieris* *Gen 3.*
conteret caput tuum. Id eſt, Chriſtus timentibus & inuocantibus ſe, ſic ſemper præſtò aderit, vt his neq; etiam Satanas ipſe præualeat. Et ad patrem fidei noſtræ dictum eſt. *Ero Deus tuus, & ſeminis tui: & poſsidebit ſe* *Gen.12.et 22.*
men tuum portas inimicorum ſuorum. Quid eſt verò Deum eſſe alicuius, niſi ſaluatorem & protectorem omnipotentem & ſempiternum? Et iterum. *Statuam pactum* *Gen. 17.*
meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te, in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Quod verò aliud nunc putas ſemen Abrahæ, præter Eccleſiam, id eſt, populum Catholicum ſequentem fidem & pietatem Abrahæ? Tametſi autem propter infidelitatem abiectus ſit vetus Iſrael, non tamen excidit hoc fœdus & promiſſum Dei. Nõ enim omnes qui ſunt ex Iſrael ſecundum carnem, hi ſunt Iſraelitæ: *ſed qui filij ſunt promiſsionis, ſequunturq; ve-* *Rom.9.*
ſtigia patris Abrahæ, æſtimantur in ſemine Et rurſum idẽ Dominus populo ſuo pollicetur: *Inimicus ero inimicis* *Exod. 23.*
tuis, & affligam affligentes te. Quid hac promiſſione apertius & firmius? Rurſumq;. *Cùm eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos: neq; ſic deſpexi vt conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim ſum Dominus* *Leuit.26.*
Deus eorum, & recordabor fœderis mei priſtini, vt eſſem Deus eorum, &c.

His verbis coniungenda ſunt exempla memorabilia, quibus vt ſigillis cæleſtibus, Deus frequenter confirmauit ſanciuitq; veritatem promiſſorum ſuorum, ſeruos ſuos eripiens è ſummis extremiſque periculis: vtpotè, Noe de horribili totius mundi diluuio, Abra- *Gen.7.*
ham de Hur Chaldæorum, Iacob de manibus miniſq; *Gen.12.*
Eſau, Moſen ex aquis, Iſraelem de Aegypto, Daui- *Gen.32.*

1. Reg. dem de innumeris hoſtibus, tres iuuenes de fornace,
Dan. 3. & 6. Danielem de lacu leonum, Ionam de ventre ceti, Eze-
Ion 3. chiam de portis Inferi, & alia abſque numero: quibus
Iſa. 37. certiſſimum & maniſeſtiſſimum eſt, eò præſentius eſſe auxilium Dei, quò maiora ſunt pericula. Quare nihil certius eſt, Deum nunquam relicturum eſſe Eccleſiam ſuam in manibus hoſtium ſuorum: ſed eam tandem aliquando potenter liberaturum, quantumcunq; differre videatur. His & multo pluribus Eccleſiæ Catholicæ à temporibus Apoſtolorum ad hanc ætatem vſque liberationibus, amplioribusq́; promiſſionibus Euangelicis, ſic erigenda & corroboranda nunc eſt fides noſtra, de perpetuitate & triumphis regni Chriſti; vt ab eodem nunquam deficiamus, vt maxime à tyrannis obſideatur & impugnetur. Non enim poteſt fallere Deus, etiam ſi totus fallat & deficiat mundus.

Tertia pars exponit terribiles & grauiſſimas comminationes de ira vltioneq́ue diuina aduerſus Eſtherem, ac domum eius, ſi opem ſuam Eccleſiæ periclitanti denegauerit. Eccleſia Dei, inquit, nunc laborans ſummo periculo, confugit ad auxilium tuum. Quare ſi tu priuati periculi metu, aut ſuperbo contemptu eam neglexeris & reliqueris, Deus ſuo tempore vindex acerrimus aderit, & te tuoſq́ue certo certius diſperdet. *Tu, & domus Patris tui peribitis*, exciſa deletaq́ue de terris omni poſteritate familiæ tuæ. Et ſi enim maieſtas regia, qua ornata es, videtur te à præſenti Iudæorum calamitate vindicare, & in tuto collocare: eſt tamen Deus in cælo, qui non relinquet inultam perfidiam eorum, qui ſponſam ſuam peregrinantem & laborantem deſeruerint. Enimuerò vt gratiſſimus Deo cultus eſt, Eccleſiam ſuam in periculis iuuare; ita nihil magis execratur, quàm ſi quis Eccleſiam ſuam in periculis, ope ſua, quam ferre poſ-
Geneſ. 12. ſet, deſtituit. Dictum eſt ad Abraham: *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi*, non propter ipſum tantùm, ſed maximè propter Eccleſiam, cuius erat nobile membrum. Ergo qui benedicunt, id eſt, bene precantur & faciunt Eccleſiæ; his etiam

iam Deus ſe benefacturum pollicetur: qui verò ei maledicunt, id eſt, malefaciunt & malè precantur Eccleſiæ, ſcilicet eam contemnendo & relinquendo, cùm poſſint iuuare, his pro certo Deus ipſe maledicit. Et in Decalogo: *Ego ſum Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Exod. 20.

Hi porrò dicuntur Deum ipſum odio habere, eundemque relinquere, imò & crudeliter perſequi, quicunque oderunt, relinquunt, aut perſequuntur Eccleſiam: quæ verè dicitur, ac exiſtit regnum Dei, regnum cælorum, ſponſa, & corpus Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaque & ipſi, & eorum liberi tandem malè peribunt, qui populum Dei, in maxima miſeria opem implorantem, reiecerint & contempſeſerint. Ad hæc, ait ad Eli Pontificem Dominus: *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* Honorant autem Deum, qui Eccleſiam eius adiuuant: contemnunt verò, qui Eccleſiam contemnunt: nec ſuccurrunt calamitati eius quoquomodo poſſunt. Præterea, in Prouerbijs dicitur: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit ipſe, nec exaudietur*. Quid ergo faciet clamor totius Eccleſiæ, in afflictione ſua opem implorantis ab eo, quem ſperat adiuuare poſſe? Igitur ab his Dominus auertet & aurem, & faciem, & omnem gratiam ſuam, qui in difficili tempore auertunt ſe ab Eccleſia. Ergo ſi volueris & teipſum, & poſteritatem tuam ſeruare, da operam quamcunque potes, vt Eccleſia Dei in terris ſeruetur & honoretur. Epheſ. 5. 1. Reg. 2. Prou. 21.

Sed quamobrem tam accuratè ſtudioſeque Deus proponit nobis Eccleſiæ ſuæ ſalutem, cùm ipſe ſolus & poſſit, & velit eam ſeruare? Ait enim: *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus, ſanctus, Iſrael ſaluator tuus. Noli timere, quia ego tecum ſum*. Et paulò pòſt. *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator*. Et rurſum *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à* Iſa 43. Iſa. 46.

mea vulua: Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: (ſcilicet Eccleſiam meam, velut mater filiam ſuam chariſſimam) *ego feci, & ego feram: ego portabo, & ſaluabo.* Verè itaq; & poteſt, & vult eam tueri: & reipſa Eccleſiam ſuam ſeruat: veruntamen vult nos habere
1. Cor. 3. *συνέργους*, vt Paulus loquitur, id eſt, cooperarios ſuos, vt probet exerceatque noſtram pietatem, & coronet no-
2. Tim 4. ſtros labores conatuſq; in illa die iuſtus iudex. Deinde proponit nobis in afflictis ſeruis ſuis, noſtram ſalutem vel ruinam. Etenim ſi illis porrexerimus opem quam poſſumus, Deus pro certo nos ſaluabit: ſin verò contempſerimus, nobis certiſſimus imminet interi-
Matth. 5. tus. Itaque ſi Eccleſiam Dei laborantem non iuueris,
Iac. 2. ſaluari non poteris. Miſericordes, miſericordiam conſequentur: iudicium autem ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam. Seruorum Dei, in quibus conſiſtit Eccleſia, oppugnatoribus & contemptori-
Matth. 25. bus dicetur: Hoſpes fui, & non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me, iccirco ite maledicti in ignem æternum, &c. Et ad Apoſtolos eiuſdem Eccleſiæ primarios paſtores & doctores, dictum eſt ab æterno Fi-
Luc. 10. lio Dei: *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit, &c.* Vtinam hæc attentis animis nunc conſiderarent Cardinales,
1591. 1592. Archiepiſcopi, Epiſcopi, Senatores, magiſtratus, No-
1593. 1594. biles, & quotquot in hoc miſerabili Francorũ regno Catholici haberi volunt, iuuant autẽ hæreticorum in ſtabilienda tyrannide ſua aduerſus ſanctiſſimam ſedem, & Eccleſiam verè Catholicam, improbiſſimos conatus.

Quarta poſtremaque reſponſionis parte, Mardocheus hortatur Eſtherem, vt omni poſito timore humano, Regem adeat; & pro virili populo Dei ſuccurrat. Adhortatio autem innititur conſilio atque prouidentia Dei. *Quis nouit*, inquit, *vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Quæ verba non ſunt
Ioel. 2. dubitantis, ſed affirmantis: ſicut & iſta: *Quis ſcit ſi con-*
Ion 3. *uertatur Deus, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem?* Nam certum eſt quod ſeriò pœnitentibus Deus ignoſcit. Vult itaque Mardochæus, Non dubito chariſſima

riſſima filia, quin Deus ex humili loco euexerit te ad Regiam dignitatem, vt in hoc difficillimo tempore ſuccurras miſerrimo populo ſuo. Video quidem impendere tibi aliquod periculum ex lege Perſica, ſi nõ vocata acceſſeris ad Regem: ſed maior tibi ratio habenda eſt totius Eccleſiæ, quàm priuati periculi. Nam ſi ſalutem eius neglexeris, certiſſimus tibi & familiæ tuæ à Deo erit interitus. Si autem obieceris te memorato periculo, potens eſt Deus flectere cor Aſſueri in rem noſtram, & facere vt porrigat tibi ſceptrum aureum vt ſerueris. Accedit, quod hæc Perſica lex ſit tantum humana conſtitutio: intercedere verò pro ſalute populi Dei, eſt diuina vocatio & ordinatio. Magis autem obediendum eſt Deo, quàm hominibus. Quare dilectiſſima, eſto forti & conſtanti animo, iacta in Dominum curam tuam, perrumpe iſtam humanam legem, ac diuino conſilio obtempera: pro certo dexteram Regis commouebit, vt virgam auream tibi porrigat, ſicq; & ipſa ſeruaberis, & populus Iſraeliticus periculo eximetur. *Act. 4.* *Pſal. 54.*

Ex quibus animaduertendum eſt, Deum ſua prouidentia principibus conferre potentiam, diuitibus opes, doctis ſapientiã, & alijs alia dona, non vt his pro ſua libidine abutantur: ſed vt ſaluti aliorum inuigilent, Eccleſiæ eius inſeruiant, & tueantur eam quibuſcunque modis poſſunt. Hæc enim quantumuis peregrinetur adhuc in terris, tanta eſt tamen in oculis Dei, vt ab vniuerſis hominibus exigat quo eidem obediant atque ſeruiant. *Aedificabunt*, inquit Dominus ad eam, *filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi.* Et paulò pòſt *Gens & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit: & Gentes ſolitudine vaſtabuntur. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi, & vocabunt te, Ciuitatem Dei, &c.* Dedit robur pluſquam virile Samſoni, vt Iſraelem liberum faceret, vlciſceretur q; de Paleſtinis. Docuit manus Dauidis ad prælium, & digitos ad bellum, vt præliaretur prælia Domini. Salomoni contulit immenſas opes, vt templum toto orbe auguſtiſſimum & ſplendidiſſimum ſuo nomini con- *Iſa. 60.* *Iudic. 14. 15. & 16.* *Pſalm. 143.* *1. Reg. 17. & 25.* *3 Reg. 6. 7.*

ſtrueret,

ſtrueret. Danieli, Iſaiæ, Ieremiæ, Ezechieli rerum diuinarum inſignem intelligentiam & peritiam; non propter ſeipſos tantùm, ſed potiſſimum, vt totam Eccleſiam erudirent, & colluſtrarent. His quibus donorum ſuorum talenta commiſit, quotidie adhuc loquitur & mandat: *Negotiamini dum venio*. Hæc vnuſquiſque ſibi dicta reputet, & pro ſorte viriliquè Eccleſiæ vtilitati & commodis ſtudeat; certus quod ei dicetur, *Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens, &c.*

Matth. 25. *Luc. 19.*

Docet etiam hoc loco Mardochæus, eos qui Deo iuxta vocationem ſuam ſeruire detrectant propter huius mundi odia & pericula, diuinam in ſe ſuosque accerſere vltionem, tandemque malè perire. *Qui timent pruinam*, ait Iob, *irruet ſuper eos nix*. Ionas timens proficiſci in Niniuem, incidit in horribiles maris procellas, & ventrem ceti. Populus Hebraicus nolens diuinis mandatis obſequi in petenda terra promiſſionis, à ſerpentibus conſumitur in deſerto. Adeo certum eſt prouerbium, vt qui ſponte nolit eſſe martyr Dei, inuitus efficiatur martyr diaboli: & qui nolunt pati pro Chriſto ad ſalutem, patiantur pro mundo ad interitum & perditionem. Nunquam ergo negotio Dei, atque Catholicæ religioni noſtræ operas noſtras denegemus, adferentes excuſationes in peccatis.

Iob. 6. Ion. *2. & 3.* *Num. 21.* *1. Cor. 10.*

16. *Rurſumque Eſther hæc Mardochæo verba mandauit.*

17. *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris, orate, & ieiunate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus; & ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo, & tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti, & periculo.*

18. *Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia quæ Eſther ei præceperat.*

ISTA capitis poſtrema parte deſcribitur, quo pacto ſuam ad Regem Aſſuerum profectionem Eſther, Mardochæi rationibus victa inſtruerit. Cedens ergo firmiſſimis eius argumentis, omnino conſtituit decernitque, etiam cum vitæ diſcrimine, ſe cauſam iſtam fideliſſimè & conſtantiſſimè peracturam. Sed quia opus erat diuina miſericordia & pietate, ſine qua nihil apud Regem poterat, hortatur Mardochæum, vt conuocatis omnibus Iudæis,qui tum erant in Suſis, vnà cum ipſis ieiunijs & precibus tribus diebus & tribus noctibus intenderent pro ipſa ad Deum; quod ipſa ſimiliter cum ancillis ſuis facturam ſe repromittit. Ieiunabant & orabant iam antea eorum plurimi, vt ſuperius dictum fuit, ſpontaneo & priuato ieiunio: verùm hîc publicum & commune ieiunium Reginæ, & Mardochæi exulum capitis authoritate, cunctis indicitur & præcipitur.

Ex quibus primùm aduerte, officium bonorum eſſe mutuis ſeſe cohortationibus ad pietatem & bona opera excitare: hisque obtemperare, qui recta & ſtudioſa conſulunt. Nec ſemel aut iterum,ſed quoties locus & tempus dabitur. Nam ſi prima cohortatione nihil efficiamus, fortè ſecundæ vel tertiæ locus concedetur. *Duodecim ſunt horæ diei*: Eſther non *Ioan.11.* ceſſit primæ admonitioni: ſed cognatus non ceſſauit vrgere, donec quod cupiebat omnino imperraſſet. Verbo enim bono ſemper fit aliquis locus. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli ; & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno His amplius,fili mi, ne requiras*. *Eccleſ.12.* Chriſti, Prophetarum,Apoſtolorumque creberrimæ increpationes & adhortationes incredibilem generi humano vtilitatem attulerunt. *Clama*, inquit Spiritus diuinus, *ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* *Iſa.58.* Et Apoſtolus ad Timotheum ſuum: *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* *2.Tim.4.* Et Chriſtus iubet fratrem peccantem non ſemel corripere; eidemque *Matth.18.*

in nos

in nos delinquenti non ſolùm ſepties; ſed & ſeptuagies ſepties remittere. Nunquam ergo intermittendæ ſunt & priuatæ & publicæ adhortationes, nunquam ceſſandum à commonitionibus præſertim ex verbo Dei deſumptis. Nam gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo. Verbis quippe hominum & ipſa bruta commouentur & animantur: quanto igitur magis eiuſdem ſortis & naturæ participes? Ait namq; Poëta:

Acer & ad palmas per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Obſeruandum quoque qua prudentia & ſagacitate rem tanti momenti Eſther aggrediatur. Non continuò perrumpit violenter cuſtodias aulæ, nihil regia vel muliebri conditione agit indignum: ſed iubet populum faciem Dei placare ieiunio, miſericordiam ambire ardentiſſimis votis, auxilium accerſere humillimis & aſſiduis precibus; & recipit etiam ſe cum ancillis eiſdem pœnitentiæ exercitijs operam eſſe daturã, vt res tam grauis, tamq́ue periculoſa felicem ſucceſſum haberet. Prudenter enim conſiderabat, tunc pergere ad Regem ſine vocatione, nihil aliud eſſe, quàm ad certam præſentemq́ue mortem ſeſe offerre; tot illic eſſe carnifices, quot ſatellites & ſtipatores regij. Meminerat Vaſthim quantumuis præſtantis formæ mulierem, inſuper & Reginam, non ita pridem ob leuiſſimum delictum abiectam & repudiatam. Ad hæc, ſe à triginta diebus non fuiſſe vocatam ſciebat. Quid ergo cogitare poterat, niſi ſe vnà cum populo ſuo morti deſtinatam? *Contra legem faciens*, inquit, *non vocata, ingrediar ad Regem, tradens me morti & periculo.*

Sed fingamus eam benignè admiſſam à Rege. Quomodo ſperare poterat eum edicta ſua reuocaturum eſſe, cùm eſſent regio nomine concepta & perlata, eiuſq́ue annulo probata & confirmata? Conſtat enim
Dan 6. tum ex Danielis hiſtoria, tum ex ſuperioribus, huiuſ-
Sup. c. 1. v. 19. modi leges Perſarum & Medorum à nemine infringi aut reuocari vel antiquari, ne quidem à Regibus ipſis, potuiſſe. Præterea, nouerat Reges difficilè recantare, errataq; fateri ſolere. Denique Hamanem hoſtem infeſtiſſi-

infeſtiſſimum nihil non poſſe in aula, omneſque velut quoddam numen ipſum adorare & venerari. Ergo profectio Eſtheris ad Regem erat magis difficilis & periculoſa, quàm vulgo, ac poſt euentum putetur. Quocirca nec pulchritudini, nec fauori, nec virtuti propriæ confidens; iubet fieri preces, ieiuniaque publica, vt negotium totum Deus ipſe ſua prouidentia dirigat, iuuet, beneque fortunet. Commune erat diſcrimen, ideo communes preces eſſe debuerunt. Sic olim Dauid afflictus humiliabat animam ſuam in ieiunio, *Pſalm.34.* cinerem tanquam panem manducabat, potum cum *Pſal.6.101.* lacrymis miſcebat, clamabat ad Dominum cùm tri- *Pſalm.119.* bularetur, & exaudiebatur. Ezechias in communi ci- *4.Reg.19.* uitatis ſanctæ periculo cùm ab exercitu Aſſyriorum obſideretur, hortatus eſt populum ad orationes & ieiunia, ipſe prius ſciſſis veſtibus plorans, orans, & ieiunans: continuoque mirabiliter liberatus eſt. Et pius Rex Ioſaphat publica inſtituit ieiunia & vota, cùm *2.Paral.20.* hoſtes ex improuiſo incurſionem feciſſent in fines regni ſui. Daniel cum ſocijs ieiunat & orat priuſ- *Daniel.2.* quam ſomnium Nabuchodonoſoris reuelet ac interpretetur. Chriſtus opus redemptionis humanæ auſpi- *Matth.4.* caturus, quadraginta diebus & noctibus ab omni ali- *& 26.* mento abſtinet, pernoctat in orationibus, iubetque *Luc.8.&22.* diſcipulos ſecum orare. Pro Petri liberatione de car- *Actor.12.* cere Herodis, oratio fiebat ab Eccleſia ſine intermiſ- *Rom.15.* ſione. Doctor gentium Paulus ſanctorum orationi- *2.Cor.1.* bus ſeipſum non rarò commendat, vt liberetur ab in- *Philip.1.* ſidijs hoſtium ſuorum, & ſermo Dei ſine impedimen *Aug. epi.86.* to vbique nuntiaretur. Auguſtinus ſcribit, Petrum diſputaturum cum Simone Mago, prius Eccleſiæ Romanæ ieiunium indixiſſe, quam conſuetudinem ſemper retinuerit. Hieronymus verò Ioannem Euangeliſtam Eccleſijs Aſiaticis denunciaſſe, vt ieiunarent *Hieron. Prolog. in Matt.* & Deo ſupplicarent, quando Euangelium ſuum aduerſus Ebionem, Cerinthum, & alios noſtræ pietatis *Nicephor.* hoſtes ſcripto mandaturus erat. Adeo Patriarchæ, Pro- *Metaphraſt.* phetæ, Apoſtoli, pij omnes nihil vnquam grauioris ponderis, niſi præuijs ieiunationibus & precibus ad Deum ſunt aggreſſi.

Ex his autem colligere licet, orationes communes, quæ videlicet à multis, & cum plurimis fiunt, longè vtiliores ac efficaciores eſſe priuatis & ſingularibus. Enimuerò ſicut ex multis lignis copioſior flamma accenditur; & lumen maius clariusque illuceſcit ex multis facibus & thedis, quàm ex vnica: ſic præſtantior eſt oratio, quæ ex multorum piorum cordibus vocibuſque ad Deum noſtrum effunditur. Habent equidem expreſſas in verbo diuino præ alijs promiſſiones, qualis eſt iſta: *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, de quacunq; re quam petierint, fiet illis à Patre meo.* Si decem iuſti inuenti fuiſſent in Sodomis, id impetraſſent à Deo, quod vnicus Lot non potuit. Sunt igitur ſedulò frequentandę, non contemnendæ à Chriſtianis communes ac publicæ preces illæ, quæ in templis palam fiunt ſtatis horis, videlicet matutinis & veſpertinis; potiſſimum verò diuini ſacrificij corporis & ſanguinis Chriſti tremendo myſterio.

Matth.18. *Geneſ.18. & 19.*

Laudanda quoque beatæ Eſtheris eſt pietas, ac eximia religio. Non erat de illorum grege, qui alligant onera grauia, & imponunt ea humeris aliorum, digito autem ſuo nolunt ea mouere: alijs ſeueri, ſibi verò nimium indulgentes. Sed tanquã vna de populo Dei ait: *Et ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.* Periculum populi diuini proprium reputans, & ipſa cum populo me ieiunijs & precibus exercebo: ad eamq; pietatem puellas mihi ad obſequia datas verbo & exemplo perducã. Sic namq; decet pręfectos ſubditis, & paſtores ouibus ſuis virtutũ exemplis pręlucere, nõ ſolis ac nudis verbis imperare, ſiquidem voluerint eos dicto audientes habere. Chriſtus cępit facere, poſtea docere: ob idque dicitur à diſcipulis, *potens opere & ſermone. Qui fecerit & docuerit,* inquit, *hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Et Paulus ad Timotheũ, quem Epheſiorum Epiſcopum ordinauerat: *Exemplum eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Idemq; ad Titum paſtorem Cretẽſium ait: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Rectè Tertul. Oportet conſtantiam commonen-

Matth.23. *Actor.1.* *Lucæ 24.* *Matth.5.* *1.Tim.4.* *Tit.2.* *Tertul. lib. de patient.*

nendi propriç conuerſationis authoritate dirigerê, ne dicta factis deficientibus erubeſcant. Et mellifluus Bernardus: Dabis voci, tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, prius tibi illud videris perſuaſiſſe. Validior operis, quàm oris vox: fac vt loqueris, & non ſolùm me facilius emendas, ſed te quoque graui liberas probro. Non iam pertinebit ad te, ſi quis dicat, *Tu qui alios doces, teipſum non doces.* *Bern. ſer. 59. ſup. Cant.* *Rom. 2.*

Ad ſtudium autem religionis beatæ Eſtheris pertinet, quod puellas ſibi à Rege ethnico datas, in Perſicâ infidelitate natas & educatas, vera veri Dei religione, cultu, reuerentia, & inuocatione imbuerat. Ita decet dominos ſeruorum ſuorum, & dominas ancillarum ſalutis curam habere; eoſdem diuinæ legis præceptis informare, ſi rudes aut infideles fuerint; ſin verò fide inſtructi, eos de conſtantia & perſeuerantia frequenter commonere. Aliam enim conditionem ſeruorum voluit eſſe Dominus, quàm pecorum. Iuſſit namque vt die ſabbathi non ſolùm à laboribus quieſcerent, filij, filiæ, ſerui, ancillæ, aduenæ; ſed & vt tranquilliore mente ſacris adeſſent, diuinum verbum audirent, orarent, & religionem internam externo cultu exercerent & manifeſtarent. Hinc Sapiens: *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua: quaſi fratrem, ſic eum tracta.* Immorigeros, diuinique timoris immemores aut caſtigent, aut procul à ſe ablegent: ſicut Sara ancillæ ſuæ Agaris arrogantiam verberibus repreſſit, & vnà cum perfido Iſmaele ædibus ſuis omnino expulit. Altera quoque Sara de culpis ſuis ancillam dicitur increpaſſe: contrà verò Iudith Abram famulam, ieiuniorum, orationum, & laborum participem, pro meritis libertate donauit. *Exod. 20.* *Eccli. 33.* *Geneſ. 16.* *Tob. 3.* *Iudith. 16.*

Nec prætereundum eſt ſilentio ſtrenuum & conſtans animi illius pro Eccleſia ſeruanda propoſitum. *Ibo*, inquit, *non vocata ad Regem, contra legem faciens, tradenſque me morti & periculo.* Vel vt Hebr. cum emphaſi. *Quandocunque peream, peream.* Id eſt, Et ſi pro ſalute Eccleſiæ Dei noſtri pereundum eſt, peream ſanè huic mũdo, vt Deo omnipotenti in æternum viuam. Ante prædicatum Euangelium, Euangelicam hanc

Ioan. 12. mentem Spiritu ſancto docente,induerat: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Sibique perſuadebat, non timendos eſſe eos qui occi-
Matth.10. dunt corpus,cùm animam non poſſint occidere. Di-
Pſalm. 115. dicerat namque à Dauide, pretioſam eſſe in conſpectu Domini mortem ſanctorum eius. Hanc fidei conſtantiam & animi fortitudinem nobis ad imitandum propoſitam eſſe credamus,oremuſque vt pari virtute donemur.

DE IEIVNIO *Chriſtiano,ac ritibus illius.*

1\. QVIA verò hîc frequens grauiſque ieiuniorum habetur commemoratio, æquum videtur de his paulò copioſius diſſerere. Et vt ab etymo exordiamur, verbum Hebraicum TSOM ſignificat affligere, eò quòd cibi potuſque ſubtractione petulantia carnis deprimatur, & ſenſus mœrore ac dolore affligentur. Huic affinis eſt alia vox TSAME, quæ ſignificat ſitire: quoniam qui ieiunant, ſitire conſueuerunt, quòd humores corporis exſiccentur inedia. Ieiunium Græcis eſt νηστία, & νήστης, à verbo νηστεύω, ieiuno. Seu à νη particula priuante, & ἐσθίομαι, quod eſt validum & firmum eſſe, quòd per ieiunium robur corporis imminuatur. Alia rurſum voce Græci ieiunium appellant ἀσιτίαν, eò quòd qui ieiunant ſe priuant alimento. Etenim σῖτον & frumentum ſignificat & cibum.

2\. Sex autem ieiuniorum ſpecies conſtituuntur: nimirum naturalis, quod ad corporis valetudinem vel tuendam, vel recuperandam pertinet. Deinde, ciuilis, cùm videlicet ita rebus ſuis intenti ſunt homines, vt ad cibum ſumendum nolint eas relinquere. Familiaris prætcrea, quæ cum abſtinentia, ſobrietate, ac temperantia cibi & potus omnino conuenit. De hac
Luce 21. Chriſtus ait: *Attendite, ne grauentur corda veſtra crapula*
Matth.4. *& ebrietate.* Et Petrus: *Sobrij eſtote.* Hinc miraculoſi ie-
Exod.24. iunij forma ſuccedit, quæ humanas vires ſuperat, cu-
3.Reg. 19. iuſmodi fuit Chriſti, Moſis, atque Heliæ. Eſt & coacti

ieiu-

ieiunij ſpecies, qua quis omni cibo potuque priuatus compellitur eſurire, vt qui in deſertis vagantur, vel carceribus detenti fame conficiuntur. Eſt denique religioſum ieiunium, de quo in præſentiarum agitur.

3. Ipſum autem ſic definiunt. Ieiunium eſt abſtinentia à cibo & potu ſecundum ordinationem Eccleſiæ, aſſumpta ab animo pœnitente, ad carnem mortificandum, & animum erigendum in Deum. Cauſa itaque efficiens eſt præceptum Eccleſiæ. Formalis, abſtinentia à cibo & potu. Materialis, ipſe cibus & potus. Finalis, depreſſio carnis, & mentis erectio in Deum, vt iram à nobis auertat, & ſua nos miſericordia cōple ctatur. Ergo qui rectè ieiunant, iuxta Auguſtinum, debent eſſe in oratione continui, in iudicijs iuſti, in amicitia fideles, in iniurijs patientes, in contentionibus temperati, turpiloquia fugientes, aduerſus iniqua conſtantes, in conuiuijs continentes, in charitate ſimplices, inter ſubdolos cauti, condolentes triſtibus, in ſuſpicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales. Et Bernardus. Si ſola gula peccauit, ſola ieiunet. Si verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipſa? Ieiunet igitur oculus à curioſis aſpectibus, & omni petulantia, vt bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens, à fabulis & rumoribus, & quæcunque otioſa ſunt, & ad ſalutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, varijs, & ſcurrilibus verbis, interdum quoque ob grauitatem ſilentij, ab ipſis quæ videri poterant neceſſaria. Ieiunent manus ab ocioſis ſignis, & ab operibus omnibus quæ non ſunt imperata. Sed & multo magis anima ipſa ieiunet à vitijs, & à propria voluntate ſua. Etenim ſine hoc ieiunio, cætera à Domino reprobantur, ſicut ſcriptum eſt: *Quia in diebus ieiuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inueniuntur.* Et Leo maximus Pontifex: Ieiunium, inquit, noſtrum miſericordijs pauperum ſuppleamus. Impendamus virtuti, quod ſubtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abſtinentia ieiunan-

Aug. lib. de ſpiritu & anima.

Bern. Ser. 3.

Iſaiæ 58.

Leo Serm. de Quadrag.

iunantis. Studeamus viduarum defenſioni, pupillorum vtilitati, lugentium conſolationi, diſſidentium paci. Suſcipiatur peregrinus, adiuuetur oppreſſus, veſtiatur nudus, foueatur ægrotus, &c. Conſtans itaque ac perpetua Eccleſiæ Catholicæ doctrina fuit, vt eo fine ieiunia ſeruarentur, quatenus ab omnibus illicitis & ſuperfluis abſtineretur, veluti etiam ex
Ambroſ. Ambroſio concinit Eccleſia: Vtamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus, ſomno, iocis, & arctius perſtemus in cuſtodia, &c. Inſuper, vt mens effecta ſerenior & purior, feruentibus ad Deum precibus ſeipſam erigeret, quemadmodum in eodem hymno ſubijcitur: Dicamus ergo cernui, clamemus atque ſinguli, ploremus ante iudicem, flectamus iram vndicem. Noſtris malis offendimus tuam Deus clementiam, &cæt. Memento quòd ſumus tui, &cæt. Laxa malum quod fecimus, &cæt. Et ſunt quidem ipſa ieiunia in ſe ab ipſo omnipotenti Deo inſtituta & præcepta, vt paulò poſt euincemus: verùm horum conditiones, ritus, ac circunſtantiæ plurimæ poteſtati Eccleſiæ ſunt derelictæ, vtpotè, quòd hoc tempore ieiunetur, ab his cibis abſtineatur in hac prouincia, non in alia, &c.

4. Horum porrò quædam ſunt priuata, alia publica. Suſcipiuntur priuata quando vel de proprijs peccatis vehementer dolemus, vel domeſticis calamitatibus affligimur, vel quidpiam à Domino contendimus impetrare. Sic Dauid poſt admiſſum pec-
Pſalm. 34. catum, humiliabat in ieiunio animam ſuam, & ci-
Pſalm. 101. nerem tanquam panem manducabat, vt veniam
3. *Reg.* 21. conſequeretur. Achab ſacco indutus, & cinere conſperſus, ieiunijs ſeipſum humilians coram Do-
Daniel. 9. mino, vltionem eius à ſe auertit. Daniel poſuit fa-
& 10. ciem ſuam ad Dominum DEVM rogare in ieiunijs, ſacco, & cinere, pro liberatione Iſraelis. Priuatim quoque ieiunamus pro aliorum ſalute, quando charitate commoti afflictis proximis compatimur, & pro eis communem Dominum interpellamus, ſicuti Dauid cum ieiunio precabatur pro ſoſ-
2. *Reg.* 12.
pita-

pitate filioli, quem Deus percuſſerat. Septem amici Iob videntes grauiſſimam eſſe calamitatem eius, rogantes Deum vt miſeriam eius temperaret, ſeptem diebus ieiunio ſe coram eo afflixerunt. Nehemias quoque audiens afflictiones Hebræorum qui in Ieruſalem remanſerant, aliquot dies ieiunauit. *Iob. 2.* *Nehem. 1.*

5. Publica verò dicuntur ieiunia, quæ vel ab ipſo Deo, vel à paſtoribus Eccleſiæ, vel etiam à Regibus, toti alicui ciuitati ac populo præcipiuntur. Iudæis per Ioelem præcepit DOMINVS: *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate ſenes*, & cæt. Inſtituit quoque ſub lege dies KIPPVRIM, id eſt, expiationum, in quibus publico atque communi ieiunio expiabantur peccata, quæ populus in cæremonias ſacras admiſerat. Samuel congregatos in Maſphat Hebræos, hortatus eſt vt idola ſua abijcerent, ieiunarent, & orarent ad Dominum, ſi ab oppreſſione Philiſtinorum liberari vellent. Publicum etiam fuit ieiunium quod Ioſaphat Rex Iudæ ſubditis ſuis indixit, cùm finitimarum gentium bello vrgeretur: ſicut & iſtud, quod iubentibus Eſthere atque Mardochæo, omnes Iudæi peregerunt. Publico etiam ieiunio Niniuitæ impendentem ciuitatis ſuæ ſubuerſionem, totiuſque populi miſerabilem ruinam auerterunt. Pia igitur ratione publica ieiunia inſtituebantur, vt homines de peccatis ſuis admoniti, iram Dei ſeria pœnitentia anteuerterent & placarent, & publicas calamitates declinarent, veluti commune pro peccatis ſupplicium exoluentes & deprecantes. *Ioel. 1. & 2.* *Leuit. 23.* *1. Reg. 7.* *2. Paral. 20.* *Eſther. 4.* *Ion. 2.*

6. Hoc autem mirandum, quod etiam Ethnici iſtud religioſum ieiunium tam priuatum quàm publicum agnouerunt, & impendentium malorum metu percuſſi, ſæpe denunciauerunt & ſeruauerunt: ad hoc vel Hebræorum exemplis incitati, vel ſecreto quodam inſtinctu naturæ adacti. Auguſtinus enim ſcribit Porphyrium docuiſſe, abſtinentiam à carnibus & cibis craſſioribus, hominũ animos *Aug. lib. de ciuit.*

Plu libel de Iſide: & lib. de cohibenda irac. purificare, quo fiant expeditiores ad res diuinas. Plutarchus quoque ait, Sacerdotes Heliopoleos prorſus abſtinuiſſe ab omnibus cibis, qui carnis petulantiam alere vel augere poſſent, & vinum in templum Dei ſui nunquam intuliſſe. Idemque tradit, apud Athenienſes fuiſſe quædam ſacra νηφάλια, quæ aqua tantùm abſque vino peragerentur. *Tit. Liuius.* Liuius etiam ſcribit, cùm Romæ accidiſſent non pauca portentoſa, quæ videbantur grande quoddam malum præſagire, miſſos eſſe decem viros ad inſpiciendum libros Sybillinos: reſponſumque fuiſſe, vt publicum ieiunium in honorem Cereris inſtituerent, quod quinto quoque anno deinceps repeteretur. Ea verò ratione iram Deorum poſſe placari. *Epiſt.* 107. Et Tullius teſtatur, ſe aliquando biduum ſic ieiunaſſe, vt ne aquam quidem guſtaret. *Tertull. Apollin.* Nudipedaliorum quoque Ethnicorum meminerunt Tertullianus, & alij aliquot.

7. Sed quid ad Chriſtianos attinent ieiunia, dicet aliquis, cùm partim Iudaica, partim ethnica ſint? Multum per omnem modum. Enimuerò per hæc carnis arrogantia coercetur, caſtigatur laſciuia, ſupplicia peccatis debita eluuntur, & animus purior & liberior in Deum per preces erigitur. *Auguſt. Ser. de ieiun.* Et vt Auguſtinus commemorat, Ieiunium purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit. *Ambr. li. de Helia.* Et Ambroſius ait: Ieiunium eſt mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis. Idcirco nec rarò, nec tenuiter in nouo teſtamento commendantur Chriſtianis ieiunia, quando Chriſtus adfirmat Patrem ſuum cœleſtem illis mercedem redditurum eſſe; *Matt. 6. 9. & 17.* Apoſtolos ieiunaturos, cùm ab eis ſponſus ablatus eſſet: & genus quoddam furioſiorum dæmonum eijci è corporibus humanis per orationem & ieiunium. *Lucæ 2.* Laudatur quoque in Euangelio beata Anna, quòd ieiunijs & obſecrationibus Deo ſeruiret die ac nocte. *Actor. 13.* Apoſtoli ex decreto Spiritus ſancti Paulum & Barnabam miſſuri ad confirmandas Gentium Eccle-

ſias,

ſias, prius ieiunijs & orationibus operam dederunt, quàm eis manus imponerent. Et cùm redirent rebus proſperè per Aſiam actis, inſtituto rurſum ieiunio, conſtituerunt per ſingulas Eccleſias presbyteros. *Actor. 14.*
Adeò nihil magni momenti aggrediebantur beati illi viri, niſi poſt ieiunationes & preces. Paulus permittit coniuges ſe mutuò fruſtrari ad tempus, vt vacent ieiunijs & orationibus. *1. Cor. 7.* Chriſtianos omnes, doctores præſertim, hortatur, vt ſeipſos comparent ſicut decet ſanctos Dei ſeruos, *in vigilijs, in laboribus, in ieiunijs, in caſtitate.* *2. Cor. 11.* Suos autem & commilitonum labores pro Euangelio recenſet fuiſſe in labore & ærumna, *in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate.* Timotheus tali abſtinentia & ieiunio ſe confecerat, vt ſtomachi debilitatem, & alias frequentes infirmitates contraxiſſet. *1. Tim. 5.* Sed iam ad ieiuniorum ritus accedamus.

8. Hic in primis fuit, vt ieiunantes abſtinerent à carnibus, ouis, vino, & his omnibus, quę ſolent vitiorum ſuppeditare materiam; atque corpus humanum ad peccandum irritare. Hunc autem ciborum delectum habendum & conſeruandum eſſe in ieiunijs confirmãt Patres ex eo, quod Deus ipſe Adamo & vxori eius quondam prohibuerit edere de ligno ſcientię boni & mali: nullúſque vini aut carnium vſus fuerit ante diluuium. *Clem. lib. 5. conſtit. c 19. & 21. Tertull adu. Pſychicos. Hiero. l. aduer. Iouin.* Conceſſus autem fuit Noë, ſed non ſine delectu, quandoquidem ei prohibitum fuit edere carnem cum ſanguine. *Geneſ. 2. 9. & 32.* Impoſita quoque nepotibus Iacob lex fuit, vt neruo abſtinerent. Lex quoque Moſis apertiſſimam continet ciborum diſcretionem, præſertim animalium immundorum. Rechabitarum abſtinentia ore Dei laudatur, & premiatur. *Ierem. 35.* Daniel trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedit, & caro, & vinum non introierunt in os eius, quandiu ieiunio ſeipſum afflixit. *Daniel. 10.* Sanctiſſimus inter natos mulierum Præcurſor Chriſti inſtar Nazaræorum, vinum & ſyceram nunquam bibit: eſca porrò eius fuit ex locuſtis & melle ſylueſtri. *Lucæ 1 & 3.* Paulus prohibet inebriari vino, in quo eſt luxuria: concionaturque bonum eſſe, vinum *Epheſ. 5.*

Rom. 14. non bibere, & carnem non manducare. Quod ſi in vulgari conuerſatione verum eſt, multo magis tempore ieiuniorum. Petrum pane tantùm & oleribus corpuſculum ſuſtentaſſe confirmat Clemens eius auditor, & in Pontificia dignitate ſucceſſor. Egeſippus, Euſebius, Epiphanius, & Nicephorus, teſtantur Iacobum fratrem Domini non ſolùm à carnibus, verumetiam ab omnibus animantibus perpetuò abſtinuiſſe. Num hos omnes ſuperſtitioſos & Papiſtas vocitare audebunt hæretici?

Clem. 7. recog.

9. Sed in mores priorum ab ipſis Chriſtianorum ſtudiosè inquiramus, an non & ipſi cum magno ciborum delectu ieiunia ſeruauerunt. Philo, Euſebius, Nicephorus, narrant diui Marci in Alexandria diſcipulos tempore ieiuniorum, præter panem, & aquam, nihil guſtaſſe, quibus obſonij loco, ſal accedebat. Tertullianus, Epiphanius, Hieronymus, & quod mirandum, Theodorus Balſamon, tradunt noſtros maiores victitaſſe ſolis aridis, vinum ſenibus & puerperis vix conceſſum: ſanos autem ac valentes illud guſtare in Quadrageſima, quartis & ſextis ferijs, nefas fuiſſe. Quo igitur ore Eccleſiam ſeueritatis arguere poterunt viri deſertores, quæ omne genus piſces, butyrum, vinum, oleumque ſuis hodie permittit, pro ademptis carnibus?

Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 16.

Pergamus porrò etiam vlterius, & primi ab Apoſtolis ſeculi mores ac ritus inter ieiunandum ſeruatos inueſtigemus. Diſcrimina ciborum ab omnibus Chriſtianis tum ſeruata fuiſſe, vel illud euincit, quòd vniuerſi abſtinerent à ſanguine & ſuffocato, vt ipſi promulgârant Apoſtoli. Confirmat iſtud etiam vox iſta Biblidis fortiter pro Chriſti doctrina dimicantis: Multum erratis, ô viri, (tyrannos & carnifices moriens alloquebatur) quomodo infantes ederent illi, quibus irrationalium pecudum ſanguine veſci non licet? Eodem tempore conſtantiſſimus martyr Attalus, ad ſenium vſque dicitur ſolum panem & aquam in cibum vſurpaſſe. Theleſphorus ſeptimus à beato Petro, præcepit Clericos ſeptem hebdomadibus ante Paſcha, à carnibus ieiunare. Me-

Act. 15. 16.

Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 5.

Epiſt. decr.

re. Meminit & Tertullianus ieiunij, quod Xeropha-gias appellat, eo quod ſolis aridis & exſiccatis cibis tum vterentur Chriſtiani. Probat etiam eorum con-ſuetudinem, qui abſtinentes à vino, & animalibus exſulantes, humilitatem animæ ſuæ in victus quoque caſtigatione Deo immolabant. Rurſumque pœnitentiæ fructus recenſens, inter illa numerat, Paſtum & potum pura (i. panem & aquam ſolum) noſſe, non ventris, ſed animæ cauſa; ieiunijs preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctéſque ad Dominum Deum. *Tert. li. adu. Pſychicos: lib. de cultu fœm. & lib. de pœnit.*

Adamantius ſub Commodi imperio natus, ſub-ſcribit. Quando ieiunamus, abſtinemus nos, vt non guſtemus carnes, neque vinum, neque ſuperfluas eſcas. Huic ſuccedat Cyrillus, qui ſub filijs Conſtantini Magni ſanctorum Ieroſolymorum Eccleſiæ præfuit. Ieiunamus, inquit, à vino & carnibus abſtinentes; non quòd hæc tanquam abominationes oderimus, ſed quòd præmium expectamus, vt ſenſibilia deſpicientes, ſpirituali deinceps menſa fruamur: & nunc ſeminantes in lacrymis, in futuro ſeculo in exultatione metamus. Sequatur eum beatus Epiphanius, adfirmans. Ex Apoſtolorum traditione, per ſex dies Paſchæ omnes Chriſtianos in ſiccorum eſu perſeueraſſe: ac pane, ſale, aqua vſos. Gregorius Nyſſenus ieiunatum eſſe à carnibus & vino indicat, in eum finem, vt homines à vitijs abſtinerent, diſcerentque alijs benefacere. Theophylus Alexandrinus adfirmat ieiunium Quadrageſimæ ſine vſu carnium, ouorum, & vini: in alijs verò ieiunijs ſeminibus tantùm è terra pro cibo, & aqua pro potu vſos ieiunantes. Hieronymus adeò totus eſt in laudanda & ſuadenda abſtinentia à carnibus, ouis, piſcibus, vino, & alijs vitiorum irritamentis, vt eo nomine ab impijs Sectarijs vbique flagelletur. Chryſoſtomus de ieiunio Quadrageſimæ ſic loquitur. Nuſquam hodie tumultus, vel clamor, vel carnium conciſiones, vel coquorum diſcurſus, &c. *Origen. lib. 3. in Iob. Cyrill. Cat. 4. Nyſſ. orat. de am. paup. Theoph li. 3. Paſchal. Hieron lib. adu. Iouin. Epiſt. ad Lætam, & ad Euſtoch. Chryſoſt. ho. 2. in Gen.*

Vnius Auguſtini doctrina locum hunc finiero.

Hic

Aug. lib. de hær. ca. 82. & lib. Eccl. dogm. ca. 68. Hic arguit hæreſeos damnatque impietatis Iouinianum, quòd diceret, nil prodeſſe abſtinentiam à cibis aliquibus: eundemque Chriſtiani nomine cenſet indignum, eo quod abſtinentibus à vino, vel carnibus, pro amore caſtigandi corporis, nil crederet meriti accreſcere. *Lib. 30. con. Fauſt. cap. 3. & 5.* Latratus Manichæorum aduerſus ciborum delectum, his verbis compeſcit: Chriſtiani, non hæretici, ſed Catholici, domandi corporis cauſa, & propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa eſſe immunda credant, non ſolùm à carnibus, verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per Quadrageſimam ferè omnes, quanto magis quiſque vel minus ſeu voluerit ſeu potuerit. *Li. 1. de mor. eccleſ. Cath. cap. 31.* Alibi porrò idem laudat ſuæ ætatis monachos, quòd non ſolùm carnibus & vino, ſed & alijs cibis, qui pluſculum appetitum prouocarent, abſtinebant, domandarum libidinum cauſa. Idem de ieiunio quadrageſimali tractans in concione, ait. *Serm. 65 de tempore.* Ceſſent lauacra, vina vel carnes: non quòd creaturam Dei iudicemus eſſe damnandam, ſed qui toto anno nobis viximus, ſaltem vel paucos dies viuamus Domino. Atque hæc priorum, ideoque puriorum, ſeculorum Eccleſiæ Catholicæ de ritu abſtinendi à carnibus, ouis, vino, & aliquot eſculentis, inter ieiunandum, teſtimonia ſufficiant: poſterioribus etenim ad noſtrum vſque eundem ritum ſeruatum fuiſſe, vltrò ſectarij omnes confitentur, turpiſſimæ ac flagitioſiſſimę ab eadem apoſtaſiæ reos ſemetipſos agentes. Reliquos ieiuniorum ritus Chriſtianos paucis abſoluamus.

10. Occurrit primò tempus quadraginta dierum ante ſacrum Paſcha, à Chriſti ieiunio ad hunc vſque diem religioſiſſimè obſeruatum ab vniuerſis Chriſtianis. *Lib. 5. conſt. cap. 13. Epiſt. ad Philippenſ.* Nam Clemens & Ignatius Apoſtolorum diſcipuli appellant hunc ritum, imitationem conuerſationis Dominicæ. *Ser. 7. de 40. & epiſt. ad Marcellam.* Leo Magnus & poſt eum Hieronymus docent, eundem eſſe traditionem Apoſtolicam toto orbe ab ipſis ſeruatam & datam.

Augu-

Auguſtinus Quadrageſimæ authoritatem propheticis & Euangelicis literis docet corroborari. Ambroſius, contemptores eius, Dei contemptores eſſe iudicat. Clarum eſt ex Baſilio Magno, omnis ſexus, ætatis, & conditionis homines, Quadrageſimæ ieiunium, olim tam diligenter coluiſſe, vt ad veſperam vſque nullum cibum caperent. Hanc obſeruationem Chryſoſtomus vocitat, remedium animarum: Caſſianus, decimationem quandam omnium vitæ noſtræ dierum: Auguſtinus, dies corporibus ſalubres, animæ autem medicinales: Bernardus denique, militiæ Chriſtianæ tempus. *Li.2. de cōſ. Euang.ca.4. Serm.36. Hom.de ieiunio. Hom.6.& 11.in Gen. Collat.21. Serm.55.de temp. Serm.3.de quadrag.*

11. De ieiunio quatuor anni temporum, litaniarum & rogationum, hoc teſtimonium ex decretis Eutychiani vetuſtiſſimi ſanctiſſimique pontificis, qui ſuis manibus 342. martyres, circa annum Chriſti 276. ſepeliuit, refertur à Burchardo. Eſt ne aliquis qui ieiunium Quadrageſimale, vel quatuor temporum, ſiue litaniæ maioris, vel rogationum, ſiue indictum ab Epiſcopo pro quacunque plaga, non obſeruauerit? Ante Eutychianum Calixtus & ipſe pontifex & martyr, circa annum Chriſti ducenteſimum decimum ſeptimum, docuerat ſeruari ieiunium quatuor temporum, propter fructuum terræ abundantiam, iuxta prophetiam Zachariæ, verba facientis de ieiunio menſis quarti, quinti, ſeptimi, & decimi. Et meritò ſanè hoc ieiunium ſeruatur, quoniam nulla eſt ex his quatuor anni partibus, in qua ſingularia Dei beneficia humano generi non conferantur. De his beatus Iſidorus Gregorij Magni diſcipulus, ante nongentos & ſexaginta annos ſcripſit. Ieiuniorum quatuor ſunt tempora. Primum Quadrageſimæ, quod à veteribus cœpit per Moyſen, & quod Dominus tot diebus ieiunauit. Secundum, poſt Pentecoſten: Tertium, menſe Septembri: quartum eſt calendis Nouembris. Quod ſi quis de hac re ſententiam alicuius ſynodi requirat, hanc Maguntinenſis, ſub Carolo Magno anno Domini 813. celebrati, exaudiat. Conſtituimus (inquiunt patres) *Lib.1.decr. 194. Epiſt. ad Benedict. Epiſ. Zach.8. Iſidor lib.de diuinis offic. Concil.Magunt. ca.34.*

tres)

tres)vt quatuor tempora anni ab omnibus cum ieiunio obſeruentur. Primò, menſe Martio, hebdomada prima: menſe Iunio, hebdomada ſecunda: menſe Septembri', hebdomada tertia: & in menſe Decembri, hebdomada quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini, ſicut eſt in Romana Eccleſia traditum.

12. Ieiunium autem quartæ ac ſextæ feriæ inter plurimos; Sabbathi etiam apud alios, obſeruatum & traditum fuiſſe ab Apoſtolis, non ſolùm docet, verùm & rationem eius reddit his verbis Clemens horum auditor, & Petri ſucceſſor. *Lib.8. conſt. Apoſt. c. 24. tral. Turr.* Ieiunia veſtra ne ſint cum hypocritis communia. Ieiunant enim ſecunda hebdomadis feria, & quinta; at vos aut quinque diebus ieiunate, aut quarta & ſexta feria: quoniam quarta quidem iudicium in Dominum pronunciatum eſt; ſexta verò mortem in cruce ſub Pontio Pilato paſſus eſt. *Epiſt. ad Philadelph.* Subſcribit Ignatius Ioannis auditor, & magni Petri dextera (inquit Theodoretus) Epiſcopus Antiochenorum ordinatus. Dies feſtos (inquit) nolite contemnere, Quadrageſimam nolite pro nihilo habere, hebdomadam paſſionis nolite deſpicere; quarta verò & ſexta feria ieiunate, reliquias pauperibus porrigentes. *Lib.7. ſtrom.* Suffragatur his verbis Clemens Alexandrinus. Qui Dei cognitione prędi tus eſt, nouit ieiunij ænigmata horum dierum, quarti inquam, & ſexti: Dicitur autem ille quidem Mercurij, hîc verò Veneris. *Origen.* Eiuſdem ſententiæ eſt Origenes homil. decima in Leuiticum. *Cont. hær. 75.* Epiphanius adfirmat hunc ritum ortum eſſe à traditione Apoſtolorum, ſeruatumque in omnibus orbis terrarum regionibus. *Lib. 10. in Leuit.* Cyrillus Alexandrinus conteſtatur harum feriarum ieiunium ſolenniter ſeruatum. *Epiſt. 86.* Rationes explicat Auguſtinus, quòd feria quarta Iudæi concilium inierint de morte Domini noſtri: feria verò ſexta in cruce mortem ſubierit. Qui ſeptem iſtis primę notę Patribus, & huius traditionis Apoſtolicæ comprobatoribus & aſſertoribus fidem detrahet, quibus præbebit?

13. Quod

13. Quod de ieiunio Sabbati paulo ſupra inſinua-
uimus,iſtud eſt, quod in Eccleſijs Orientis non ſer-
uatum fuit, vno totius anni excepto, quod eſt pri-
die feriarum Paſchatis: contrà verò,Occidentis Ec-
cleſiæ ſingulis ſeptimanæ ſabbatis ieiunârunt. De *Epiſt.19.quæ*
hoc vario ritu diffuſè tractat Auguſtinus, ac vtrun- *eſt ad Hier.*
que quia ſua ratione conſtat, ſuo ſuffragio appro- *Epi 86.quæ*
bat; videlicet, quod populi Orientis propter requi- *ad Caſulan.*
em Chriſti in ſepulcro ſignificandam laxârint ieiu-
nium: Occidentis verò, propter humilitatem mor-
tis Domini ieiunare voluerint. Vtrique ſanctè &
piè. Subijcit enim ille. Sicut inter ſe vixerunt con-
corditer Petrus & condiſcipuli eius, ſic inter ſe con-
corditer viuant ſabbato ieiunantes, quos plantauit
Petrus: & ſabbato prandentes, quos plantauerunt
diſcipuli eius. Concilium Elibertinum, quod in *Cap.26.*
Hiſpania circa tempora Silueſtri Papæ celebratum
eſt, conſtituit vt omni ſabbati die ieiunium cele-
bretur. De eodem Beatus etiam Innocentius ſcri-
pſit: Si feria ſexta propter paſſionem Domini ie- *Epiſt.ad De-*
iunamus, Sabbatum prætermitti non debet,eò quòd *centium,*
biduo illo Apoſtoli in mœrore fuerint, & occulta- *cap.4.*
ti propter metum Iudæorum. De hoc diſcrimine
pronunciat Hieronymus: Vnaquæque prouincia *Epi.28.quæ*
abundet in ſuo ſenſu; & præcepta maiorum leges *eſt ad Lucin.*
Apoſtolicas interpretetur. Et conſultus à beata Mo-
nica Matre D. Auguſtini D. Ambroſius reſpondet:
Quando ſum Romæ,ieiuno: quando hîc ſum, Me-
diolani ſcilicet,non ieiuno ſabbato.

14. Spectat etiam ad ieiunij Chriſtiani ritus,
quòd Hieronymus magno feruore ac zelo inuehi *Hieron.*
tur in Vigilantium hæreticum,quòd inſectaretur Ca-
tholicos,quia profeſtis (i. vigilijs) Apoſtolorum ie-
iunarent, ac peruigilia celebrarent. Sed & Bur- *Burch. lib.1.*
chardus refert canonem Concilij Aurelianenſis, *Decret.194.*
quo conſtituitur, vt Presbyteri cùm ſacras feſtiuita-
tes populo annunciant, etiam ieiunium vigiliarum
eos diligenter obſeruare moneant. Hoc etiam Græ-
cos cum Latinis ad hoc vſque tempus factitare teſtis

eſt

Balſamon. eſt Balſamon, exponens 69. canonem Apoſtolorum. Scribit enim, Græcanicam Eccleſiam pridianos dies feſtorum Apoſtolicorum ieiunio conſecrare.

Can. 1. Concilium Salegunſtadienſe ante quingentos & ſeptuaginta annos decreuit, vt cum abſtinentia carnis celebrarentur vigiliæ Epiphaniæ, Apoſtolorum, Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, ſancti Laurentij, & Omnium ſanctorum. Superiora teſtimonia expendens

Bern. Serm. in vigilia S. Andreæ. Bernardus, ſcribit: Sanctorum feſta præcipua Patrum ſanxit authoritas votiuis præuenienda ieiunijs. Vtiliter planè, & non ad inſipientiam nobis. Quoniam non tutum eſt celebrandas ſuſcipere feſtiuitates ſacras, niſi prius abſtinentiæ purificatione præmiſſa, quò & digniores & capaciores inueniamur ſpiritualium gaudiorum. Ieiunijs item ſolemnia præuenimus, quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, &c. Habes igitur & veterum teſtimonijs comprobata, & rationibus explicata, etiam quæ in vigilijs Sanctorum obſeruantur à populo Catholico ieiunia.

15. Ieiunantes porrò antiquis illis temporibus, abſque vllo prandio, abſtinebant omni prorſus cibo & potu vſque veſperam, quod etiamnum à multis nunc obſeruatur, præſertim in vigilijs Natalis Domini, Ioannis Baptiſtæ, & Omnium Sanctorum: verùm filiorum ſuorum imbecillitati proſpiciens pijſſima mater Eccleſia Catholica, permiſit, vt teſtatur Diuus Hieronymus, vt cœnas in

Epiſt. ad Euſtoch. prandia commutarent, verumque ieiunium reputaretur, quando ſemel duntaxat in die cibus ſumptus eſſet, ſiue meridie, ſiue veſpere. Eſt in primis apertiſſima conſtitutio Apoſtolorum apud Clemen-

Lib. 5. conſt. c. 18. in tral. Turr. 20. in Oſtun. tem: Monemus vos, aiunt illi, vt his diebus (ſcilicet magni ſabbati) ieiuni maneatis vſque ad veſperam, ſicut & nos ieiuni manſimus cùm ablatus fuit nobis ſponſus: reliquis verò diebus, edite hora nona, aut veſpere, aut pro ratione virium, vt quis poteſt. Philo, Egeſippus, ac Euſebius etiam teſtificantur Alexandrinos Marci diſcipulos non niſi poſt occaſum ſolis ie-

iunium

iunium ſoluiſſe. Accedit Tertullianus, referens apud quoſdam, Afros nimirum, ſtatione in ſerum conſtitutas: apud alios (Romanos ſcilicet) non vltra horam nonam porrectas. Et poſt exempla Moſis oratione prælantis vſq; in occaſum, Saulis maledicentis ei qui cibum guſtaret vſque ad veſperam, Danielis orantis & ieiunantis vſq; ad horam ſacrificij veſpertini, ille tandem ſubijcit. Hæc erit ſtatio ſera, quæ ad veſperam ieiunans pinguiorem orationem Deo immolat. Athanaſius magnus ſcribit Antonium Aegyptium nunquã ante ſolis occaſum ſe cibo aut potu recreaſſe. Hieronymus B. Hilarionem paucis ficubus, ſuccum herbarum ad victum adhibuiſſe, nec tamen ante ſolis occaſum, memoriæ commendauit. Et vt paucis contraham, pro huius ritus conſuetudine multa ſcriptis ſuis interſerũt Ambr. ſer. 33. Auguſt. ſer. 56 de temp. Chryſoſt. hom. 10. in Geneſ. Ieiunium autem piè ſolui poſſe hora nona, quæ apud nos meridiana eſt, oſtendunt Baſilius ad Amphilochium c. 73. Epiphan. in Epitome fidei: Leo primus Epiſt. 31. & 65. Iſidorus, Rabanus, Beda, Rupertus, & alij plurimi. Sic itaque ritus ieiunandi varius Eccleſiæ poteſtati, prouinciarum conſuetudini, hominumque piorum viribus aut imbecillitati relictus eſt.

Lib. aduer. Pſych. c. 10. *Exod. 17.* *1. Reg. 14.* *Dan. 9.* *In vita Ant.*

16. Omnibus autem prorſus interdictum & prohibitum, ne aut diebus Dominicis, aut à Paſchate ad Pentecoſten, aut Natalis Dominici feſtiuitate ieiunent, vt ex ſequentibus manifeſtum erit. Clemens enim Apoſtolorum cooperator iſtum eorum canonem literis mandauit. Reus peccati erit, qui Dominico die ieiunauerit, cùm ſit dies reſurrectionis: aut qui Pentecoſten, aut deniq; vllum diem Domini feſtum in mœſtitia egerit. Lætari enim his diebus oportet, non lugere. Alter huius Apoſtolicæ traditionis teſtis ſit Ignatius & ipſe illorum coadiutor. Quicunque diem Dominicam ieiunauerit, ipſe eſt Chriſti interfector. Nimirum quod ieiunet velut Chriſtus adhuc mortuus in ſepulcro iaceat. Accedit & alius vir Apoſtolicorum temporum, videlicet Tertullianus, his verbis: Die Dominico ieiunium nefas duci-

Lib. 5. conſt. cap. 19. tral. Turr. *Epiſt. ad Philipp.* *Lib. de cor. militis.*

mus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten vſque gaudemus. Hæc iſte, quæ etiam Hieronymus ad verbum ferè tranſcribit & confirmat. Et quidem quantum ſpectat ad genuflexionis prohibitionem nominatis temporibus, hoc idem confirmauit magnum concilium Nicenum, canone vigeſimo. De ieiunio autem in Gangrenſi concilio paulò poſt Nicenum celebrato, ſic ſtatuitur: Si quis per continentiam quæ putatur (ſcilicet Encratitarum & Manichæorum), aut contumaciam, in die Dominico ieiunat, anathema ſit. Scribit etiam Socrates ab eadem ſynodo damnatum fuiſſe Euſtathium Sebaſtiæ Epiſcopum, quòd diebus Dominicis ieiunare inſtituiſſet. Indicat & magnus Athanaſius omne tempus quod intra Paſcha & Pentecoſten decurrit, à ieiunijs fuiſſe immune. Epiphanius quoque ſignificat prohibita ieiunia quinquaginta dies intra Paſcha & Pentecoſten, diem Dominicum in ipſa etiam Quadrageſima: inſuper, & Epiphaniorum diem, & Natalis Domini, à ieiunio liberos haberi, etiam ſi in quartam aut ſextam feriam incidiſſent. Sed & Melchiades Papa circa annum Domini 311. conſtituit, vt die Dominica ieiunium nullus fidelium ageret: quam etiam poſtea Damaſus & in ipſa Quadrageſima à ieiunio liberam eſſe voluit. Auguſtinus denique grauiter pronunciat, magnum eſſe ſcandalum ieiunare die Dominico, maximè poſteaquam innotuit deteſtabilis hæreſis Manichæorum. Et ſuperioribus conſentiens, alibi tradit. Propter hoc ieiunia relaxamus, & ſtantes oramus, quòd eſt ſignum reſurrectionis: vnde etiam omnibus diebus Dominicis, ad altare id obſeruatur. Atque hæc de ritibus ieiunij Chriſtiani. Supereſt, vt quæ aduerſus hæc omnia obijciunt veteres & noui hæretici, paucis diluamus.

Dialog. adu. Lucif. & Prolog. in epiſt. ad Ephe. — *Can. 18.* — *Lib. 2. hiſt. cap. 43.* — *Apolog. de fuga ſua.* — *Cont. hæreſ. 75. & in Cõpend.* — *In Decret.* — *Epiſt. 86.* — *Epiſt. 119. ca. 15. 16. & 17.*

17. Ac principiò quidem, non tam mirandum quàm miſerandum ac deteſtandum, quòd huius nouiſſimi ſeculi Sectarij tot maiorum piam abſtinentiam, tamque religioſum ieiunandi ſtudium, potius probris maledictiſque vexare, calumniari, ac damnare, quàm

ſtudioſè ſanctéque imitari maluerint. Inſuper, in caſtra veterum hæreticorum Aerij, Iouiniani, VVicleffi, VValdenſium, Bruſianorum, Huſſitarum; addo & Iuliani Apoſtatæ, qui Chriſtianis prolixa ieiunia per ludibrium exprobrabat; imò etiam eorum dæmonum, qui ieiunij virtute è corporibus obſeſſorum expelluntur, velut impij transfugæ concedere ac tranſire præeligunt, quàm in vnius, ſanctæ ac Catholicæ Chriſti Eccleſiæ ſententia obedientiaque remanere. *Nazianz. orat. in Iulian.* *Matth. 17.*

18. Aberrant autem, quod dicitur, à ianua, & in ipſo limine turpiter impingunt, quando ipſum propriè Ieiunium, nihil aliud aut eſſe, aut dici autumant, quàm cibi & potus moderatum, & corpori humano conuenientem vſum, quem vno verbo frugalitatem, vel Temperantiam appellant. Virum ſiquidem Chriſtianum perpetua cibi & potus moderatione ac temperantia vti neceſſe eſt, niſi peccato gulæ ac ebrietatis ſeſe alligare velit, dicente Chriſto, *Attendite ne corda veſtra grauentur crapula & ebrietate*; *Lucæ 21.* Apoſtoloque prohibente comeſſationes & ebrietates. Perpetuò *Rom. 13.* autem ieiunare, vniuerſos Chriſtianos, quis ſub comminatione lethalis delicti vnquam præcepit? Adhæc, conſtat CHRISTVM & Apoſtolos vitam & frugaliſſimam, & in cibo ac potu moderatiſſimam *Ioan. 6.* ſemper vixiſſe, vt & panes ordeacei, & ſpicarum *Matth. 14.* euulſio ſatis oſtendunt. Non autem perpetuo ieiunio ſeipſos macerauerunt, cùm etiam à Phariſæis *Luc. 6.* redarguantur, quòd non tam frequenter ieiunarent, *Matth. 9.* quàm ipſi & Ioannis diſcipuli: Chriſtuſque reſpondeat, *Marc. 2.* illos tum ieiunaturos, cùm ſponſus ablatus foret ab illis. Inſcitè ergo aut malignè verum ac Euangelicum Ieiunium ab hæreticis confunditur cum ea cibi & potus moderatione, quam etiam ethnici, ac Philoſophi inter virtutes numerant; & non raro belluæ quoque obſeruant. Exempla denique ieiunantium Niniuitarum, Hebræorum, Dauidis, Danielis, CHRISTI, Diſcipulorum, & omnium ſanctorum, vel ipſa meridiana luce clarius manifeſtant, longè aliud eſſe graui ieiunio ſe-

ipſum ad tempus affligere, quàm ſobrietatis vel temperantiæ in victu quotidiano rationem ſemper retinere.

19. Nec minus nequiterà vero abducunt animos, cupientes nullum tempore ieiuniorum faciendum eſſe ciborum diſcrimen, nullamque à carnibus, ouis, vinoq; abſtinentiam. Siquidem euicimus iam tredecim paulò ſupra laudatis ex omni antiquitate teſtimonijs ac exemplis, ab eis omnino cauendum: quibus aliqua duntaxat veterum Synodorum decreta
Can.2. ſubijcio. Synodus Gerundenſis ante mille & ſexaginta annos conſtituit, vt expleta ſolennitate Pentecoſtes, ieiunium cum abſtinentia à carne & vino cele-
Can.10. braretur. Toletana quarta, vt piſcibus quidem ac oleribus vti liceat in diebus Quadrageſimæ: cæterùm à
Can.9. carnibus & vino abſtineatur. Toletana octaua: Quiſquis (ait) ſine ineuitabili neceſſitate, diebus Quadrageſimæ eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolùm reus erit reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiuſdem diei ſancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam, quia ſa-
Circa annum Domini 363. cris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Et quæ has omnes longè præceſſit, ſimulque à ſexta vniuerſali confirmata fuit, Synodus Laodicena, de
Can.50. his ita decreuit. Non oportet in Quadrageſimæ quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiunium diſſolui, & totam Quadrageſimam inhonorare, ſed per totos hos dies ieiunare, & eſcis abſtinentiæ conuenientibus,
Can.14. id eſt, aridioribus vti. Bracarenſis prima damnans Priſcillianiſtas & Manichæos, qui carnes reipſa naturaque immundas putabant; econtrario probat laudatq; Chriſtianos illos, qui propter afflictionem corporum ſuorum, ab eiſdem tempore ieiuniorum abſtinebant. Atq; hæc Orientis Occidentiſq; ſynodorum de abſtinentia, delectuque ciborum in ieiunijs decreta.

20. His autem occurrunt Hugnoſtici ventricolæ, & carnis vera mancipia. Quid ergo ſibi vult Chriſtus,
Matth.15. cùm in Euangelio dicit, *Omne quod intrat in os, non coinquinat*

quinat hominem? Nullum cibi genus fateor, animam maculat, cùm creaturæ omnes ſanctiſſimum habeant Creatorem, ſintque valdè bonæ: ſed hominum arrogantia, præceptorum diuinorum contemptio, malitia, inobedientia, gulaq;, eos impuros & coinquinatos reddunt coram Deo & Angelis eius. Sed Apoſtolus, inquiunt, ſcribit, *Non eſt regnũ Dei eſca & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Et rursũ: *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda.* Hęc porrò quis negat aut veriſſima eſſe, aut sãctiſſimè præcepta? Sed omnis iuſtitiæ regulam tranſgrederis, pacemque Chriſtianam perturbas, quando aduerſus tot diuinos canones de abſtinentiæ exercitijs arroganter inſurgis, tot ſanctorum Patrum doctrinam contemnis, Apoſtolorum traditioni obaudire detrectas, & Chriſti, Baptiſtæ, Prophetarum & Patriarcharum ad imitandum propoſita abſtinentię exempla, pro nihilo ducis. Attende ergo quod ibidem ſubijcit Apoſtolus: *Quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum.* Gen. 1. Rom. 14. Rom. 14.

At illi rurſum; Apoſtolus vaticinatur futuros eſſe, qui doctrinas dæmoniorum inuehentes, cibis quos Deus creauit interdicerent. Tertullianus, Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, & alij maiores noſtri, de Tatianis, Encratitis, Manichæis, & Priſcillianiſtis iſtud prædictũ adfirmant, qui corporea & carnea cuncta velut diaboli creaturas aſpernati ſunt: quod Catholicis nunquam venit in mentem. Imò verò omnibus diris eos deuouerunt, qui huiuſmodi contumelijs bonas Dei creaturas execrarentur. Apoſtolorũ enim Canonibus, quiuis de ſacerdotali ordine, qui vino & carnibus abſtinuerit, propter abominationẽ, oblitus quòd omnia pulcra valde, aut corrigi, aut de Eccleſia eijci debet. Ancyrana quoque ſynodus, ante Nicenam celebrata, non tantùm confeſſionem munditiæ carnium requirit ab orthodoxis, verùm etiam vt eas aliquando contingant & prægustent in honorem Creatoris, & omnem hæreſeos ac ſuperſtitionis di- 1. Tim. 4. Cã. 50. et 52. Can. 14.

Sozomen. li. 1.cap. 11. luant ſuſpicionem. Hinc & Spiridion tempore Quadrageſimæ carnes hoſpiti ſuo, cùm aliud nihil adeſſet, hoſpesque fame periclitaretur, edendas appoſuit: *Euſeb. lib. 5. hiſt.cap. 3.* & Alcibiades martyr diuina reuelatione iuſſus eſt aliquid de ſeueritate ſua remittere: vt noſcant omnes ciborum delectum cum temperamento charitatis adhiberi: Eccleſiamque procul abeſſe à confictis hæreticorum calumnijs & impoſturis, longius verò ab omni doctrina dæmoniorum.

21. Clamitant rurſum homines importuniſſimi, Deum ieiunia nec præcipere, nec grata habere vt meritoria ſint, nec ea ad cultum eius quicquam pertinere: ſed corporum tantummodo exercitationes eſſe. Quorſum ergo tanta per Prophetam authoritate iu- *Ioel.1. & 2.* bet: *Sanctificate ieiunium*? Et iterum: *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum in ieiunio, fletu, & planctu*? Et alius: *Zach.8.* *Hæc dicit Dominus exercituum. Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi* (menſis), *& ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & ſolennitates præclaras.* An non ſunt hæc manifeſta diſtrictaque ieiuniorum præcepta? Vim quoque præcepti ob- *Matth. 6.* tinent iſta Chriſti verba, *Cùm ieiunatis: Tu autem cùm ie-* *Matth.9.* *iunas: Cùm ablatus fuerit ſponſus, tunc ieiunabunt*: nam præſupponunt decreta eſſe ieiunia, cùm de eorum cir- *Serm.157. de tempore: & Epiſtol. 86.* cunſtantijs differunt. Hinc Auguſtinus: Quia iam ſponſus ablatus eſt, vtique nobis filijs ſponſi lugendum ac ieiunandum eſt. Et alibi: Ego in Euangelicis & Apoſtolicis literis animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium. Ergo in furore animi & cæcitate verſantur Sectarij, qui id non vident.

Quomodo autem Deus illa grata non haberet, aut præmijs digna non arbitraretur, cùm per Chriſtum Filium ſuum promittat, ſeſe illis *mercedem redditu-* *Matth. 6.* *rum eſſe in propatulo*? An Patris ſui decretis Filius con- *Ser. 65. de temp.* trarius & repugnans? Moſes cùm quadraginta diebus ac noctibus ieiunaſſet (inquit Auguſtinus) Legem *Exod. 24. & 32.* Domini accipere meruit. Idem quia ieiunauit, Dominum vidit. Sancto Heliæ ieiunanti, etiam elemen- *3.Reg. 17. & 19.* ta famulata ſunt. Daniel futurorum gnarus, aduentus Domini conſcius, & inſtaurationis Ieruſalem ma-

 niſeſtiſſi-

niſeſtiſſimus prædicator, ideo vir deſideriorum ap- *Dan.6.9 10.* pellatus eſt, quia panem deſiderij non comedit, & potum concupiſcentiæ non bibit. Ambroſio etiam pla- *Epiſt.10.* nè ſunt hęretici & apoſtatę, qui dicunt nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullum frugalitatis. Subijcit quoque: Daniel ieiunij merito ora clauſit leonum, futurorumque temporum vidit negotia. Qui ſunt ergo hi *Dan.6.et 14.* præceptores noui, qui meritum excludunt ieiunij? Idem rurſum: Tunc Helias plus meruit, quando plus *Li. de Helia, cap.2.* ieiunauit. Ieiuno ore ſtatuit fluenta Iordanis, &c. Subſcribit ſuperioribus Eccleſiæ Catholicæ columnis Bernardus. Ieiunium non ſolùm abolitio eſt peccatorum, ſed & extirpatio vitiorum. Non ſolùm obtinet veniam, ſed meretur gratiam. Oratio virtutem *Ser.4. de quadrag.* impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Denique cuiuis pio ſatis eſſe debet, quòd *Epiph.* Eccleſiæ Orientis & Occidentis cenſura, ex Chriſtia- *Aug de hæreſ.cap.82.et lib. de Eccl. dog. Damaſc.* norum albo, vnà cum Iouiniano, ante mille & ducentos annos expuncti fuerunt, qui abſtinentibus à vino & carnibus, nil meriti accreſcere voluerunt, &c.

Inſuper certum & manifeſtum eſt, Ieiunium ad Dei cultum attinere, quando de Beata Anna dicitur: λατρέυουσα, i. præcellenti ſummoque cultu *deſeruie-* *Lucæ 2.* *bat Domino ieiunijs & orationibus die ac nocte*. Quod pa- *1.Cor.7.* lam confirmans Paulus, ſuadet coniugatis ſecedere ad tempus, vt vacent ieiunio & orationi, nimirum, cultus Dei gratia. Et de ſe, ac commilitonibus ſtatuit: *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros* *2.Cor. 6.* *in multa patientia, in ieiunijs, in caſtitate, in charitate non ficta, &c.* Rectè ergo ac ſcitè Auguſtinus. Hæc cùm *Serm.230.de tempore.* plena fide exercentur pietas eſt. Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc *1.Tim. 4.* eſt, & futuræ.

22. Ad hæc, de Iouinianis repente fiunt Aeriani, homines pluſquam Prothæi & Vertumni. Autumant enim Ieiunium nemini eſſe pręcipiendum, ad eius obſeruationem nullum eſſe legibus compellendum: ſed illud ipſum cuiuſque libero permittendum arbitrio, vt cùm volet ieiunet, aut non ieiunet, abſtineat à car-

nibus, vel his vtatur pro vt placuerit. Verè excæcauit
Sap 2. eos malitia eorum. Nam alibi ad raucam rauim vſq;
vociferant palam, nullum eſſe in homine lapſo arbitrium liberum, nullam voluntatis libertatem, ſed omnia ſuprema neceſſitate ferri: hîc verò ieiunandi & abſtinendi propoſitum, omnium libertati & ſpontaneæ
Tit. 3. voluntati relinquendum. Ita, iuxta Paulum, *ſubuerſi*
Epiph. cont. hær. *ſunt, & proprio iudicio condemnati.* Inſuper, ab vniuerſa tum orientis tum occidentis ac meridiei Eccleſia an-
Auguſt. cont. hæreſ. 57. te mille & ducentos annos, hæreticæ impietatis damnatus eſt Aërius, quòd diceret, ſtatuta ſolenniter ieiu-
Damaſ. lib. de hæreſ. nia non eſſe celebranda, ſed cùm quiſque vellet ieiunandum: ne videretur eſſe ſub lege. Præterea, & rex
Ion. 3. Niniues, & Ioſaphat Rex Iuda, & Eſdras dux captiuo-
2. Par. 20. rum redeuntium, ſaluberrimas leges conſtituerunt de
1. Eſd. 8. ieiunijs, eaſdemque Deus fœlicioribus rerum ſucceſſibus probauit. Cur ergo tantundem non audebunt Pontifices paſtoreſque Chriſtianorum?

Sed primæ Eccleſiæ teſtimonijs hanc poteſtatem
Lib. adu. Pſych. ca. 13. confirmemus. Bene eſt, inquit Tertullianus, quod & Epiſcopi vniuerſæ plebi mandare ieiunia aſſolent, ex
Can. 23. aliqua ſollicitudinis eccleſiaſticæ cauſa. Elibertinum concilium ſtatuit per ſingulos menſes, exceptis Iulio
In Catalog. & Auguſto, celebranda eſſe ieiunia. Philaſtrius Auguſtino ſuperior, probat vltra Quadrageſimam, ieiunandum eſſe quatuor anni temporibus, inſuper, & vigilijs Natalis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes. Cætera iam ſuperius laudauimus: ergo de ieiuniorum fructibus & effectis nunc dicendum.

23. Quæ porrò quantaque mereantur pia ieiunia, iam ſupra ex Ambroſio, Auguſtino, & Bernardo dictum eſt: quæ ſuperſunt, breuibus contrahemus. Primò enim, vt ieiunio & abſtinentia corporis laſciuia coerceatur, & domatur arrogantia; ſic animus ad orationes, diuinarumque rerum contemplationes fertur li-
Exod. 34. berior. Ideo Moſes & Helias quadraginta dierum ie-
1. Reg. 19. iunio purificatis mentibus, in monte diuinis colloquijs ſunt recreati. Et Daniel cum ſocijs abſtinentia
Daniel. 1. 2. 9. 10. primùm, orationibus poſtremò, diuinorum arcanorum facti ſunt participes. Dauid quoq; ait: *Humiliabã*

in ie-

in ieiunio animam meã, & poſtea ſubiungit. *Et oratio mea* *Pſal.34.*
in ſinu meo, id eſt, in vtilitatem & magnum cõmodum
meum, *conuertetur*. Scitè ergo Bernardus ſcribit. Ieiu- *Ser.4. de*
nium orationi deuotionem, & fiduciam donat: oratio *Quad.*
virtutẽ impetrat ieiunandi, & ieiuniũ meretur gratiã
orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio ſanctifi-
cat ieiuniũ, & repræſentat Domino. Et Tertullianus: *Lib. adu.*
Conſcientiam communem, ipſamq; naturam teſtem *Pſychic.c.6.*
adducit, nos ieiunos & abſtinentes, rebus diuinis tra-
ctandis & capeſſendis multò eſſe aptiores; quã cũ ven-
ter eſcis ſtipatus, vinis inundatus, decoquendis iã ſter-
coribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarũ.
24. Secundò, ſancti ieiunationibus ſuis quicquid à
Deo petierunt, illicò acceperunt, vtpotè, Moſes le- *Exod.34.*
gem iterum diuino digito conſcriptam in nouis ta-
bulis lapideis: Anna natura ſterilis, filium Domino *1.Reg.2.*
conſecrandum; Iudith ciuitatem, totamque gentem *Iudith.8.*
ſuam à crudeli tyrannide Holofernis liberari; Ioſa- *2 Par.20.*
phat rex Iuda inſignem de hoſtibus ſuis triumphum,
incruentamque victoriam: Dauid peccatorum ſuo- *2 Reg 12.*
rum veniam: Eſdras populum ſuum difficili peregri- *1.Eſd.8.*
natione, inter confertas gentes inimicas, è Babylone
in Ieruſalem reducere incolumem; & Machabæi cla- *1.Mach.3.*
ra & exornata de hoſtibus ſanctæ ciuitatis & Synago
gæ trophæa. Igitur & vos (ait ſub nomine Apoſtolo- *Lib.5. conſt.*
rum Clemens) quæ à Deo petitis, ieiunando petite. *cap.19.*
25. Tertiò, exemplis verbiſque diuinis euincitur, plu
rimum valere ieiunium ad pœnas peccatis humanis
debitas coram Deo eluendas, ſimulque publicas ab eo
immiſſas calamitates auertendas & declinandas. Ie- *Lib. adu.*
iunium, inquit Tertullianus, iratum Deum homini *Pſych.ca.6.*
reconciliat. Deliquerat Iſrael, ita ſtatim delictum ie-
iunio diluit, vt periculũ prelij ſimul fugerit. Cùm Sa-
muel offerebat holocauſtum, populus abſtinuit, alle- *1.Reg.7.*
phyli prælio admonebàt, Dominus intonuit ſuper al-
lophylos, & confuſi ſunt, & corruerunt in conſpectu
Iſraelis, & ceciderũt paſtos impaſti, armatos inermes.
Hæ erunt vires ieiunantium Deo, cælum pro eiuſmo-
di militat. Per hanc inediam etiam ciuitas peccatrix *Ion.3.*
Niniue, de exitio prædicato liberatur. Sodoma quo- *Ezech.16.*

que & Gomorra euaſiſſent, ſi ieiunâſſent. Peccauerant enim abundantia panis & otio. Hoc remedium agnouit & Achab, cùm poſt trangreſſionem, idololatriam, & necem Nabuthæ, grauiſſima illi comminatus eſſet Helias, ſaccum carni ſuæ impoſuit, & ieiunauit. Tunc enim dixit Dominus. Non ſuperducam læſuram in diebus ipſius, ſed in diebus filij eius, qui non erat ieiunaturus. Hactenus ille vir, & quidem vicinus Apoſtolicorum temporum.

3. Reg. 21.

Ante hunc verò Clemens Pauli in prædicatione Euangelij cooperator, Petri verò ſucceſſor, ex eorundẽ ore acceptam hanc eandem ſententiam ſcriptis mandauit. Niniuitæ facto ieiunio trium dierum, & totidem noctium, impendens diuinæ iræ periculum effugerunt. Eſther, Mardochæus, & Iudith, ieiunio facto, malum quod impij Holofernes & Haman Iudæis moliebantur, declinârunt. Subſcribit his verbis Auguſtinus. Sub Eſther regina cùm Iudaicus populus in periculo poſitus eſſet, ieiunijs ſuffragantibus liberatus eſt. Et Niniuitæ, cùm euerſionis ſuæ præſcriptum diem, à Propheta audiſſent, ieiunio indicto euadere meruerunt. Alibi rurſum, laudat hanc Baſilij Magni ſententiam. Aegrotauimus per peccatum, ſanemur per pœnitentiam: pœnitentia verò ſine ieiunio vacua eſt. Quia non ieiunauimus, decidimus de paradiſo: ieiunemus ergo vt ad eum redeamus. Vnius Bernardi ſententia huic articulo finem impono. Pro eo, inquit, quod ieiunando ab ipſis quoq; licitis abſtinemus, ea nobis quæ prius commiſimus illicita condonantur. Quid verò eſt condonari commiſſa, niſi ieiunio breui, ieiunia redimi ſempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus, & diues guttam aquæ accipere non meretur. Bonum ergo eſt & ſalutare ieiunium, quo redimuntur æterna ſupplicia: dum remittuntur hoc modo peccata.

Lib. 5. conſt. ca. 19. *Ion. 3.* *Eſther. 4.* *Iudith. 6. 8.* *Quæſt. 120. vet. & no. teſt.* *Lib. 1. cont. Iul. Pelag. cap. 2.* *Ser. 4. de Quad.*

26. Quartò, vel ipſomet Filio Dei teſte & iudice, efficaciſſima ſunt ieiunia precibus adiuncta, ad expellendum de humanis corporibus etiam furioſiſſimorum dæmoniorum genus. Quod obſeruans Tertullianus ſcribit. Præſtituit (Chriſtus ieiunans) ieiunijs legem

Lib. adu. Pſychic. c. 8.

ſine

ſine triſtitia tranſigendis. Cur enim triſte, quod ſalutare? Docuit etiam aduerſus diriora dæmonia ieiunijs præliandum. Et quid mirum ſi eadem operatione ſpiritus iniquus educitur, qua Sanctus inducitur? Et Baſilius, Ieiunium (inquit) eſt armatura ad confligendum cum impijs ſpiritibus. Nam hoc genus non eijcitur, niſi per deprecationem ac ieiunium. Tam multa bona proueniunt è ieiunio. Et Ambroſius. Videte ergo quæ ieiunij virtus ſit, quantam homini ſuo præſtet gratiam, quod tantam præſtet alteri medicinam. Mira enim res eſt. Alter ieiunat, & alteri prodeſt ieiunantis vtilitas. Ergo fratres abſtinentiæ arma minimè deponamus. Dominus enim diabolum vicit, poſteaquam quadraginta dies ieiunauit. *Matth. 4.* *Matth. 6.* *Matth. 17.* *Hom. de laud. ieiunij.* *Serm. 25.*

27. Et ne in immenſum creſcat iſta tractatio, reliquas ieiuniorum vtilitates ac mercedes, his Auguſtini verbis complectar. Ieiunium purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnem ſpiritui ſubijcit, cor facit contribulatum & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit: caſtitatis verum lumen accendit. Ieiunium humilitatem commendat, præſtat homini ſeipſum intelligere quod eſt infirmũ & fragile: atq; dum ita ſe intelligit imbecillem, aptiorem virtutem Dei adiutorem quærit & accipit. Et idem rurſum: Abſtinentiæ, (ait) vigiliæ, orationes, atque ieiunia, per breuiſſimas anguſtias perducunt ad Paradiſi delitias: quia non mentitur veritas, quæ dicit, Anguſta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. *Serm. 230. de temp.* *Serm. 55. de temp.* *Matth. 7.*

28. Quod ſi coronidis vice, è contrario noſſe libet, quantus Epicureiſmus, quantaque morum corruptio ac deprauatio ſequuta ſit ex contemptu ieiuniorum & abſtinentiæ inter Sacramentarios & Lutheranos, ne quid eis affingere videar, Miniſtrorum præcipuorum verbis exponam. Iacobus Andræas, non ita pridem Tubingenſis Præpoſitus, Cancellarius, & Antiſtes hæc ipſa palam pro concionibus de ſuis Vbiquiſtis teſtatus eſt, & typis poſteà euulgauit. *Pars Germanorum ſuum quidem locum verbo Dei* (hoc fuco Miniſtrorum hæreticas conciones exornat) *Conc 4. in Chriſti verba* *Luc. 21.*

vt præ-

vt prædicetur tribuit: nulla verò interim ſentitur in illis morum emendatio: ſed horrenda, Epicuræa, & animalis eorum vita cernitur in comeſſationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis, & diuini nominis prophanationibus, ſiue blaſphemijs. Sic autem inquiunt: Didicimus per ſolam fidem in Chriſtum ſaluari, qui ſua morte pro peccatis noſtris omnibus ſatisfecit: nos verò ſatisfacere non poſſumus noſtris ieiunijs, eleemoſynis, precationibus ac alijs operibus: quamobrem permitte, vt hæc miſſa faciamus. Atque vt totus mundus agnoſcat eos non eſſe Papiſtas, illorum operum nullum penitus exercēt. Ieiunij loco, comeſſationibus & perpotationibus nocte dieque vacant. Vbi pauperibus benefacere oportebat, eos deglubunt et excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias, & diuini nominis execrationes, idque tam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantopere blaſphemetur, &c. Quis autē huic Lutheranorum Miniſtro & Præpoſito, de Lutheranorum ſuorum moribus, poſt abiectas Catholicorum de ieiunijs conciones, prædicanti & ſcribenti non crederet? De Sacramentariorum verò corruptelis, poſt quàm Zuinglio, Oecolampadio, Caluino, & ſimilis furfuris Prædicātibus aures menteſque aduerſus ieiuniorum leges & ritus commodauerunt, Lauaterum, & Pontiſellam vitæ illorum conſcios audiamus: *Res noſtræ eò deuenerunt, prô pudor, vt à multis ne hoc quidem extorqueri poßit, vt ſibi à fœda vini ingurgitatione temperent. Quin vt vt tot & tam atrocia mala non ſolùm ipſi videant, ſed etiam ex omnibus orbis partibus nunciari audiant, adeo non commouentur animo, vt totos dies nocteſq; certatim perpotare pergant, &c.* Scitè ergo ac prudenter de iſtis tandem ſenſit & ſcripſit Eraſmus, Per hoc nouum Euangelium non corrigi homines, ſed paſſim deteriores fieri: quippe qui peccare non deſinant, ſed tantùm peccent impunitius.

Com. in hunc Eſtheris locum.

Epiſt. cont. Pſeudo euangel.

His vides candide lector, quid, qualeve Ieiuniū ſemper iudicauerit & laudauerit Eccleſia Catholica, quiq; ritus eius, ac deniq; fructus & vtilitates: idq; vniuerſum expreſſo Dei verbo, atq; ſanctiſſimorū, antiquiſſimorū & doctiſſimorū Patrum, Conciliorumq; firmiſſimis teſtimonijs & exemplis probatum & confirmatum. Dilutas inſuper aduerſariorū obiectiones: & de ſuo-

de ſuorum diſcipulorum intemperantia, Epicureiſq; moribus, ex quo à Catholica Religione & pietate defecerunt, publicas veraſque confeſſiones atque teſtificationes. Quæ ſi placido gratoque animo expenderis, boni æquique conſules iſtam, tametſi longiorem, ab inſtituto tamen non alienam, noſtram digreſſionem.

QVIA verò D. Hieronymus teſtificatur ea, quæ continentur poſtrema parte capitis tertij decimi, & integro quarto decimo huius hiſtoriæ, ſuo tempore coniuncta fuiſſe ad finē huius capitis quarti, tametſi in Hebræo non reperiantur, eadem & nos ſubijciemus, & breui exponemus; poſteaquam eadem ſancta & canonica eſſe, aduerſus hæreticos oſtenderimus.

ILLAE SCRIPTVRARVM partes ſemper ab Orthodoxis, canonicæ diuinæque authoritatis habitæ & prædicatæ fuerunt, quas vel Eccleſia Catholica in ſacris officijs palam legendas propoſuit, vel ſancti Patres ad confirmanda fidei noſtræ myſteria laudauerunt, vel denique œcumenica Concilia inter libros ſacros & diuinitus inſpiratos recenſuerunt. Etenim his tribus regulis Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, cæterique priſci ac neoterici theologi, libros canonicos ab apocryphis diſcernunt. Partes verò ſeptem vltimorum capitum huius hiſtoriæ, de quibus aduerſus huius æui hæreticos concertatio eſt, Eccleſia Catholica in ſacris myſterijs publicè legit; idq; ex antiqua traditione & conſuetudine, feria quarta Dominicæ ſecundæ Quadrageſimæ, & Dominica vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten. Ex quo apertè, ac ſine vlla controuerſia conſequitur, eas inſtar cæterarum veteris teſtamenti hiſtoriarum & prophetiarum, pro ſacris & canonicis ſcripturis reputare.

Lib. 6 hiſt. c. 18. & 19.
Epiſt. ad Dard.
Lib. 33. cont. Fauſt. cap. 6. &c.

Patres

Patres autem harum teſtimonijs vſos eſſe patet in *Epiſt.* 199. primis ex hoc Auguſtini loco. Eſther in oratione ſua dixit, ita ſibi eſſe ornatum regium, ſicut pannum menſtruatæ. Hoc porrò habetur capitis quartidecimi, *Lib. 3. offic. c. 15.* verſu decimoſexto huius libri. Ambroſius quoque ex verſu decimo capitis quinti decimi laudat: Eſther nec immitis Regis trepidauit furorem. Et vt Græcos *Hom. 3. ad pop. Antioc.* cum Latinis iungamus, Chryſoſtomus quartumdecimum huius libri caput his paucis complectitur. Priorem veſtem exuta mulier Eſther, & ſacco amicta, & cinerem ſubſtrata, diuinæ clementiæ ſupplicabat, vt ſecum ad Regem ingrederetur, & talia orans verba ad ipſum dabat: *Grata fac, Domine, verba mea, & da* *Li. 2. contra Eunomium.* *ſermonem ornatum in os meum*. Idem caput citat etiam Baſilius omnibus modis Magnus, ſcribens: Sapientiſſima Eſther orans dixit, *Ne tradas, Domine, ſceptrum tuum non exiſtentibus*. His omnibus multo antiquior Origenes, confirmans plurima tum in Græcis, *Epiſt. ad Africanum.* tum in Latinis codicibus inueniri, quæ tamen in Hebraico contextu non habentur, exemplum adducit ex his ſeptem poſtremis capitibus Eſtheris. Exempli cauſa (inquit), in libro Eſther, neque Mardochæi, neque Eſtheris preces, quæ legentem poſſunt ædificare, habentur apud Hebræos: ſed neque Epiſtolæ, neque quæ ab Haman ſcripta eſt de euerſione gentis Iudæorum, neque Mardochæi ex nomine regis Artaxerſis gentem à morte liberans. Denique, & Petri ſucceſſione, & martyrij gloria clariſſi- *Epiſt. ad omnes Orthodoxos.* mus Alexander primus, ſanctiſſimæ Trinitatis fidem corroborat ex hoc teſtimonio, quod verſu nono capitis tertij decimi continetur: Si Trinitas perſonarum non eſt, cur Mardochæus orando dixit: *Domine, Domine, Deus omnipotens, omnia in poteſtate tua ſunt?*

His accedunt decreta veterum ſanctiſſimorumque *Can. 59.* Conciliorum, vt Laodiceni, & tertij Carthaginenſis, *Can. 47.* quibus hic liber Eſther refertur in album ordinemq; canonicorum ac diuinorum librorum, qui publicè in Eccleſia legi debent. Hæc porrò Concilia, & ſi prouincialia fuerint, nihilominus à ſynodo ſexta vniuerſali, quæ

li, quæ in Trullo celebrata fuit, confirmata ſunt, ideoque authoritatem vimq; œcumenicorum obtinent. Cùm verò Eſtheris librum inter canonicos numerant, de eo loquuntur, vt tum inter Hebræos, Græcos, Latinoſque extabat. Extabat verò vt ex Græcis Ioſepho Matthatiæ, Ioſepho Gorionis, & alijs nunc ſupereſt, atque ab omnibus Catholicis legitur cum memoratis ſeptem capitibus: Igitur & hæc ipſa ad canonem ſacrarum literarum pertinent. Concilium denique Tridentinum edito catologo Librorum canonicorum, huic liti finem impoſuit, cùm hunc librum ſacris connumerans, ſubiungit. Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit, &c. Horum itaque capitum confirmata authoritate, ad eorum explicationem accedamus. *Seſſ. 4.*

LIBRI

LIBRI ESTHERIS CAPITE TERTIO DECIMO.

8. *Mardochæus autem deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum eius, & dixit:*
9. *Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita: & non eſt qui poßit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael.*
10. *Tu feciſti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur.*
11. *Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ.*

HIS deſcribitur Mardochæi anxia feruensq́ue deprecatio pro ſalute populi ſui: ſimulque orandi formula pijs omnibus traditur, quando in extremis periculis verſantur, adeoque cum ipſa morte & terroribus eius luctantur. Nõ eſt itaque hæc oratio conſideranda tantùm, vt priuata priuati hominis oratio; ſed vt communis totius Eccleſiæ vox, grauiſſimaq́ue ad Deum in rebus fermè deſperatis querela, aduerſus omnes Hamaniſtas, id eſt, ſuperbos crudeleſq́ue tyrannos ac perſecutores ſuos, qualis fuit iſte Haman.

Mardochæus, inquit, *deprecatus eſt Dominum.* Ecquid aliud vir piiſſimus, facere potuiſſet, quando ſibi ſuiſq́ue popularibus præſentem intentabant omnia mortem? Eſt quidem pijs omnibus ſemper orandũ, Chriſto dicente, *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*: & Apoſtolo, *Orantes omni tempore in ſpiritu* Verùm, multo feruentius incumbendum eſt obſecrationibus & precationibus, quando publicæ calamitates inſurgunt; & non ſolùm ſtatus reipublicæ, ſed & fidei religioniſq́ue Catholicæ (qua ſola vitæ æternę aditus patet) profuſio

Luc. 18.
Ephes. 6.

ſeſſio exercitiumque in diſcrimen adducitur. Ita Iudith & conciues eius, lucos, templa, deos, reſpublicaſque omnes vaſtante Holoferne, ſibi ſanctoque Ieroſolymorum templo iure metuentes, ieiunijs & precibus clamaſſe dicuntur ad Dominũ. Imminentibus populo Dei cũ infeſtis armis Pharaone ac Aegyptijs, *ipſi timuerunt valdè*, inquit Moſes, *clamaueruntq; ad Dominũ.* Et pijſſimus Rex Ioſaphat. *Cùm ignoremus*, ait, *quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* Primi Chriſtiani cęſo ab Herode Iacobo, & neci deſtinato totius gregis Chriſtiani capite ac rectore Petro, ſine intermiſſione pro ipſo precabantur. Nec hi omnes fraudati ſunt à deſiderio ſuo. *Clamauerunt itaq; pij omnes ad Dominum cùm tribularentur, et de neceſſitatibus eorum liberauit eos.* Chriſtus imminēte mortis horrore, ac crucis ignominia, prolixius orabat, precipiens Apoſtolis, vt & ipſi ſecum vigilarent & orarent. Tertullianus indicat ſuæ tempeſtatis Chriſtianos, in rebus attonitis, genibus poſitis, manibus cædētibus pectus, & facie humi volutata, orationes ſuas Deo commendaſſe.

Iudith. 7. 8. & 9. *Exod. 14.* *2. Par. 20.* *Actor. 12.* *Pſalm. 106.* *Matth. 26.* *Li. adu. Iud. cap. 10. &* *Lib. 3. adu. Mar. cap. 18.*

Deprecabantur autem, Mardochæo illis præeunte, etiam alij omnes Iudei; quandoquidem iuſſerat illi Eſther Regina, *congrega omnes Iudæos, quos in Suſan reperere, et orate, et ieiunate pro me*, &c. Deinde ſubijcitur. *Iuit Mardochæus, & fecit omnia quæ Eſther ei præceperat.* Commune omnibus erat periculum, idcirco communibus votis illud deprecabantur, & auxilium de cælo poſtulabant. Incredibile dictu, quàm mœſtæ matres, quàm ſolliciti patres, quàm ægro animo iuuenes; quot, quãtiſq; doloribus, fletibus, ac eiulatibus cælum ipſum feriebant. Igitur pari cum Mardochæo mente, ac non diſſimili ſpe, ſalutem propriã & communem Deo Abraham Iſaac & Iacob patrũ ſuorum miſerabiles poſteri ſuppliciter commendabant. Sic multum prodeſt, ſi qui alijs præſunt, ijdem in calamitate publica, exẽplis bonis ſic alijs præluceant, vt cum Chriſto dicere poſſint: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Et cum Apoſtolo eius, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Tum enim rectè populus iudicat rem

Ioan. 13. *1. Cor. 4. et 11.*

cat rem ſeriò agi, ideoque & ipſe accenſus, præfectorũ veſtigijs ardenter inhæret, & magno animo illos imitatur, & nonnunquam etiam feruore ſuperat. Facilè autem omnia negligit, cùm ipſos reſupinos intuetur.
Oſeæ 4. Tuncque accidit quod Iudæis exprobratur: *Et erit ſicut populus, ſic & ſacerdos.*

Vt autem impetrandi fiduciam aleret Mardochæus, dicitur fuiſſe *memor omnium operum Domini.* In memoriam ergo reuocabat opus creationis, quo ex nihilo cuncta fecerat. Opus prouidentiæ, quo Noe ex aquis diluuij, Iacob de manu fratris Eſau, Ioſeph de carcere, Moſen ex fluuio, Iſraelem de Aegypto, Dauidem de manu Saulis, Ezechiam de minis Sennacheribi, Ionam de cœto, tres pueros de camino, Danielemque de lacu leonum, id eſt, confugientes ad ſe omnes ſeruos ſuos de præſentis mortis periculo fortiter, & præter omnem ſpem, liberauerat. Sic decet orantes ſacrarum hiſtoriarum, diuinarumque promiſſionum recordatione ſpem ſuam confirmare, ſiquidem velint
Iac. 1. ea conſequi quæ poſtulant. *Qui enim hæſitat,* nimirum de Dei bonitate, poteſtate, aut veritate in promiſſis adimplendis. *ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Et Chriſtus ait: *Quicquid orantes petitis,*
Marc. 11. *credite quia accipietis, & fiet vobis.* Hæc confirmans, ſimul ad hanc Mardochæi precem aſpiciens diuus Bernardus, ſcribit. Vt quid cunctamur abijcere omnino ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias: & huic vni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ Spei in Deum, tota deuotione animi, toto feruore ſpiritus inhęrere?
Ser. 9. ſuper Pſalm. 90.
Eſther 14. *ver.* 9. *Pſalm.* 29. *Matth.* 20. Deus verbo omnia poteſt. Quid facilius dictu? Si decreuerit ſaluare nos, continuò liberabimur. Si viuificare placuerit, vita in voluntate eius eſt. Si præmia largiri æterna, licet ei quod vult facere. &c. Sed orationis ſuæ verba reſonantem Mardochæum exaudiamus.

Ait ergo. *Domine rex omnipotens,* &c. Græcus geminatis verbis: Κύριε, Κύριε, βασιλεὺς παντοκράτωρ. Quod ante mille & trecentos annos agnoſcẽs Alexander martyr, ex duplicatis dictionibus confirmat contra Iudæos,

dæos,

dæos, diuinarum perſonarum pluralitatem, vt paulò ſupra notauimus. Et rectè planè, quoniam non ſolùm Iuſtinus martyr, Irenæus, Tertullianus, & Cyprianus, ex huiuſmodi loquendi formulis euicerunt plures eſſe diuinas hypoſtaſes, aduerſus Recutitorum blaſphemias: verùm etiam Athanaſius, Nazianzenus, Baſilius Græci; Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus Patres Latini, idem ijſdem argumētis & teſtimonijs cōfirmauerunt aduerſus Noetianos, Sabellianos & horum gregales. Quinimò Chriſtus ſe Dei Patris Filiū, & perſona diſtinctum ab eodem Patre demonſtrat ex his Pſalmiſtæ verbis: *Dixit Dominus Domino meo*, id eſt, Pater coæterno Filio, *ſede à dextris meis*, &c. *Pſalm* 109. *Matth*.22.

Iure autem orationem orditur à confeſſione diuinæ potentiæ, quoniam tantum erat periculum, vt ab homine non poſſet auerti. Inuocans itaque infinitam Dei poteſtatem, illam cum Aſſueri potentia, Hamaniſque fraudibus confert. Aſſuerus quidem potens erat, vtpotè qui centum viginti ſeptem prouincijs, à flumine Indo vſq; ad AEthiopiam imperaret. Sed hæc mera infirmitas & imbecillitas, ſi Dei omnipotentiæ comparetur. Excellit enim Dei manus vniuerſas Nabuchodonozoris, Holofernis, Cyri, Cambyſis, Xerxis, Alexandri, Auguſti Cæſaris, & omnium Imperatorum vires & copias. Nulla ſuperari poteſt gygantomachia. Homo puluis, vermis, vmbra, putredo, bulla, vapor ad modicum parens, Deo creatori ſuo collatus. Eadem fiducia decet nos orare, beneque ſperare in tantis reipublicæ, Eccleſiæque periculis, ſcientes Deum & poſſe & velle his ſuccurrere, modò toto pectore ad eum confugerimus, dicentes cum Apoſtolis: *Domine, ſalua nos, perimus*. Cum Petro naufragante, *Domine ſaluum me fac*. Et cum Dauide: *Saluum fac populum tuum, Domine, & benedic hæreditati tuæ Saluos fac filios pauperum, & humilia calumniatorem. Excita potentiam tuam & veni, vt ſaluos facias nos. Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Mitte nobis auxilium de ſancto, & de Sion tuere nos.* *Matth*.8. *Matth*.14. *Pſalm*.27. *Pſalm*.71. *Pſalm*.79.

Addit, *non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſal.*

ris ſaluare Iſrael. Quaſi dicat. Etiam ſi Satanas ipſe, Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, cum vniuerſo ſatellitio ſuo, mūdo, carne, & hominibus malis aduerſum nos inſurgeret atq; fureret; victus, proſtratus, confuſusq; tamen diſcedere cogeretur, te Iſraelem ſeruante. Quid
Iob. 1. enim aduerſus Iobum, cum ſuis calumnijs, Sabæis, Chaldæis, flammis æthereis, turbinibuſque profecit? Iuſtus his flagellis tanquam aurum in fornace probatus, eliquatuſque, purior & clarior euaſit, Satana ſuperato & pudefacto gehennam ſuam repetente. Ita & nos credere, faterique neceſſe eſt, nihil eſſe in rebus creatis, quod diuinæ voluntati aut potentiæ præualere poſſit. Accidunt quidem multa in rebus humanis, quæ Deus nec facit, nec probat, cuiuſmodi ſunt plurima & grauiſſima prauorum hominum flagitia. *Non*
Pſalm 5. *enim eſt Deus volens iniquitatem, quoniam ipſi eſt odio im-*
Sap. 14. *pius & impietas eius*; nemoque agente Deo, fit impius. Non eſt tamen putandum, Deo inuito hæc fieri: ſed occulto nobis, manifeſto autem illi iudicio ea omnia permittente, vel ad demonſtrationem potentiæ, vel iuſtitiæ, vel prouidentiæ ſuæ, quæ tanta eſt, vt
Enchyridij c.11.& 12. (Auguſtino docente) mala eſſe non fineret, niſi de his benefacere ſciret. Scribit autem Tertullianus:
Lib. de fuga cap.2. Nihil Satanæ in ſeruos Dei licebit, niſi permiſerit Dominus, vt aut ipſum deſtruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines eius fuiſſe traducat qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob,
Iob.1. cui diabolus nullam potuit incutere tentationem,
Lucæ 21. niſi à Deo accepiſſet poteſtatem. Sic & in Apoſtolos facultatem tentationis poſtulauit, non habens eam, niſi ex permiſſu. Deo autem liberante & ſeruante,
Iob 9. quis electis præualebit? *Sapiens corde eſt* (inquit Iob), *& fortis robore: quis reſtitit ei, & pacem habuit*? Et Dauid:
Pſalm.75. *Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi?* DOMINVS de-
Iſa. 47. nique magna authoritate pronunciat, *Non reſiſtet mihi homo.*

Nequaquam ergo de poteſtate Dei ambigit Mardochæus, quando conditione adiuncta, ſubiungit, *ſi decreueris ſaluare Iſrael*: ſed iudiciorum eius abyſſum tantam eſſe fatetur, vt eam penetrare non poſſit. Sic & vt te-

veteres Prophetæ de eadem ſenſerunt, dicentes: *Quis* Ioel. 2.
ſcit. ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe be- Ion. 3.
nedictionem? Et iterum. *Odite malum, & diligite bonum, &* Amos 5.
conſtituite in porta iudicium: ſi fortè miſereatur Dominus
Deus exercituum reliquijs Ioſeph. Et Petrus ad Simonem
Magum: *Pœnitentiam age, & roga Deum, ſi fortè remittatur* Act. 8.
tibi hæc cogitatio cordis tui. Poteſt enim ſummo iure vtens Dominus, non ſolùm hanc vel illam gentem perdere; ſed vniuerſum genus humanum penitus delere, aut in gehennam detrudere abſque vllius iniuria. Figulus enim eſt, qui de eadem maſſa terræ fingit ac Rom. 9. & 11.
refingit quodcunque placuerit: & nemo poteſt ei dicere, Cur ita facis? Ergo qui liberãtur, miſericordiam & gratiam agnoſcant; qui perire ſinuntur, iuſtitiam.

12. Cuncta noſti, & ſcis quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Haman ſuperbiſſimum.

13. Libenter enim pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem.

14. Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.

HIC graui Apologia, Deo nimirum ſolo cordium ſcrutatore & iudice in teſtimonium inuocato, innocentiam ſuam tutatur aduerſus praua vulgi iudicia, & morſus ſycophantarum. Eſt enim veriſimile multos Iudæos Babylonicis Perſiciſque delitijs ineſcatos, cùm intelligerent priuati odij Hamanis in Mardochæum cauſa, ſe in capitis & fortunarum periculum adductos, in virum pium ora ſoluiſſe; tanquam contumacia ſua tantum crabronẽ proteruè irritaſſet, tantæque calamitatis improbum authorem varijs maledictis probriſque proſcidiſſe ac laceraſſe. Horum itaque calumnias à ſe procul repellens, innocentiæ ſuæ teſtem & iudicem Deum omniſcium appellat, quandoquidem nihil eum lateat, nullus eum fallere poſſit. Noſti Domine, inquit, cunctos pectoris humani receſſus, noſti me nulla ſuperbia vel

arrogantia concitatum animo glorioſum illum Thraſonem,& monſtrum aulicum adorare recuſaſſe; aut populares meos temerè in diſcrimen perduxiſſe: quãdoquidem etiam nunc non detrecto vel calceos Hamanis lingere,ſi id pateretur diuina lex tua, & ſynagogæ ſalus à me poſtularet. Fateor ingenuè, fateor me ſolum,alijs omnibus in facies ſuas coram illo procumbentibus,corpore & animo erectum ſemper conſtitiſſe,nec illum adorare vnquam voluiſſe: ſed id feci timore atque reuerentia diuinæ maieſtatis tuę, alta
Exod.20. mente repoſtum habens hoc tuum mandatum, *Domi-*
Matth. 4. *num Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies*, cultu ſcilicet latriæ. Quem ſi quis vel angelis, vel hominibus, vel cælis,vel alicui creaturæ impendat,ſtatim is imminutæ maieſtatis tuæ diuinæ reus agitur.

Hoc autem Beati Mardochæi exemplo, pij omnes admonentur, dum impiorum calumnijs opprimuntur (modò conſeruatæ veræ Religionis & pietatis Deum in conſcientia verè teſtem habeant)forti & imperterrito animo ſtare, ſuamque cauſſam eidem tutò committere. Hoc enim vnicum verumq; fuit omnibus afflictis ſemper refugium.Beata Sara malè accepta ab ancilla ſua Agare,coram Abrahamo ita conqueri-
Gen.16. tur:*Iudicet Dominus inter me & te*. Et Dauid omnibus
1.Reg. 24. modis vexatus à Saule, ait ad eum, *Iudicet Dominus inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex te*.Et in Pſal-
Pſal. 34. mis. *Iudica Domine, nocentes me. Iudica me Deus, &*
Pſal. 42. *diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*. Et pijſſima Suſanna inter falſos teſtes & iudices exclamat, *Deus*
Dan. 13. *æterne qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant,tu ſcis quoniam falſum teſtimonium tulerunt contra me;& ecce morior cùm nihil fecerim horum, quæ iſti*
Hieronym.e- *malitioſè compoſuerunt aduerſum me*. Hieronymus mul-
piſt. ad Aſel- tis petitus calumnijs,in ore frequenter habebat, Antę
lam. tribunal Chriſti ſtabimus,& illic apparebit qua mente quiſque vixerit.

Monentur rurſum eodem Mardochæi exemplo ſerui Dei, longè chariorem & pretioſiorem ſibi debere eſſe religionem & pietatem,quorumlibet Principum fauore,nec vnquam eis in rebus impijs ac iniuſtis obſequen-

ſequendum eſſe; etiam ſi non ſolùm proprij capitis, verùm & totius reipublicæ periculum immineret ex eorum offenſione. Eſt enim ille Rex regum & Dominus dominantium, cui & ipſi faſces ſubmittere debẽt. Helias, Michæas, Ieremias, Machabæi extrema quæq; pati maluerunt, quàm impijs impiorum Regum placitis inſeruire: Dauid virum illũ tabernaculo Dei dig- *Pſalm* 14. num eſſe pronunciat, qui pro nihilo ducit & magno animo deſpicit hominem malignum: contra verò, timentes Dominum glorificat. Antiochum regem, cru deliſſimũq; tyrannum aſpernatus Matthatias, ait de eo ad filios ſuos Machabæos, *A verbis viri peccatoris ne* 1. *Mach*.2. *timueritis, quia gloria eius ſtercus & vermis eſt*. Herodes *Luc*.13. Galilææ rex Chriſto *vulpes eſt*, & quauis vulpecula vilior: & Phariſæi, *ſepulcra dealbata*: ſicut Præcurſori, *ſer* *Matth*. 23. *pentes, genimina viperarum*: & Paulo, Pſeudopontifex *pa*- *Matth*. 3. *ries dealbatus*. Reſpuunt certè libera ingenia impuros *Act*. 23. tyrannos adorare, aut illis per aſſentationes propudioſas obſequi, etiam ſi tumultuentur, ſcandalizentur, furant, cælum terræ miſceant, & turbent furſum deorſum omnia. Certè melius eſt, doctore Augusti- *Aug. epiſt.* no, pro veritate pati ſupplicium, quàm fœda adulatio 68. ne conſequi beneficiũ. Et Hieronymus: Vtilius ſcan- *Hier. in* 18. dalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur. *Matth.*

Attende quoque ſecretum, ſed mirabile iudicium Dei Quando decreuit debita ſupplicia ſumere de ſuperbiſſimis tyrannis, & contemptoribus diuinæ maieſtatis ſuæ, quoſdam generoſos animos excitat, induitque virtute & conſtantia planè cęleſti, qui eos deſpiciant, irritent, & præ impotentia animi inſolentiaque intumeſcere medioſque crepare faciant, vt ſic ſuperbiam illorum frangat & deijciat. *Væ*, inquit, *qui con*- *Iſa*. 33. *temnis, non & ipſe contemnêris? Cùm fatigatus deſieris contemnere, contemnêris*. Ita non ſolum Moſen conditione *Exod*. 3. 4. 5. paſtorem ouium, exulemq; conſtituit Deum Pharao- 6. *&c.* nis: verùm & ranas, & ciniphes, & pulices, & innumera alia inſecta excitauit aduerſus eundem: vt ſictã populi ſui, quàm proprias vlciſceretur iniurias. Samſoni quoq; dedit ſpiritum toties irritandi Philiſtæos, *Iudic*. 15. & quos plectere decreuerat. Goliathem bellicoſiſſimum 16.

1.*Reg* 17. gygantem, contemptibilis paſtoris funda proſtrauit:
Iudith.13. & multis victorijs ſpolijsque inſoleſcentem Holofer-
Boet. nem deiecit manu fœminea. Ad hoc pertinent iſta Boëthij: Ne ſuperes aliquid, nec extimeſcas: Exarmaueris impotentis iram. Sunt igitur expugnandi ſuperbi Lycaones iſti magnanimo animo, & contemptu ſingulari calcanda aliquoties illorum arrogantia, ſicut Beatus Mardochæus faſtum huius aulici monſtri contempſit & ſuperauit.

Nec prætermittendum, quod ſanctus vir idololatriam reputet, Tyrannis ad nutum ſeruire; & eorum procumbere, atque ſubſcribere furori. *Timui*, inquit, *ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quem adorarem excepto Deo meo*, ſi iuxta principis Aſſueri placitum, & aliorum aulicorum morem, Hamani caput inclinaſſem, aut quod exigebat venerationis detuliſſem. An non ergo nunc aulæ idololatris redundant, quando vix vllus in eis reperiatur, qui non potius Regibus & principibus obaudiat, quàm Deo? Rarus eſt in illis Calliſthenes, rarus Seneca, rarus Daniel, rarus Baptiſta, qui pro virtute & veritate illorum prauis conatibus ſeſe opponat. Dum à nobis verò de ſceleribus manifeſtis arguuntur, nihil aliud in ore habent, quã, Seruus ſum Regis. Nihil de cultu aut ſeruitio Dei. Sci-
11.*q*.3.*can.* tè autẽ Auguſt. Quiſquis metu alicuius poteſtatis ve-
Quiſquis. ritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat, quia magis timet hominem quàm Deum. Mardochæus igitur
*Li.*8.*de vict.* iuſtus in hoc facto comprobatur, ait Rupertus, legi
verbi cap.8. ſanctæ, iuſtæ, & bonæ obtemperando, cuius hoc præceptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: ac proinde beatam habet memoriam, atque exi-
Matth. 5. mius eſt inter Beatos, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, talisq; filius captiuorum dignè adeptus eſt poſſeſſionem, & coronam ciuicam in regno cælorum. Sequitur.

15. Et nunc Domine rex, Deus Abraham, miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere.

16. Ne

16. *Ne deſpicias partem tuam quam redemiſti tibi de Aegypto.*

17. *Exaudi deprecationem meam, & propitius eſto ſorti & funiculo tuo, & conuerte luctum noſtrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.*

18. *Omnis quoq; Iſrael pari mente & obſecratione clamauit ad Dominum, eò quòd eis certa mors impenderet.*

IOſephus Gorionis ita hanc partem orationis reddit Nunc autem Deus noſter, qui copioſus es ad ſaluandum, libera nos de manu Hamanis, quia imminet nobis tribulatio maxima, & nos pendemus à te, atque confugimus ad te, vt protegas nos, & ſtes in medio pugnaturus pro nobis contra omnes illos, qui ſurgunt contra nos. Recordare noſtri, quia nos ſumus pars tua ab eo tempore, quo gentes tibi in hæreditatem vendicaſti, & diſperſiſti filios hominum. Nos, inquam, facti ſumus portio tua, ceciditq; ſuper nos ſors ipſa quam proieciſti, & facti ſumus peculium tuum. Nunc itaq; Deus noſter, quare dicturi ſunt hoſtes noſtri de nobis: Non habent Deum? Aperiuntque os ſuum ad deuorandum partem tuam, & ad laudandū Deos ſuos, & vanitates ſuas? Obſecramus ergo Domine Deus noſter, vt tu ſalues nos: illi autem confundantur à vanitatibus & idolis ſuis, & ponant manum ſuper os videntes ſalutem tuam Domine, & miſericordiam erga populum tuum, atq; erga hæreditatem tuam. Ne obſtruas ora laudantium te veſpere & mane atq; iugiter, vertaturque luctus noſter in lætitiam & gaudium. Omnes etiam Iſraelitæ clamauerunt ad Dominum propter tribulationem illam & anguſtiam, qua Haman filius Hammedata Amalekites afflixit eos. Hactenus ille, & quidem ex contextu eius Hebraico: quę prolixius ideo laudamus, vt & has Eſtheris hiſtoriæ partes ab Hebræis deſumptas diſcant noui

Lib. 2 hiſtor. Iudaicarum cap. 3.

hæretici, qui eas tam proteruè apocryphas clamitant; & paraphraſeos locum obtineant.

Animaduerte porrò in primis, quanti ſemper fecerit gens Hebræorum memoriam ſanctiſſimi patris ſui ac noſtri Abrahæ, ac eius meminerit in ſacratioribus precibus ſuis apud Deum. Nouerant enim eum ampliſſimas & magnificentiſſimas promiſſiones accepiſſe ab omnipotenti Deo, quod non ſolùm eius, *Geneſ. 12. 15. 18. 22.* ſed & ſeminis quoq; ſui futurus eſſet Deus, id eſt, ſaluator & vindex: quodque eos ſua benedictione & beneuolentia complexurus erat, qui ei benedicerent, & maledicturus illis qui mala imprecarentur. Deinde, conſtanter ſibi perſuadebant, quod & ſi corpore vita iſta mortali functus eſſet; animo tamen & meritis vigeret, beneque illis à Deo communi parente iugiter precaretur. Hinc Moyſes oratione placaturus Domi- *Exod. 32.* num, ait: *Recordare Abraham, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum, &c. Placatuſque eſt Dominus ne faceret malũ quod locutus fuerat aduerſus populũ* *Lib. adu. Vigilant.* *ſuum*. Ex hoc enim loco ita concludit Hieronymus. Moſes ſexcẽtis millibus armatorum impetrauit à Do- *Act. 7.* mino veniã; & Stephanus imitator Domini ſui perſecutoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum Domino eſſe cœperint, minus valebunt? Origenes autem ſic ad eundem Patriarcham preces ſuas dirigit: *Li. 2. in Iob.* Heu mi Pater Abraham, deprecare pro me ne de finibus tuis aliener, quos valde concupiui. Probat & Aug. *Quæſt. 149. ſuper Exod.* nos releuari apud Deum ſanctorum illorum meritis quos Deus diligit, cùm merita noſtra nos grauant, ne diligamur à Deo.

Quinetiam Hebræi ad hunc vſq; diem defunctos *In officio lugentium.* ſuos ſic Abrahæ, & reliquis ſanctis Patriarchis ſepultis in Hebron, commendant: Patres ſeculi qui dormitis in Hebron, portas horti Eden (1. Paradiſi) aperite illi, atq; dicite, In pace veniat. Colles æterni de ſpelunca duplici (1. Abraham, Iſaac, & Iacob) portas Paradiſi Eden patefacite illi, ac dicite, Aduentus ipſius eſto in pace. In alijs quoq; precibus, his verbis per ſanctum Abraham & alios diuos Deum inuocant. Domine fac (miſericordiam) propter inquilinum Abrahã perfectum

ſectum tuum,& parce Iſraeli populo tuo Domine, fac propter vinctum in veſtibulis (1. monte Moria) tuis Iſaac, & parce Iſraeli populo tuo. Domine, fac propter exauditũ in ſcala de excelſo tuo, (Iacob) & parce Iſraëli populo tuo. Domine, fac propter meritũ Ioſeph, & parce Iſraëli populo tuo, &c. Sic igitur inuocatio Sanctorum doctrina verè eſt Catholica, id eſt, vbiq;, ſemper, & ab omnibus orthodoxis credita & confirmata, frendeant licet veteres & noui Vigilantiani.

Attende etiam quanto amore & ſtudio Rempublicã populi ſui, adeoq; ſtatũ veteris illius temporis Eccleſiæ ſartum tectumq́; cupiat eſſe vir pius. Siquidẽ eius cauſam in ſe ſuſcipit tanta charitate & ſedulitate, vt ſui ipſius videatur oblitus, quaſi dicat. Non mihi ſolum, ſed & toti ſynagogæ tuæ ſanctæ, infeſtus eſt hic ſæuus & barbarus Haman; quinetiam te Dominum Deum noſtrũ petunt eius conatus. Quid enim? Nonne tui ſumus? Nonne oues paſcuæ tuæ? Nonne opus manuum tuarum? Nonne peculium tuum, hæreditas tua, primogenitus tuus, funiculus hæreditatis tuæ? Itaq; memor promiſſionum, memor miſericordiarum tuarum quæ à ſeculo ſunt; populum tuum ab infeſtiſſimis & potentiſſimis hoſtibus libera, gregem à luporum rabie potẽter eripe, & dextera tua glorificetur in nobis, vt ſuperſint qui narrent mirabilia tua, ſanctiſſimumq́; nomen tuum adorent atq; inuocent. In his autem paſtoribus præfectiſq́; populi diuini exemplũ relictum eſt, vt omni tempore feruentibus precibus inſtent apud Deum pro ſalute commiſſi ſibi populi. Sicut Dauid rex idemq́; Propheta rogabat: *Super populum tuum benedictio tua. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. Benefac Domine, bonis, & rectis corde. Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te*. Laudatur & Ieremias, quòd non ceſſaret orare pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate. Chriſtus etiã orauit pro Apoſtolis ſuis, & pro his qui per verbum eorum credituri erant, &c.

Pſal. 3. *Pſal. 27.* *Pſal. 124.* *Pſalm. 121.* *2. Mach. 15.* *Ioan 17.*

Perſpice quoq;, hoſtes populi diuini etiã ipſius Dei viuentis hoſtes & eſſe & verè appellari. *Volunt*, inquit, tanquã nefarij violentiq; prædones, *hæreditatem tuam diripe-*

diripere atque delere. Itaque ne deſpicias partem tuam, & propitius eſto ſorti tuæ. Volunt claudere ora canentium te. Non nos igitur tantùm petunt, ſed & cultum tuum, legem tuam, templum tuum, ſacrificia tua, & quicquid ſanctum legitimumque reuelaſti, docuiſti, præcepiſti, vt ſeruiamus tibi. Quàm verò tetrum, horribile, & deteſtandum ſcelus ſit, more antiquorum gygantum, aduerſus Deum omnipotentem bello inſurgere? Murmurantibus Iudæis contra Moſen & Aaronem

Exod. 16. dicitur: *Audiui murmur veſtrum contra Dominum: nos verò quid ſumus quia muſſitaſtis contra nos?* Et Samueli dixit

1. Reg. 8. Deus: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et Da-

Pſal. 16. uid orat: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ,* id eſt, Saule & ſatellitibus, *cuſtodi me vt pupillam oculi.* Et aduerſus templi

Pſal. 73. prophanatores inſurgens, *Gloriati ſunt* (inquit) *qui oderunt te, in medio ſolennitatis tuæ. Exurge Deus, iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum. Ne obliuiſcaris voces inimicorum tuorum. Leua manus tuas in ſuperbias eorum, &c.* Paulo deniq; adhuc perſecutori ab æterno Dei Fi-

Act. 9. lio dicitur: *Cur me perſequeris?*

Diligenter præterea expende cauſam, propter quam vnà cum toto populo liberari poſtulat, nimirum ad celebrandum nomen Dei, & cultum eius propagandum & aſſerendum: non vt bonis ac voluptatibus huius vitæ ſecurius aut diutius perfruatur. Ait enim: *Conuerte luctum noſtrum in gaudium, vt viuentes laudemus te.* Hic vnicus ſcopus, hæc ſola expetitæ liberationis ratio: non alia de cauſſa diutius viuere cupio, aut Iſrae-

Pſal. 113. lem ſeruari. Sic etiã Dauid: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui*

Pſal. 117. *viuimus, benedicimus Domino.* Et iterum. *Non moriar, ſed*

Iſa. 38. *viuam: & narrabo opera Domini.* Ezechias quoq;: *Infernus non confitebitur tibi, neq; mors laudabit te. Viuens, viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie.* Nam viuentes hìc aliis prædicant mirabilia diuina, aliosq; verbo & exemplo ad id fidei officium permouent: qui autem hac vita functi ſunt nobiſcum non colloquuntur, nec publica inter nos confeſſione diuinas laudes per-

Eccle. 17. ſonant. Scribit quoq; Sapiens. *A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio Confiteberis viuens, viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum.*

His

His ergo Mardochæus non ſolùm orauit, ſed & exorauit Dominum, & non ſolus ipſe, verùm etiam vniuerſus populus liberatus; imò & magnificè toto Perſarum imperio exaltatus & glorificatus fuit, luctu verè in gaudium conuerſo. Nam Haman cum omnibus filijs de infelici (vt poſtea dicetur) arbore pependit, *Eſther. 7.* incidens in foueam quam fecerat. Sic Dominus prope eſt omnibus qui inuocant illum in veritate. *Voluntatem timentium ſe facit, deprecationem eorum exaudit, & ſaluos facit eos.* *Pſalm.144.*

Vtinam, iterum autem vtinam, in tanto reipublicę noſtræ, ac Religionis Catholicæ periculo, hoc Beati Mardochæi exemplo Eccleſiæ proceres permouerentur, & communi malorum ſenſu tangerentur. Tum enim vniuerſi ad clementiſſimum communemq́; Patrē cæleſtem ſeriò clamaremus: *Domine Deus, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & ſi decreueris ſaluare nos, continuò liberabimur.* Tu Pater optime & maxime, vides de cælis hæreticorum conatus, apoſtatarũ audis blaſphemias, proditorum politicorum noſti praua conſilia. Celebrantium nomen tuum piorum Catholicorum gregem perdere, & memoriam delere nituntur: Doctorum, qui ſeſe muros opponunt pro domo tua, id eſt, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, ora claudere conantur: pro fide Patrum, & Apoſtolorum ſacris traditionibus profanas nouationes, imò teterrimas veterum hæreticorum blaſphemias magno molimine inuehunt: tu autem ſolus potes his afflictis rebus noſtris opem ferre. Impera ergo, & fac tranquillitatem. Propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius eſto nobis propter nomen tuum, &c.

AN LICEAT pijs viris dum à Tyrannis opprimuntur, ab illis ad diuinum tribunal, certo etiam tempore ſignato, prouocare?

QVandoquidem & præſenti & ſequenti capite conſpiciamus Mardochæum & Eſtherem in extremo diſcrimine conſtitutos ad Deum con-

fugere, nec ſolùm in paternum eius ſinum ſuas anguſtias effundere; verùm etiam diuinum eius auxilium, patrocinium, & iudicium aduerſus Hamanem & ſatellites eius toto pectore implorare: nec importunum nec inutile erit hoc loco inueſtigare, An ſanctis viris contra omne fas & ius oppreſſis liceat, ab hominum iniuſtiſſima crudelitate ad diuinum iudicium, etiam certo tempore ac die illis deſignato, appellare? Et quia pro vtraque quæſtionis parte nec leuia nec contemnenda proferri poſſunt argumenta, ab his exordiemur, quibus negans ſuaderi poteſt.

Primò, Scripturæ diuinæ non ſimpliciter tantùm, ſed & cum acerbis imprecationibus huiuſmodi prouocationem prohibent, dicente Propheta: *Væ deſiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? Dies Domini iſta, tenebræ, & non lux.* Die porrò Domini vulgata Scripturæ phraſi, dies eſt iudicij vel communis vel ſingularis, quo in vnumquemque inquiritur.

Amos 5.

Secundò, Ieremias inter conqueſtiones ſuas de violentis hominibus ait ad Dominum: *Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum in conſpectu tuo fuit.* Quis verò hic dies hominis, niſi vitæ extremus, quo cuiq; redditur iuxta opera ſua? Quamobrem non deſiderauit illum irriſoribus & contemptoribus Dei, cuius verba prædicabat, ſi rectè aliquando exoptari poſſit?

Ierem. 17.

Tertiò, non poteſt dies dici alicui ante diuinum tribunal, niſi mortis eius deſiderio. At verò proximis noſtris nec optanda nec inferenda eſt mors.

Quartò, qui diem hoſtibus ſuis dicunt coram Diuino conſpectu, ad id ex impatientia illatorum ſibi malorum commouentur: nec patienter ferre volunt quo uſque adueniat de cælis Chriſtus iudicaturus viuos & mortuos.

Quinto, priuatæ etiam vltionis affectu ad hoc ipſum impelli videntur; quo nimirum ad alterius ſeculi prouocant tribunalia, cùm in huius ſubſellijs, vlciſci ſe nequeunt de oppreſſoribus.

Sextò, huiuſcemodi interceſſione ac prouocatione

vti non poſſunt, niſi maxima innocentiæ ſuæ animo concepta ſecuritate & confidentia. At, quis coram diuino tribunali verè innocens & labe purus; cũ neque cæli mundi ſint in conſpectu eius? Num omnes natura Filij iræ, ac mortis?

Septimò, talis appellatio etiam aduerſus primum maximumq́ue totius Legis ac Euangelij præceptum, quod eſt de dilectione proximorum noſtrorum ſicut nos ipſos, multis modis pugnare videtur: quandoquidem & huius vitæ immaturus dies, & durum iudicium, & violentiæ ſupplicium ei qui offendit deſideratur.

Octauò, aduerſatur quoque diuinis præceptis de inimicorum dilectione, quibus iubetur: *Diligite inimi-* Matth. 5.
cos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Et Apoſtolus ait: *Vide-* 1. Theſſ. 5.
te, ne quis malum pro malo reddat: ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini inuicem, & in omnes. Nam id non obſeruant, qui hominem extinctum, & coram Deo pro immanitate & iniuſtitia ſua pudefactum & damnatum cupiunt.

Nonò, nec Chriſti ſupremi omnium Sanctorum pa- Epheſ. 5.
ſtoris ac ducis veſtigia, iuxta ſanctorum Apoſtolo- 1. Petr. 2.
rum præcepta, ſequuntur: quippe qui *cùm maledicere-* 1. Ioan. 2.
tur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tra- 1. Pet. 2.
debat autē ſe iniuſtè iudicanti: deniq; vltima de cruce trahens ſuſpiria pro ſalute crucifigentium, & omnibus modis inſultantium ſibi Patrem interpellauit.

Decimò, Beatiſſimi protomartyris Stephani verè Act. 7.
Chriſtianum exemplum non imitantur, ſed paruipendunt. Ille quippe eximia charitate rogauit moriendo, ne Dominus oppreſſoribus ſuis ſtatueret necis ſuæ peccatum: hi verò percupiunt hoſtes ſuos citò citius dijudicari atque puniri.

Vndecimò, toto, quod dicitur, cælo, à ſanctiſſimi Pauli imitatione recedunt: cùm hic cuperet *anathema* Rom. 9.
eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis ſecundũ carnē, id eſt, Iudæis, qui cũ incredibili pertinacia vbiq; ad necē quærebāt, vt eos corporibus & animis tandē conſpiceret ſaluos: hi verò queruloſi perſecutores ſuos maturè ex hac

luce

luce eximi cupiunt, vt coram Deo illos coargui, confundi, ac in æternum pereuntes intueantur.

Poſtremò, nullum (quod nunc occurrat memoriæ) extat veterum martyrum, tametſi diriſſima & iniuſtiſſima quæque paſſi ſint, exemplum; quo doceamur, vel impijs Tyrannis, vel horum miniſtris & carnificibus diem coram Deo omnipotenti dicere: vt noſtra innocentia, illorum autem improba crudelitas comprobetur. Contra verò de illis canit Eccleſia: Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur reſonat, non querimonia: ſed corde tacito, mens bene conſcia conſeruat patientiam. Adeo de quibuſdam

Apolog.1. eorum refert Iuſtinus martyr, quod ſupplicijs adiudicati, Iudicibus tantùm dixerint: Gratias habemus, quod per vos à duris & moleſtis dominis erepti, ad

Lib. ad Scap. optimum & cæleſtem Patrem mittimur. Et Tertullianus: Magis damnati, quàm abſoluti gaudemus, &c. His itaq; ſatis effici videtur, vt nullus ad iſtas prouoca

Luc.21. tiones animum rectè adhibere valeat: ſed in patientia

1.Pet.4. poſſidentes animas noſtras, eaſdem commendemus fideli Creatori: nihil ambigentes, pro Chriſto patien

Matth.5. tibus copioſam in cęlis mercedem repoſitam eſſe. Atque hæc pro parte negante ſufficiant.

Affirmantem porrò fulciunt & Scripturarum diuinarum clariſſima teſtimonia, & ſuadent hiſtoriarum plurima eademque grauiſſima exempla. Primò enim Dauid multiplici iniuria & violentia per Saulem afflictus ac penè oppreſſus, illum coram Deo citans excla-

1 Reg 24. mat: *Iudicet Dominus inter me, & te: & vlciſcatur me Dominus ex te, &c.* Nec vana fuit hæc prouocatio: quando paulò poſt hic à Philiſtæis acie victus, & ſagittis vulneratus, ne in manus eorum viuus incideret, proprio ſe ferro tranſuerberauit.

Secundò, adhuc euidentior eſt hæc Zachariæ Ponti-

1.Reg 31. ficis, cùm ingratiſſimi Regis Ioas præcepto in atrio tēpli lapidaretur, ad Diuinum iudicium appellatio: *Videat Dominus, & requirat*: quoniam ſuo euentu non ca-

2.Paralip.24 ruit. Anno namque vix exacto, & Principes regij, qui huic iniuriæ conſenſerant, gladio Syrorum trucidati, & Rex magnis cladibus afflictus in lectulo à ſuis

mul-

multis vulneribus confoſſus, ſimul cum aulicis ad Diuinum tribunal raptus eſt, dicturus de proprijs factis rationem.

Tertiò, ſeptem fratres Machabæi pro patrijs legibus ab Antiocho omni diritate & crudelitate vexati, eidem non obſcurè diem coram Deo dicebant, inquientes: *Dominus Deus aſpiciet veritatē, &c. Videbis magnam poteſtatem Dei, qualiter te & ſemen tuum torquebit, &c. Tu non effugies manum Dei, &c.* Nam appellationes iſtas de cælo comprobans, manifeſta Dei vltione perijt. *2. Mach. 7.*

Quartò, non modò Paulus de Alexandro ærario conqueritur dicens, *Reddat illi Dominus ſecundum opera ſua*: verùm & beatorum martyrum animæ ad eundem contra ſuos oppreſſores vociferant: *Vſquequo Domine, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?* Differtur autem tantùm, non damnatur hæc eorum prouocatio. Quin etiam Chriſtus ipſe ab iniurijs Iudæorum, ad Patris iudicium appellans ait: *Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet.* Ab his ſacris diuiniſque teſtimonijs, nunc ad graues planeque memorabiles hiſtorias accedamus. *2. Tim. 4.* *Apocal. 6.* *Ioan. 8.*

Quintò igitur loco, Nauclerus, non obſcurus author, refert Fernandum Legionis & Caſtellæ regem, duos nobiles ex Caruaialorum familia, de proditione ſibi ſuſpectos, ſed inauditos, præcipiti iudicio, de altiſſima rupe deturbari iuſſiſſe. At illi præcluſam ſibi defenſionem, & præſentem mortem cernentes, Chriſto æquiſſimo iudici cauſam ſuam commendârunt, & ad eius tribunal intra trigeſimum diem Fernãdum regem citauerunt. Nec inanis fuit eorum prouocatio; quoniam trigeſima poſt die, morte percuſſus coram diuino iudice euocatus fuit. Hanc eandem hiſtoriam ex hiſtoriarum Hiſpanicarum tomo priore; Michaële Ritio, & Fulgoſio, ante nos retulit vir perdoctus & pius F. Mauritius Hylaretus, cuius anima ſempiterna luce fruatur. *Concione in Dom. Paſſ.*

Sextò, ſcribit idem Fulgoſius, equitem Neapolitanum cum reliquis Templarijs confratribus ſuis, ad ſupplicium raptum, Clemẽtem ſextum, & Philippum Pulcrum Franciæ regem, quorum authoritate neca- *Lib. I.*

bantur, de feneſtra proſpectos, ad eos exclamaſſe: Quando mihi inter mortales nullus iam ſupereſt ad quem appellem, ad iuſtum iudicem Chriſtum, qui nos redemit adpello; ante cuius tribunal vt intra annum & diem vos ibi ſiſtatis, vbi cauſam meam exponam: Intra verò annum vterque rationem Deo redditurus mortuus eſt.

Septimò, author eſt Ioannes Pauli, Rudolphum Auſtriæ Ducem, Equitem auratum damnaſſe, vt ſacco incluſus mergeretur. Eques autem conſpecto prius Duce exclamauit: Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal intra annum te voco. Ille irridens reſpondit: Bene, præito: ego tum adero. Exacto tempore, incidens in febrim, appellationis recordatus, ſeruis dixit: Tempus mortis meæ inſtat, ad iudicium eundum: & ſtatim obijt.

Hiſt. de Europ. cap. 41. Octauò, ex hiſtorijs Britanniæ Armoricæ recitat AEnæas Syluius, Franciſcum illius Ducem, fratrem ſuum Aegidium læſæ maieſtatis falsò accuſatum in carcere necaſſe. Hic paulò ante mortem, conſpectò Franciſcano, adiurauit eum, vt ad fratrem Ducem renunciaret, quatenus intra quadrageſimum diem ad Dei tribunal ſe ſiſteret. Franciſcanus abiens ad Ducem in finibus Normanniæ, fratris mortem & appellationem denunciat. Dux territus illicò malè habere cœpit, & creſcente in dies morbo, ad condictum diem expirauit.

Nonò, ſcriptore Nauclero, Henricus Moguntinus Archiepiſcopus, aliquot criminibus falsò delatus, & propterea duorum Cardinalium pecunia corruptorum ſententia Pontificatu ſuo abdicatus, mœrore confectus, moriens ad iuſtum iudicem Chriſtum appellauit. Audita eius morte, alter Cardinalium in latrinis expirauit: alter manus rabie corrodens viuere deſijt: vterque Deo facti ſui rationem redditurus tam breui fatis conceſſit.

Lib. 21. anthropologiæ. Decimò, teſtatur rurſum Volaterranus; quendam Gualtherum Franciſcum propter excellentis

doctri-

doctrinæ & ſanctitudinis famam, in Epiſcopum Pictauorum aſſumptum, pro iure Eccleſiæ ſuæ ſeruando in litem incidiſſe cum eo Burdegalenſi Epiſcopo, qui paulò poſt Pontifex Clementis quinti nomen aſſumpſit. Hic Gualtherum Epiſcopatu ſuo deiecit: qui hanc iniuriam æquò animo aliquandiu ferens, tandem cùm ex hac vita euocaretur, ſuper ſepulcrum ſuum apponi curauit: Ad iuſtum Dei iudicium appello. Quod cùm legiſſet Clemens, expauit, & non multum poſteà hoc ſeculum deſeruit.

Vndecimò, & hanc rurſum ex Fulgoſio hiſtoriam adijciam. Temporibus noſtris, ait, cùm Genuenſium triremes aduerſus Piratas inſtructæ biremem Cathalaunam cepiſſent; huius rectorem furcis noctu appenderunt. Is pro iniuria ſibi facta ad Deum appellauit, citato Patrono Genuenſium vt intra ſextum menſem coram Deo compareret: iuxta quod tempus hic Patronus morte ſublatus eſt. *Lib. 1. cap. 6.*

Ac vt finem huic negotio imponamus, Duodecimo loco, ſcribit Dion Caſſius Adrianum Imperatorem; quendam Seuerianum iuſſiſſe occidi: qui antequam iugularetur, ignem popoſcit; & accenſo thure, Vos inquit, ô Dei, teſtor, me nihil mali commiſiſſe: de Adriano hoc tantum imprecor, vt cùm mori cupiet, non poſſit. Porrò Adrianus poſt morbum, ſępius fruſtra inuocata morte, ſępe etiam ſeipſum occidere voluit. Extat eius Epiſtola, quæ hoc ipſum ſignificat. Scribit enim: Quàm miſerum eſt mortem optare, & mori non poſſe. Ac de his iam ſatis. *Dion Caſſ.*

Quæſtionem itaque verè Theologicam & raram huc uſque in vtramque partem facilius, fateor, diſcuſſimus, quàm poſſimus diſſoluere. Quis enim de tam abditis, ſecretis, & obſcuris diuinis iudicijs audacter pronunciaret? Aut in vtramque partem producta Scripturarum ac hiſtoriarum teſtimonia contemnet, vel facilè ſoluet? Ne tamen omnino maneat anceps, cum Diuini iudicij timore ac reuerentia, paucis ſubijciemus quid de illa videatur. Ac primùm quidem, conſtat pleroſque Principes & Magiſtratus eò

dementiæ perueniſſe, vt ſibi omnia licere putantes, homines quos oderunt, vel inſontes, & ad Diuinum tribunal appellantes, crudeli ac inexorabili decreto morti tradiderint, ac etiamnum adhuc tradere. At, Deus, qui iniuſtè oppreſſos reſpicit, & in amaritudine animi ſuſpirantes ad ſe exaudit, ſui denique tam gyganteum ac præfractum contemptum nunquam inultum ſinit; illos coram ſe rationem reddituros, & contumaciæ mercedem accepturos, etiam deſignato ab oppreſſis tempore, non rarò ex hoc ſeculo vocat: tum vt inſanam & impiā eorum crudelitatem vlciſcatur, tum vt prouidētiæ ſuæ atq; iudicij futuri aduerſus mūdi Epicureiſmū manifeſta exerat indicia, aliorumque ſimilium violentorum ac immanium hominum audaciam reprimat. Scitè ergo & grauiter ſcriptum eſt à Niceta, Extremæ inſaniæ eſſe, illos vel obiurgare, vel iniurijs laceſſere, qui ad Deum confugiunt: eoque intercesſore & defenſore perſequutionum remedium quærunt.

Deinde, cùm exitus planè diuinus & ſtupendus huiuſmodi prouocationum & appellationum acta tam frequenter probauerit; illas ſanè reprobare aut prohibere non auſim; præſertim ſi abſque impatientia, deſperatione, iracundia, perturbatione animi, & priuatæ vltionis cupiditate fiant: contra verò recti bene conſcia ſit mens, etiam coram Deo, cuius potius gloria, quàm propria & humana quæratur. At, quis filiorum Adæ his næuis omnino caret etiam moriendo; niſi CHRISTVM, Prophetas, Apoſtolos, & forſan Martyres multos exemeris? Horum itaque laudabilem vereque Chriſtianam patientiam mihi ſatius imitandam propoſuerim, quantumuis ab hominibus iniquis vexarer, præſocarer, diſcerperer; quàm tam graues querelas in cælum emitterem.

Conſulerem denique Principibus ac Magiſtratibus, vt omni poſita odij ac vltionis paſſione, contra verò aſſumpta Diuini iudicij, cui & ipſi aliquando ſunt ſiſtendi, reuerentia & formidine; ab iſtiuſmodi prouocantium & appellantium nece ad tempus

pus abſtinerent : & intentatam aduerſus eos litem ab ouo reſumentes, omni diligentia & fide iterum iterumque cuncta perquirerent, explorarent, atque perpenderent, antequam illi ad extremum ſupplicium raperentur. Meminerint itaque rerum capitalium præfecti, & omnes Magiſtratus grauiſſimæ huius beati regis Ioſaphat ad Iudices à ſe conſtitutos orationis & exhortationis. *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum: cum diligentia cuncta facite: Non eſt enim apud Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Atque hæ ſunt, quæ de propoſita quæſtione dicere potuimus: ad beatæ Eſtheris orationem, quæ decimo quarto capite relegata fuerat, nunc ſuo loco inſerendam & examinandam redeamus. *2. Paral. 19.*

SEQVITVR apud Ioſephum filium Matthathiæ, Ioſephum Gortonis, & Græcum interpretem, Eſtheris reginæ oratio, quæ ad finem vulgatæ lectionis Latinæ caput facit quartumdecimum, beato quoque Hieronymo adſentiente: quam & nos breui nunc perſtringemus.

LIBRI ESTHERIS CAPVT DECIMVM QVARTVM.

1. *Eſther quoque regina confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat.*

2. *Cumq́; depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis varijs cinere & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiunijs: omniaq́; loca in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.*

DVAE porrò ſunt præcipuæ huius capitis partes. Prior continet formas ritusque, quibus Eſther luctui & orationi ſeſe comparauit. Poſterior, ipſam orationem: vel potius prolixioris ſupplicationis, quæ eſt apud Ioſephum Gorionis, compendium: ſicut & ſuperioris orationis Mardochæi. Legit autem Gorionis filius: Sed & regina Eſther confugit ad miſerationes omnipotentis, territa propter exortum malum. Græcus autem interpres, ἐν ἀγῶνι θανάτου κατειλημμένη, in certamine mortis deprehenſa.

Lib. 2. rerum Iudaic. cap. 3. 4.

Ex quibus primùm vides, quàm incertum ac breue ſit gaudium huius ſeculi. Hæc enim paulò ante in gynæceum gratioſè ſuſcepta, dein à potentiſſimo Imperatore adamata ſuper omnes mulieres, poſtremò diademate redimita & in regni conſortium gloriamque aſſumpta, omnē gaudij ac lætitiæ rationem cōſequuta videbatur. Nunc verò lamentis lacrymiſq; muliebriter ſeipſam dedere compellitur, vtpotè quę etiā ipſa nō de fortunis tantū, ſed & de capite periclitaretur. Scitè ergo Bernardus ſcribit. Illud eſt verum ac ſummū gaudiū, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur: quod cùm acceperis, nemo tollet à te. Huic aliunde comparata omnis iucunditas, mœror eſt: om-

Bernardus.

nis

nis ſuauitas,dolor eſt:omne dulce,amarum eſt; omne decorum,fœdum eſt:omne poſtremò quod delectare poteſt,moleſtum eſt.

Perſpicis deinde,etiam ſanctos ac electos quamdiu ſunt in carne,propoſita ſibi facultatum, honorum, vitęque huius detrimenta reformidare:nec adeo Stoicam illam indolentiam induiſſe,vt ad mortis imaginem non turbentur ac conquerantur grauiſſimè.Senſus enim etiam externis ex malis, homines quantumuis pios ac doctos mordicat:nec eos finibus naturę expellit pietas vel doctrina. Fratris ſui Eſau minas Iacob pertimuit: Moſes ira Pharaonis territus quadraginta annis in Madian latuit: Dauid ficta mentis amentia è manibus Philiſtinorum euaſit: Ananias Saulùm perſecutorem exhorruit: Chriſtus denique totius virtutis exemplar luc idiſſimum, morti vicinus,cœpit pauere,tędere,ac mœſtus eſſe:quod & Apoſtolis non diſſimulanter enuncians dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Nihil ergo mirum vel abſurdum,ſi vnius mulierculæ animula,inter tot gemitus planctusque virorum, mortis imminentis terrore concuſſa ſit:præſertim cùm ſexus ille natura formidoloſus & timidus exiſtat. Verùm,quibus modis ac ritibus publicũ luctum deprecationemq; auſpicata eſt?

Geneſ.32. *Exod.2.* *1.Reg 21.* *Actor 9.* *Matth.26.*

Primò,*depoſuit veſtes regias, & fletibus ac luctui apta indumenta ſuſcepit.* Ioſephus Gorionis:Abiectis indumentis regijs,& ornamentis glorioſis,induta eſt ſacco & cinere,&c.Græcus interpres,ἐνεδύσατο ἱμάτια στενοχωρίας καὶ πένθους, induit veſtes anguſtiæ & luctus. Cæterum,per affectus acres lætitiæ veſtes aut ponere,aut lacerare,& lugubres pro eis aſſumere ad manifeſtandam cordis anguſtiam,intimumq; animi mœrorem ac dolorem,non ſolùm Iudæis, verùm etiam Ethnicis ſolenne ac vulgatum fuit,vti ſupra latius oſtendimus,Cap.4.verſ.1.& 2. Tantùm hîc addo,Dauidem audita Abneris proditoria morte,dixiſſe ad omnem populum qui erat cum eo: *Scindite veſtimenta veſtra,& accingimini ſaccis,& plangite ante exequias Abner,*quod & oẽs fecerunt;his externis ſignis internum ſpiritus dolorẽ teſtificantes. Apud Vergiliũ legimus *2.Reg.3.*

 Lati-

Latinum regem lacerum inceſſiſſe. Enimuerò ſolatium quoddam doloris eſt, liberè egerere dolorem, atque ἀφθόνως lacrymis ægritudini litare. Docet itaque hoc exemplo, veram ad Deum orationem ſui mundique contemptum requirere. Fieri etenim nequit, vt qui mundi vel ſui amore nimio adhuc irretitus & captus eſt, toto corde animoque feratur in Deum: aut vt is, qui vera prece Deó colloquitur, inanem veſtium gloriam anxius quærat, ac ſuperfluis huius mundi gaudijs voluptatibuſque delectetur. Nouit enim Dominum non reſpicere, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones ſuos. Ait namque Pſaltes: *Prope eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit.* Hinc Iſaias: *Domine, in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina* (id eſt diſciplina, & correctio) *tua eis eſt.* Et Baruch in modum Eſtheris orans, dicit: *Et nunc Domine omnipotens, anima in anguſtijs, et ſpiritus anxius clamat ad te: audi Domine, & miſerere, &c.*

Iſaiæ 66. *Pſalm. 33.* *Iſaiæ 26.* *Baruc. 3.*

Hunc mundi ſuique contemptum multo adhuc magis declarauit Eſther oratura, quando *pro vnguentis varijs, cinere & ſtercore impleuit caput ſuum.* Græcus. Pro ſuperbis delectationibus. Nō quòd humillima ancilla Dei propter adeptam dignitatem regiam animo elata, aut fœdis voluptatibus aliquando dedita fuerit: ſed quòd neceſſitati ſeruiens, vnguentis pro more patriæ & gentis nonnunquam vſa fuiſſet: quibus Regem eundemque maritum nouerat delectari. Hæc autem tempore luctus & orationis procul à ſe abijciens, ſparſos (ait Ioſephus Gorionites) crines capitis ſui impleuit cinere & puluere, quo magis magiſque ſibi ipſi vileſcens, Deo fieret commendabilior, & auxilium eius facilius promptiuſque impetraret. *Humiliatus ſum* (ait Pſaltes) *& Dominus liberauit me.* Et alibi: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies* Et beata Iudith: *Nec ſuperbi ab initio tibi placuerunt Domine: ſed humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.*

Pſalm. 114. *Pſalm. 50.* *Iudith. 9.*

Ad hæc, *corpus ſuum humiliauit ieiunijs*, nimirum vt mens purior ac liberior ſeipſam totam colligens, ardentius ferretur in Deum. Enimuerò Prophetæ & alij

ſerui

ſerui Dei orationes ſuas à ieiunijs & abſtinentia ſemper ſunt auſpicati. *Humiliabam* (ait Dauid) *in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo* (id eſt, in commodum & fructum meum) *conuertetur* Niniuitæ, Achab, Eſdras, Daniel, Iudith, & plerique alij orationibus ſuis ieiunia coniunxerunt. Ideoque ſcribit Bernardus. Oratio iuſti penetrat cælos. Sint ergo ieiunio noſtro, vt facilè cælos penetrent duæ alæ, orationis ſcilicet atque iuſtitiæ.

Pſalm 34. *Ion.* 3. 3. *Reg.* 21. 1. *Eſdr.* 9. *Daniel.* 9. *Eccli.* 35.

Additur tertiò. *Omnia loca, in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.* Ioſephus Gorionis. Sparſit huc & illuc crines capitis ſui q. d. Illorum decenti compoſitione neglecta, per humeros, pectus, brachiaque defluere permiſit. Græcus interpres. ϛρεπ-τῶν τριχῶν ἀυτῆς, Laceratis, alij, tortis capillis ſuis. Hic ritus tametſi agreſtis & durus videatur, vſitatus tamen fuit in populo Hebraico, ad teſtificandum maximum intimumque cordis dolorem, veluti apud Eſdram legitur. Audiens enim & populum, & principes, & ſacerdotes ſeipſos cum gentilibus nuptiarũ commixtione commaculaſſe, *Scidi* (inquit) *pallium meum & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mœrens.* Et idem rurſum: *Mox vt audiui, conſcidi veſtimenta & ſacram tunicam, & laceraui capillos capitis, & barbam, ſedi dolens & mœſtus.* Ieremiæ quoque ac Ezechieli præcepit Dominus capillos ſuos tondere, in publici ſummique luctus argumentum. Iob audita omnium fortunarum ſuarum direptione, & liberorum crudeli per Satanam nece, ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite, corruit in terram præ animi dolore ac mœſtitia. Grauiſſimo admiſſorum peccatorum mœrore affecta mulier peccatrix, capillis ſuis velut linteo vſa, pedes Domini deterſit. Cùm itaque de capillitij colore, ornatu, compoſitione, mulierculæ præſertim, gloriari ac ſuperbire ſoleant; poſtremæ abiectionis & afflictionis argumentum publicum Eſther oſtenſura, pilorum partem lacerat, partem incompoſitam & neglectam ſparſamque ſinit.

Lib. 2. *rerum Iudaic. ca.* 3. 1. *Eſdr.* 9. 3. *Eſdr.* 8. *Ierem.* 7. *Ezech.* 5. *Iob.* 1. *Lucæ* 7.

Vulgare quoque iſtud inter Ethnicos fuit. Curtius namque ait, Darij matrem, audita mortis filij ſui fa- *Lib.* 10.

ma, laceratis crinibus, ſciſſaque veſte, humi corpus abieciſſe. Perſas etiam mortuo Alexandro, comis ſuo more detonſis, eum vero deſiderio luxiſſe. Herodotus author eſt eoſdem præ luctu & deſiderio Maſiſtrij, qui in acie Platæenſi ceciderat, & ſeipſos, & equos, & iumenta totondiſſe, quod & Plutarchus agnoſcit. Homerus etiam ſcribit Agamemnonem præ luctu ſcidiſſe intonſam comam. Quinetiam inter multos eorum receptum fuit, amicorum ſuorum ſepulcra cæſa coma munerari, imò eandem & mortuis inferri. Hinc apud Naſonem: Fratri impoſuêre capillos ſectos. Seneca in Hippolyto moriturae Phædræ hęc verba tribuit: Capitis exuuias cape, Laceræque frontis accipe abſciſſam comam. Electra quoque Euripidis ait: O Pater, tibi luctus ſubtus terra pando, quibus aſſiduis quotidie indulgeo, Charam vnguibus lanians ceruicem, manumque capiti comæ populatricem immittens, ob mortem tuam. Rurſum idē in Iphigenia, & in Oreſte. Meminerunt huius ritus Sophocles & alij. Hæc de ritibus, nūc orationē ipſam audiamus.

Lib. 9. *Lib. 3. Meta.* *Seneca.* *Eurip.*

3 *Et deprecabatur Dominum Deum Iſrael, dicens: Domine mi, qui Rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitariam, & cuius præter te, nullus eſt auxiliator alius.*

4 *Periculum meum in manibus meis eſt.*

HAC ſecunda parte capitis refertur Eſtheris reginæ humillima ferùensque oratio: cuius articuli ſunt iſti Primùm enim pro ſeipſa ſingulariter precatur: deinde, commemoratione beneficiorum diuinorū erga Iſraelem, ſpem ſuam confirmat: hinc, peccata populi, & iuſtitiam Dei in horum animaduerſione, palam confitetur: inde, crudelitatē & impietatē Gentilium coarguit: poſtea, orationē & petitionem ſuā paucis explicat: diluit prӕterea quӕ obijci poterāt ſeu ab alijs, ſeu à propria cōſcientia, aduerſus impetrādi fiduciā: breui deniq; repetitione rem omnem cōcludit, vt profectioni ad aulā ſe ſe accingat & paret. De ſingulis autem breuiter ſtrictimq; nunc dicemus.

Initio itaque agnoſcens multos erga ſe diuinæ mi-

ſerationis & prouidentię ſingulares effectus, depreca-
tur, *Domine mi*, qui tantam hactenus de me puſilla mu-
liercula curã geſſiſti, vt non ſolũ pro defunctis paren-
tibus Mardochæũ prudentiſſimũ & religioſiſſimũ e-
ducatorẽ præbueris, verùm & gratioſam apud Eunu-
chũ, & multo gratioſiſſimã apud imperatorem Aſſue-
rum reddideris, adeo vt ex ſtercore pauperem erexeris,
in thori regniqueconſortium collocaueris: etiã nunc
opitulare famulæ tuæ, quæ præter te non habet adiu-
torẽ alium, quia ſola hîc habito, & ſola ſum in domo
Regis abſque patre & matre. Nunc itaque Deus, habes
hîc animam meam in manibus meis, ſuſcipe eam ſi
bonum tibi viſum fuerit: ſin tibi non placuerit acci-
pere eam, libera quæſo oues paſcuæ tuæ de leonibus
iſtis, qui ſurrexerunt contra eas. Sic enim ferè ad ver-
bum Ioſephus Gorionis, &c.

Ex quibus illud primũ conſiderandũ eſt, quod pro-
phani palatij locus, quo inter Eunuchos & ancillas de
gebat, deprecationis eius dignitatẽ virtutemque nihil
imminuit. Sic enim quondã & Noë in arca, & Moſes
in deſerto, & 3. pueri in camino, & Daniel in lacu leo-
nũ, & Suſanna in loco ſupplicij, & Ionas in ventre cę-
ti, & Dauid in exilio, & Ezechias in lectulo, & Ieremias
in cœno, cũ fide & ſpe preces ſuas ad Deũ dirigentes,
votorũ ſuorum cõpotes effecti fuerũt. Tametſi enim *3.Reg.6.*
Deus eos pręſertim ſe exauditurũ eſſe receperit, qui in
templũ oratum venirent; nihilominus cùm immen-
ſus ſit, & poteſt vbique orantes audire, & promiſit ſe
aſpernaturum nõ eſſe illos qui omni in loco ad eum
ex toto corde ſuo clamarent. Hinc Apoſtolus: *Volo* *1.Tim.2.*
viros orare in omni loco leuantes puras manus.

Deinde, Eſtheris exẽplo monemur oẽs, tanta fide &
pietate vitã moreſq; noſtros cõponere, vt teſtimonio
bonę cõſcientię nixi, Deũ quodam peculiari iure, no-
ſtrũ & reputare & inuocare poſſimus. Eſt.n. ſaluator *1.Tim.4.*
omniũ, ſed maximè fidelium, qui in eum totã ſalutis
ſuę fiduciã reponũt. Ea ratione ſingulariter appellatur
Deus Abrahã, Iſaac, & Iacob: Dauidq; frequẽter eũ, vt *Exod.3.*
ſuũ cõpellat: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Intende* *Pſalm. 62.*
orationi meę Rex meus, & Deus meus. Deus meus, illumina

tene-

Pſalm 5. 17. *tenebras meas. Dominus adiutor meus, & redemptor meus.*
18 21.30. *De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me.*
Dixi Domino, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

Augu. lib. 3. Conf. ca. 11. Soliloq. c. 14. Sic enim & olim Auguſtinus magna cõfidentia cum Deo colloquebatur. Sic greſſus meos, ſemitasque conſideras, & diu noctuque ſuper cuſtodiam meam vigilas, veluti ſi totius creaturę tuæ cæli & terræ oblitus, tantùm me ſolùm conſideres, & nihil ſit tibi curæ de alijs, &c.

Eodem rurſum beatæ Reginæ exemplo docemur, non eſſe vllo pacto à vera pietate alienum, pro priuatis ac domeſticis rebus noſtris atque neceſſitatibus Deum precibus interpellare. (Geneſ. 25.) Nam beatus Iſaac orauit pro vxore ſua ſterili, vt pareret: (Geneſ 28) Iacob, vt veſtimentum quo operiretur, panem quo vitam ſuſtentaret, viam proſperam, & liberationem de manibus fratris ſui Eſau conſequeretur. (Tob. 3.) Sara Tobiæ rogauit, vt de improperio ancillæ eriperetur; (Daniel. 13.) Suſanna, vt ab impijs iudicibus: (1. Reg.) Ionas de ventre ceti: Dauid de manibus Saulis: (Iſaiæ 38.) Ezechias de lethali morbo: (Matth. 26.) Chriſtus de mortis ignominia: (2. Cor. 12.) Paulus de inſidijs Iudæorum, & ab Angelo Satanæ, &c. De ſecundo articulo orationis jam dicamus.

5. Audiui à patre meo, quod tu Domine, tuliſſes Iſrael de cunctis Gentibus, & patres noſtros ex omnibus retro maioribus ſuis, vt poſſideres hæreditatem ſempiternam, feciſtiq́ue eis ſicut locutus es.

(Lib. 2. rerum Iud. cap. 3.) VBERIVS, & velut paraphraſticõs Ioſephus Gorionis. Nam docuit me Pater meus, quod tu tuleris patres noſtros de Aegypto, & interfeceris cuncta primogenita Aegypti, eduxeriſq́ue populum tuum de medio eorum: & manu tua robuſta brachioq́ue extento, velut equo, traduxeris eos per mare in deſertum, & dederis eis panem de cælo, & aquam de ſaxo duriſſimo, atque carnem ad ſaturitatem exhibueris eis: & percuſſeris ante conſpectum eorum Reges magnos & fortes, tradideriſq́ue eis in hæreditatem

tatem terram tuam optimam, &c. Græcus interpres. Ἐγὼ ἤκουον ἐκ γενετῆς μου, ἐν φυλῇ πατριᾶς μου. Ego audiebam ex generatione mea, in tribu familiæ meæ, &c.

In his primùm attende, quàm diligenter paruulos ſuos pij patres circuncisi educabant in diſciplina, cognitione, ac timore Domini, quando etiam cum lacte illis ingerebant præcipua illius & promiſſa, & beneficia in patres ſuos collata: vt ſic fidem & ſpem in eorum animis & plantarent & confirmarent, & ad omnem gratiarum actionem, & orationem prouocarent. Laudatur Abraham à Domino, quòd præcepturus eſſet filijs ſuis, & domui ſuę poſt ſe, vt cuſtodirent viam eius, & facerent iuſtitiam & iudicium. Genef. 18. Iubet quoque parentes quærentibus liberis, quænam ſit religio paſchatis? reſpondere: *Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael, percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans, &c.* Exod. 12. Hinc Dauid: *Patres noſtri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis.* Pſalm. 43. Iterumque hoc parentum erga liberos officium à Deo præceptum eſſe confirmans, ait *Quanta mandauit patribus noſtris* (videlicet Deut. 4. 6. 32.) *nota facere filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera? filij qui naſcentur & exurgent, narrabunt filijs ſuis, vt ponant in Deo ſpem ſuam, &c.* Pſalm. 77. Commendantur etiam in ſacris, Tobias ſenior, & caſtiſſimæ Suſannæ parentes, quòd liberos ab infantia Deum timere docuerint. Tob. 1. Daniel. 13. Euſebius ex traditione maiorum notauit, veteres Iudæos ſcripturas ſacrarum hiſtoriarum tenellis pueris infundere ſolitos fuiſſe, vt eis facilius cùm viri eſſent, vterentur. Lib. 12. præpar. Eu. ca. 2.

Cæterùm, vt in parentibus Eſtheris habēt pij parentes, quid imitari debeant; ſic in eadē liberi obſeruare tenentur, quod ſit eorum in doctrina diſciplinaq; parentum audienda, memoriaque commendanda, & & ſeruanda officium; vt cum illa verè dicere poſſint, iuxta alterum Coronis interpretem. Nam pater & mater narrauerunt mihi, & Mardochæus ſeruus tuus educator meus, docuit me, quod etiam in lege tua ſcriptum eſt, quod eduxeris patres noſtros, &c. Illic ergo de vera pietate, de cultu & timore Dei, de promiſſis &

mira-

mirabilibus eius diſſerentes, cum omni attentione & reuerentia exaudiant: ac etiam tacentes ſtudioſè interrogent, vt ab his velut ab ore Domini diſcant, *quæ ſit*
Ierem. 6. *via bona, ambulent in ea, vt inueniant requiem animabus ſuis.*
Deut. 32. Nam Spiritus diuinus illis per Moſen præcipit: *Interroga patrem, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi*, promiſſa nimirum & benefacta antiquis collata. Et in
Iob 8. lib. Iob: *Interroga generationẽ priſtinam, & diligenter inueſtiga patrum memoriã: heſterni quippe ſumus, ipſi docebunt te;*
Prouer. 1. & 6. *& de corde ſuo proferent eloquia.* Et Salomon: *Audi fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legẽ matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo:* id eſt, vt & gratiam coram Deo, & honorem coram pijs hominibus conſequaris.

Electionem porrò Iſraelis in peculium & hæreditatem Domini, agnoſcit factam non ſolùm à liberatione Aegypti, aut poſt legem acceptã: verùm & multis retro alijs ſeculis, nimirum, quando fędus pepigit
Geneſ. 12. cum Abraham & ſemine eius Secernens etenim eum à profanarum gentium ſordibus, ait: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, & de domo patris tui, &c. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi: atque IN TE benedicentur vniuerſæ cognationes terræ.* His autem non modò illum ſeparat ab impuris Chaldæis, ſed & à patris conſortio & familia, quæ & ipſa abomina-
Ioſue 24. tionibus idolorum commaculata erat. Ideo & Ioſue ad congregatos Iſraelis ordines diſſerens ait: *Trans fluuium* (Euphratis) *habitauerunt patres veſtri ab initio, Thare*
Deut. 4. *pater Abraham & Nachor: ſeruieruntque dijs alienis*, &c. *Fecit autem*, inquit, *ſicut locutus eſt*, dicente Moſe, *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquãtes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Cunctis
Deut. 32. namq; per orbem alijs nationibus veluti abdicatis & deſpectis, Iſraeliticam ſolam adamauit & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui: *Pars Domini* (ait Moſes) *populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.* Huic etenim ſoli commiſit teſtamenti ſui tabulas, ſacerdotium ſuum, legem, cæremonias, prophetias, promiſſioneſq; venturi Meſſiæ, vt in ea agnitus coleretur & inuocaretur.

Horum autem commemoratione eximiam orandi fidu-

fiduciam aſſumit, bene ſperans quod Deus ſtans promiſſis patribus factis, ſe cum reliquis Abrahę poſteris in extremo rerum omnium diſcrimine tam anxie & demiſſè ſupplicantem exaudiret atque liberaret. Eodem pacto tres pueri animum ſuum inter flammas magna conſtantia confirmabant veterum promiſſorum recordatione, dicentes. *Ne tradas nos quæſumus, in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſsipes teſtamentum ſuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuũ*, &c. Sic & Matthatias manus filiorum ad bellandum bella Domini corroborans, eiſdem & promiſſiones patribus factas, & multis mirabilibus aſſertionibus adimpletas propoſuit. &c. Ita & nos decet orantes iſta Chriſti oracula diligenter intueri, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam. Rogaui ne deficiat fides tua. Regni eius non erit finis*: ne ob inſtantes nouiſſimi huius ſeculi tentationes, perſecutioneſque animis deficiamus. Sequitur tertius orationis articulus.

Dan. 3. *1. Mach. 1.* *Matth. 16.* *Lucæ 22.* *Luc. 1.*

6. *Peccauimus in conſpectu tuo, & idcirco tradidiſti nos in manus inimicorum noſtrorum: coluimus enim Deos eorum.*

7. *Iuſtus es Domine.*

AGnoſcit peccata populi ſui, & vnà ſe cum illo palam accuſat, ęquitatemq; diuinę vltionis ac iræ cum animi demiſſione confitetur. *Peccauimus*, inquit, non ſolùm hic aut alter, iſte vel alius ordo Iſraelis peccauit; ſed peccauimus omnes, & viri, & fęminæ, ſenes cum iunioribus, ſacerdotes & laici, principes & ſubditi. Idq; non leui peccato, ſed omniũ maximo & deterrimo, nempe idololatrię, quando impuros deos gentium, qui nihil aliud ſunt, quàm dæmonia, te vnico vero & immortali Deo, proh ſcelus! derelicto & abnegato, ſumus venerati. Enimuero maiores noſtri mutauerunt gloriam tuam Domine, in ſimulacrum vituli comedentis fœnum, quando in eius honorem choreas ducentes, cantauerunt: *Hi ſunt dij tui Iſrael* &c. Deinde ſub Ieroboã ſcelerato apoſtata cultũ ſuũ deſeruerunt, vt in Dan & Bethel vitulos adorarẽt.

Pſalm. 95. *Pſalm 105.* *Exod. 32.* *3. Reg. 12.*

Deni-

Deniqueritus gentilium potiuſquam verbum tuum ſequentes, ter quaterque miſeri, immolauerunt filios
Pſalm.105. ſuos, & filias ſuas dæmonijs. *Initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Non ſolùm ergo iuſtus es Domine, cùm nos exilio plectis, & crudeli gentium iugo ſubijcis: verùm multo magis miſericordiſſimus & humaniſſimus, quando à te tam ſuauiter corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Lib.8. de victor. verbi cap 16. Rupertus in his animaduertit Eſtheris inſignem iuſtitiam, quòd confitetur & dicit, *Peccauimus Domine, in conſpectu tuo, &c.* Nam iuſtus in principio accuſator
Prouerb.17. eſt ſui. Oportet igitur oraturos, Eſtheris exemplo, omnem in primis propriæ iuſtitiæ confidentiam exuere, ſeriò autem peccata agnoſcere, humiliter confiteri, & de his veniam poſtulare. Nam qui recta facta
Lib.3 de ſummo bono, c.7. ſua iactanter produnt, inquit Iſidorus, ſicut Phariſæus in templo iactanter orabat, ſeque magis quàm Deum
Lucæ 18. de operibus iuſtis laudari volebat, horum oratio
Pſalm.108. in peccatum conuertitur, ſicut de Iuda proditore ſcriptum eſt. Idcirco in ſacris legimus tres pueros inter flammas, iudiciorum Dei æquitatem, & ſua & conciuium peccata confitentes, dicere: *Iudicia vera feciſti iuxta omnia quæ induxiſti ſuper nos, & ſuper ciuitatem ſan-*
Dan. 3. *ctam patrum noſtrorum, & cæt. Peccauimus enim, & iniquè egimus, recedentes à te, & deliquimus in omnibus, &c.*
Dan.9. Sic & Daniel ipſe orat: *Peccauimus, iniquitatē fecimus, impiè egimus, & receſſimus. Tibi Domine, iuſtitia, nobis autem confuſio faciei* Baruch quoque captiuitatis tempore ita
Baruc.1.2. precando confitetur: *Domino Deo noſtro iuſtitia: nobis autem confuſio faciei noſtræ, omni Iuda, habitantibus Ieruſalem, Regibus noſtris, principibus noſtris, ſacerdotibus noſtris, Prophetis noſtris, & Patribus noſtris. Peccauimus ante Dominum Deum noſtrum, &c.* Nec diſſimili confeſſione bea-
Pſalm. 78. tus Aſaph Deum conuenit: *Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, &c* Eſdras, Tobias, Iudith, ſancti omnes in anguſtijs conſtituti, preces à confeſſione & pœnitentia peccatorum ex animo auſpicantur. Et
Tertul. lib. de pœnit. meritò ſanè, quoniam Tantum releuat (Tertulliano ſcriptore) confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis cōſilium

eſt,

eſt, diſſimulatio contumacię. Delictum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitētia Deus mitigatur. Et idem alibi: Interrogauit Dominus, *Adam vbi es*? vt daret ei locũ ſponte confitendi delictum, & hoc nomine releuandi, ſicut de Cain ſciſcitatur: *Vbinam frater eius*: quaſi non iam vociferatũ à terra ſanguinem Abelis audiſſet: ſed vt & ille haberet poteſtatē ex eadem arbitrij poteſtate ſponte negandi delicti, & hoc nomine grauandi: atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potius delictorum, quàm negandorum, vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina: *Ex ore tuo iuſtificaberis, & ex ore tuo damnaberis.* *Lib.2.adu. Marc.c.25.* *Gene.3.&4.* *Matth.12.*

8. *Et nunc non eis ſufficit, quod duriſsima nos opprimunt ſeruitute, ſed robur manuum ſuarum idolorum potentiæ deputantes,*

9. *Volunt tua mutare promiſſa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui:*

10. *Vt aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem Regem in ſempiternum.*

QVARTO iam loco coarguit Hamanis & aliorum gentilium, qui cum eo ſentiebant, magnam aduerſus Deum impietatem, & in populum eius immanitatem. Hęc verò ita ab Hebraico Ioſephi Gorionis contextu redduntur. Et nunc quidem non ſufficit eis quòd dura ſeruitute premunt nos: ſed ecce dicunt quoque, quod tu non tradideris nos in manum eorum: quin magis ſculptilibus ſuis id gratum ferunt, eaque adorant dicentes: Vos tradidiſtis Iudæos in manus noſtras. *Lib.2.rerum Iudaic.ca.4.*

Ac primùm quidem inſignis crudelitatis fuit, quòd barbari non contenti dira Iſraelitarum captiuitate ac ſeruitute, quæ viris in libertate educatis grauiſſimum iugum, ac etiam morti poſtponendum eſt; conabantur inſuper totum populum funditus delere, ad hunc-

que finem publica Aſſueri mandata vbique locorum perlata, affixaq; pendebant. *Volunt*, inquit, *delere hæreditatem tuã*, id eſt, ſemen Abrahæ ſtirpitus de terra euellere & perdere: *& claudere ora laudantiũ te*, publica cõmuniq; laniena nos omnes mactãdo, vt ne vnus quidem ſuperſit, qui te Deum verum celebret ac inuocet ſuper terram. Hanc porrò eſſe cunctorum hoſtiũ Eccleſiæ communem mentem docet etiam B. Aſaph, ſimulq; Deum aſſertorem inuocat his verbis: *Ne taceas, neque compeſcaris Deus. Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Dixerunt, Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltra.* Sic enim Pharao aiebat, *Venite, & callidè opprimamus Iſraelem.* Antiochus ſub mortis interminatione prohibuit, ne quis verè Iudæum ſe eſſe in poſterum profiteretur. Saulus ad mortem perſequebatur omnes qui inuocabant nomen Chriſti. Nero, Domitianus, Traianus, Seuerus, Decius, Diocletianus, nil aliud Chriſtianorum mactationibus contendebant, quàm nullum in orbe ſupereſſe Chriſtianum. Sed viuit & triumphat in cælis Chriſtus, qui horum conatus repreſſit.

Pſalm. 82. *Exod. 1.* *1. Mach.* *Act. 7. & 9.*

Summa verò impietas Hamaniſtarum aduerſus Deum omnipotentem in eo primùm conſpicitur, quod *robur manuum ſuarum*, id eſt, quicquid haberẽt conſilij, virtutis bellicæ, & quas obtinuerant victorias aduerſus Iſraelitas & Ieroſolymitanos, non Deo viuenti, ſed mutis ſimulacris adſcribebãt. Alia impietatis ſpecies eſt, quòd promiſſa diuina de liberatione Iſraelis poſt ſeptuaginta annos, tanquam vana falſaq; immutare conabantur. Tertia impietas in eo relucet, quòd omnem externum Dei cultum, qui in ſacrificijs, altaribus, & templo præſertim apparebat, opprimere ac delere ſtudebant: ſicut de Holoferne ſcribitur. Et hoc ipſum eſt de quo pia fœmina conqueritur, dicens, *Volunt extinguere gloriam templi & altaris tui*, videlicet, vt vel nullum ſuperſit, vel prophanatum idolis dedicetur: ſicut factum fuit ſub Antiocho Syriæ rege. Quartum argumentum impietatis ſuæ oſtendunt, quando extin-

Deut. 30. *3. Reg. 6.* *Ierem. 31.* *Iudith. 3.* *1. Mach. 1.*

extincto, quantum in ipſis eſt, vero veri Dei cultu, omnem blaſphemandi occaſionem relinquunt; contrà verò laudandi ſimulacra muta mortuaque, velut horũ virtute victorias in bellis ſuis reportaſſent. Deniq; etiam impietatis rei ſunt, cùm Aſſuerũ, carnificinam totius innocentis Iſraelitici populi edictis publicis pręcipientem & promulgantem, tãquam iuſtè & laudabiliter agentem celebrabant, & veluti numen aliquod venerabãtur. Græcus interpres ait: *καὶ θαυμασθῆναι βασιλέα σάρκινον εἰς αἰῶνα*, & admirentur Regem carnalẽ in æuum. Id eſt, hominẽ morti & putredini obnoxiũ, in numerum deaſtrorũ ſuorum referãt: quòd nõ niſi cum graui in Deũ verũ & vnicũ iniuria & abnegatione, inter gentiles paſſim fiebat. Antiochus enim iunior ſic ad Lyſiam ſcribit: *Patre noſtro inter deos* 2. *Mach*. 11.
translato, &c. Holofernes quoque ſtudebat efficere, vt alius Deus nec coleretur, nec agnoſceretur, præter *Iudith*. 3.
Nabuchodonozorem, ſceleſtum alioqui tyrannum.

De his autem tantopere dolet atque conqueritur Eſther Regina, quod & pijs viris omni damno acerbius eſt, verum Deum blaſphemari, cultum eius deleri, gloriamque illius transferri ad alienos, ſiue illi homines ſint, ſiue dæmones in thecis idolorum latitantes. Ideo enim & Moyſes omnium hominum alioqui *Exod*. 32.
mitiſſimus, & tabulas diuino digito conſcriptas abij *Pſalm*. 105.
ciendo confregit, & viginti tria millia hominum occidit, quòd vituli aurei ſimulacrum loco illius erexiſſent & adôraſſent, dicẽtes: *Hi ſunt dij tui Iſrael, &c.* Dauidq; incredibili zelo accenſus, quòd ſpurius Goliath 1. *Reg*. 17.
malediceret exercitui Dei viuentis, audacter aduerſus eum perrexit, in terram proſtrauit, & capite eundem imminuit. Ac idcirco frequenter in pſalmis plus de blaſphemijs in Deũ, quã de incommodis proprijs cõqueritur, dicens: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria* *Pſalm*. 68.
exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Poſuerunt in cælũ os *Pſalm* 72.
ſuũ. Et dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Gloriati ſunt qui oderunt te, in medio ſolennitatis tuæ. In- *Pſalm* 73.
cenderunt igni ſanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Exurge Deus, iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum. Ne obliuiſcaris voces

Pſalm 78. *inimicorum tuorum. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt. Ne taceas, neq; compeſcaris Deus,*
Pſalm. 82. *quoniam inimici tui ſonuerunt, & qui te oderunt extulerunt*
4. Reg. 19. *caput.* Pius Ezechias audiens Rabſacis blaſphemias ad-
Iſaiæ 37. uerſus Dominum, ſcidit veſtimẽta ſua, & indutus eſt ſacco, miſſiſque nuncijs ad Iſaiam prophetam, conqueſtus eſt; *Dies tribulationis, & increpationis, & blaſphe-*
1. Mach. 3. *miæ dies iſte.* Sancti quoque Machabæi grauius tulerunt ſanctorum locorum deſolationem, quàm facultatum omnium rapinam, adeoque vitam propriam. Nunc, proh pudor! non Dei viuentis, ſed propriæ iniurię acerbiſſimè vindicantur, &c.

11. *Ne tradas Domine ſceptrum tuum his qui non ſunt, ne rideant ad ruinam noſtram: ſed conuerte conſilium eorum ſuper eos, & eum qui in nos cœpit ſæuire, diſperde.*

12. *Memento Domine, & oſtende te nobis in tempore tribulationis noſtræ, & da mihi fiduciã Do-*
13. *mine rex deorum, & vniuerſæ poteſtatis. Tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis, & trãsfer cor illius in odium hoſtis noſtri, vt & ipſe pereat, & cæteri qui ei conſentiunt.*

14. *Nos autem libera in manu tua, & adiuua me, nullum aliud auxilium habentem, niſi te Domine, qui habes omnium ſcientiam.*

HIC quintus eſt orationis eius articulus, quo ſuperiorem petitionem ſuam alijs verbis exaggerat & amplificat, vt ſolent qui in graui afflictione conſtituti, anxijq; toto pectore precantur.
Lib. 2. rerum Iudaic. cap. 3 & 4. Ioſephus Gorionis iſthęc fuſius deſcribit, his ex altero interprete verbis. Laudande Domine, ab ęterno miſerationes tuæ ſuperauerunt ſcelera noſtra. Puniuiſti enim nos miſericorditer, & condixiſti propitiũ te futurum nobis, ſi quando tempore aduerſo ad te clamaremus. Sic enim locutus es per Moſen ſeruum tuũ fideliſſimum in domo tua: In aduerſitate tua accident tibi

omnia

omniá hæc,&c.quoniam Deus miſericors Dominus Deus tuus,&c.Per Moſen promiſiſti,ea es benignitate,te non diſſolutu rum fœdus,quod nobiſcum pepigiſti,memoremque futurum fœderis priſci, foreque nobis Deum, quemadmodum ſcripto proditum eſt apud memoratum Moſen ſeruum tuum, cùm etiamnum eſſent in terra hoſtium ſuorum,&c.Recordabor fœderis mei pacti cum antiquis, quos eduxi de terra Aegypti,&c.Et aliquantulũ poſtea.Nunc igitur Deus noſter pater pupillorum,ſiſte te ad dexteram pupillę, quæ fiduciam ſuã in te locat, da ei vt miſericordiam cõſequatur in oculis hominis iſtius,nempe regis Aſſueri,quem non aliter metuo, quã hœdus caprarum metuit à leone.Humilia ergo,& deprime ipſum, vnà cum ijs qui ipſi à conſilijs ſunt,vt humiliatus facilior ac lenior fiat ad poſtulationem meam.Inclina cor ipſius in odium hoſtium tuorũ, vt amore proſequatur ſeruos tuos,qui ſunt Iſraelitæ,populus tuus ſanctus, & hæreditas tua pura.Cor enim Regis in manu Domini:cor inquam,Regum in manu tua, Deus potens & terribilis,& ſublimis:libera nos quæſo, hodie à metu & pauore,quẽ metuo & expaueſco, quo ipſum adire poſſim freta benignitate nominis tui, & diſcedere ab eo cum pace.Hactenus ex Gorione.Gręcus interpres, & poſt eum vulgatæ editionis Latinæ Author, hæc breuioribus contraxit,&c.

Deut.27. & 32. *Leuit. 26.* *Deut. 9.* *Prou.21.*

Suo autem exemplo docet in primis beata iſta fœmina,tum geminandas & inſtantius multiplicandas eſſe preces piorũ,cùm grauiora & propiora imminẽt pericula. Enimuerò cùm precibus ſacris Deo colloquamur,& curas graues velut in ſinum eius effundamus, fieri nequit vt non niſi recreati & confortati ab illo recedamus.Hinc quoties impugnabatur Dauid,toties ad Deũ confugiẽs orabat: *Saluum me fac Domine:Salua me ex ore leonis: Saluum me fac propter miſericordiã tuam: Saluum me fac ex omnib. perſequentibus me. Domine ſaluum fac Regẽ:Deus in nomine tuo ſaluũ fac,&c.*nihil reformidans ſancta iſta repetitione ac importunitate moleſtũ fore Domino.Et Chriſtus quo magis mortis terrore angebatur,feruentius & prolixius rogabat eandẽ ora

Pſalm 3. *Pſalm. 21.* *Pſalm 6.* *Pſalm.7.* *Pſalm.11.* *Pſalm.19.* *Pſalm 68.*

Matth.26. tionem dicens: *Pater, ſi fieri poteſt, &c.* Paulus tertiò precatus eſt, vt carnis ſtimulo liberaretur. Propheta regni
2. Cor. 12.
Pſalm. 118. negotijs occupatus, nihilominus, media nocte ſurgebat ad confitendũ Domino, & ſepties in die laudẽ ei
Daniel. 6. dicebat. Vir deſideriorum ter in die apertis feneſtris manifeſta oratione Deũ inuocabat: tametſi necis immineret periculum. Errant igitur hæretici, orationes certo numero conceptas damnantes: ſicut & hi, qui inſtãte calamitate, vrgentibusq; inimicis aut infirmitatibus, animos deſpõdere, creaturis maledicere, blaſphemareq; malunt; quàm ſupplices Deum inuocare.

Rogat autem Eſther Dominum, *ne tradat ſceptrũ ſuum his qui nõ ſunt*, id eſt, falſis dijs qui putantur aliquid eſſe ac poſſe, cùm reuera nihil ſint aut poſſint. Nam his quodam pacto faſces ſubmittere Deus omnipotens videbatur, quãdo cultoribus eorũ quiduis audendi agendiq; aduerſus pios facultatẽ permittebat. Tum enim Ethnici non à Deo vero hanc ſibi conceſſam ac permiſſam poteſtatem arbitrabantur; ſed ab idolis & ſimulacris ſuis virtute & fortitudine Hebræorũ Deo
Dan 5. ſuperioribus. Sic enim Babylonij bibẽtes in ſacris Ieroſolymorum vaſis, *laudabant*, inquit Daniel, *deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque & lapideos*, videlicet, quaſi triumphatores & victores omnipotentis Dei, cui in his aliquando ſacrificatum fuerat. Et
1. Reg. 5. Philiſtęi circunducebãt arcam Domini per ſatrapias, & templa deorum ſuorum, tanquam ab ipſis victus, & arca fœderis ſui vi exutus fuiſſet. Quantum verò iſtæ Paganorum in Deum viuũ contumeliæ ac inſultationes pijs viris diſplicuerint, ſatis manifeſtãt & hæ, & aliæ Dauidi alijsque Prophetis frequentiſſimæ ac
Pſalm. 73. grauiſſimę querelæ. *Vſquequo*, inquit, *improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomen tuum in finem? Surge Deus, iudica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, &c.*

Dicuntur autem falſorum deorũ ſimulacra nihil eſſe aut poſſe, quoniam reipſa vana & mortua ſunt:
Pſalm. 113. & 134. & vt ſcribit Pſaltes, *Os habent, & non loquuntur; aures, & non audiunt: manus, & non palpant: pedes, & non ambulant:*
Sapient. 5. *neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.* Habent quidem externas ſeu ſuum humanorum figuras, ſed in his nulla

vis

vis ſentiendi. Ideo Paulus ait: *Scimus quia nihil eſt idolũ in mundo & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus.* Eſt.n. per ſe res mortua & inefficax, ordinata ad deos commentitios ſignificandũ, in gloriam cacodæmonum, & veri Dei contumeliã. Indicat etiam pijs eſſe grauiſſimam afflictionem, irrideri ab hoſtibus ſuis, quãdo precatur: *Ne rideant ad ruinam noſtram* Nam qui calamitoſis nón cõpatitur, ſed econtrario, inſultat: is omnem humanitatem exuit, ferinis moribus præditum ſe demonſtrat, ærumnas proximorũ adauget, atq; diuinã vltionem in caput ſuum accerſit. Rectè ergo his verbis Menelaũ inſoleſcentem, apud Euripidem, cõuenit Andromache: Quod ſi ego aduerſis affligar rebus, nõ ob hoc inſoleſcas: nam & tu fortaſſis eò rerum venies. Dauid rogat: *Ne tradas me in animas* (.i. poteſtatẽ & libidinem) *tribulantiũ me.* Inſuper, eximium beneficium reputat, quòd non permiſerit hoſtem ſuum de ſua calamitate lętari, cùm ſcribit: *In hoc cognoui, quoniã voluiſti me, quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.* Samſon & Saul maluerunt ſpontaneã ſibi mortem inferre, quàm incircunciſorũ oppróbria tolerare. Orans quoq;, vt Haman, *qui in Iudæos ſæuiebat, diſperderetur,* docet, pios Dei ſeruos nihil cõtra charitatem admittere, cùm ex zelo iuſtitiæ poſtulant, hoſtes diuini cultus, publicæq; trãquillitatis humanæ, ſupplicijs præſentibus coerceri, adeoq; mortę abſcindi & tolli de medio, vt locũ Sanctis relinquant, & diutius peccando æternæ damnationis pęnas ſibi adaugere deſinant. Paulus ſiquidem cupit vt pſeudoapoſtoli, qui Galatas conturbabãt, abſcinderentur. Et Petrus Ananiã Saphyramq; in Spiritum S. cõtumelioſos, oratione ſua ſuſtulit de medio. Scandalis paruulos ad peccãdum inducentibus, Chriſtus expedire docuit, vt ſuſpenſa de collo aſinaria mola, in profundum maris demergantur.

1.Cor.8. *Eurip.* *Pſalm.26.* *Pſalm.40.* *Iudic.16.* *1.Reg.31.* *Galat.5.* *Actor.5.* *Matth.18.*

Ad hæc, communem populi cauſam agens, quanta poteſt pietate liberationem eius requirit, dicens: *Oſtende te nobis,* propitium nimirum ac ſaluatorem potentiſſimum, *in tempore tribulationis noſtræ;* quã nũc nunc vndique vrgemur, & ad necem exterminiumq; poſtulamur ab Hamaniſtis. *Nos autẽ libera in manu tua:*

quandoquidem non ſupereſt nobis alius, qui liberare aut velut aut valeat. Ex quibus, poſt B. Chryſoſtomũ, notandum eſt, bonum eſſe Sanctorum oratione frui, ſed cùm & nos ſimus cooperatores: quod ſi non adfuerit, nihil aliorum prodeſt auxilium, verùm & cum illo perimus. Quid .n. Iudæis profuit Ieremias? Nonne ter ad Deum acceſſit, & ter audiuit, *Ne ores, neque petas pro populo iſto, quoniã te non exaudiam*? Quid Sauli profuit Samuel ad vltimum vſque diem orans, & pro eo lugens? Quid autem & Iſraelitis profuit? Nonne dicebat, *Mihi autem abſit peccare pro vobis orare ceſſanti*? Nonne cuncti perierunt? Nam Deum audi dicentẽ per Prophetam: *Si ſteterint Noë, Iob, & Daniel, non liberabunt filios ſuos & filias: quoniam inualuit eorum malitia.* Quid ergo? Nihil proſunt orationes? Proſunt, & quàm plurimũ: ſed cùm nos quoq; cooperamur. Et ſi vis diſcere quãtum contulerint, cogita mihi Cornelium, & Thabitam. Audi quoq; dicentem Deum: *Protegam ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid puerum meũ.* Sed quando? Tempore iuſti Ezechiæ. Alioquin ſi malorum quoque valebant preces, quare Nabuchodonoſori ciuitatem tradidit? Quoniam inualuerat peccatum, &c. Quoniam ergo reliqui omnes Iudæi vnà cum Eſthere & Mardochæo, precibus & ieiunationibus ſtudioſè iugiterque incumbebant, factum eſt vt hæ fidelis matronæ orationes plurimum eis profuerint.

Chryſ. hom. 79. ad pop. Antioch. — *Ierem. 7.* — *1. Reg. 15.* — *1. Reg. 12.* — *Ezech. 14.* — *Act. 9. 10.* — *4. Reg. 19. & 20.* — *4. Reg. 25.*

Denique ſibi ipſi tria poſtulat, quæ inſtitutæ profectioni ad aulam neceſſaria videbantur. Primum, *animi fiduciam* & conſtantiam, ne videlicet timore terrore ve fœmineo exanimata coram Rege conticeſcat, quod multis oratoribus alioqui facundis & diſertis, non raro contigiſſe memoriæ proditum eſt. Secundũ, petit ſibi dari *ſermonem compoſitum in ore*, λόγον εὔρυθμον εἰς τὸ ϛόμα, orationem bene cõuenientem, appoſitam, numeratam, & ad perſuadendum vim habentem; vt quod petitura ſit facilè conſequatur & obtineat. Poſtremum, *cor Aſſueri transferri in odium Hamanis*, & omnium ſatellitum, qui cum eo aduerſus populum Dei conſpirauerant: contrà verò inclinari in eiuſdem fauorem & amorem, &c.

Ex

Ex quibus cum primis vides, præſenti & imperter-
rito animo eſſe in periculis aggrediundis aut toleran-
dis, magnum eſſe diuinæ gratiæ beneficium: quod vt
conſequamur, opus eſt feruenti & frequenti oratio-
ne. Ait enim Pſaltes: *Diligam te Domine, fortitudo mea,* *Pſalm.* 17.
refugium meũ, liberator meus, adiutor meus, protector meus,
cornu ſalutis meæ, ſuſceptor meus. Quorſum enim tam va-
ria denſaq; epitheta, niſi quòd eius ſolius ope auxilio
que hoſtium ſuorũ inſidias euaſiſſet, ac fregiſſet im-
petus? Subijcit enim: *Deus præcinxit me virtute, perfecit pe*
des meos tanquam ceruorum, docuit manus meas ad prælium,
poſuit vt arcum æreum brachia mea, &c. Et alibi: *Ab ipſo pa-* *Pſalm.* 61.
tiẽtia mea. Quia ipſe Deus meus, ſaluator meus, adiutor meus,
&c. Rogandum igitur cum Apoſtolis: *Da ſeruis tuis* *Actor.*4.
conſtantiam.

Conſpicimus etiam Aſſuerum, ſimileſq; huius ſecu
li principes atque tyrannos à Spiritu ſancto frequen-
ter comparari cum leonibus; tum propter eminen-
tem poteſtatem, quam in reliquos obtinent; tũ prop-
ter immanitatem & barbariem, qua non rarò in eos
ſæuiunt & bacchantur. Paulus gratias agit, quòd Deus 2.*Tim.*4.
liberaſſet eum *de ore leonis* Neronem intelligens. Spi-
ritus ſanctus quatuor mundi monarchias, præcipu-
oſq; monarchas ſpeciebus horribilium ferarum Da- *Dan.*7.
nieli monſtrauit. Antichriſtus in Geneſi ſignificatur *Geneſ.*49.
per colubrum in via, & ceraſten in ſemita. Saulem & *Pſalm.*7. 10.
ſatellites eius Dauid leones, & catulos leonum appel- 56.57.
lat. Ieremias, Ezechiel, Michæas, Nahum, leonum no-
mine, tyrannos ac principes populum opprimen-
tes non rarò intelligunt. Eò itaque deducit eos feri-
tas, vt belluarum nomen ſpeciemque referant, qui pie
tate ac beneuolentia in omnes, imaginem Dei o-
ſtentare deberent: nec tamen illos deformi-
tatis huius adhuc pudet, quin etiam
de eadem glorientur.

Z 5 15. Et

15. Et noſti quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircunciſorum, & omnis alienigenæ.

16. Tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei.

17. Et quod non comederim in menſa Haman, nec mihi placuerit conuiuium Regis, & non biberim vinum libaminum:

18. Et nunquam lætata ſit ancilla tua ex quo huc tranſlata ſum, vſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus Abraham.

NVNC ſexto orationis loco Præoccupationę vtitur, qua diluit ea, quę vel ab alijs, vel etiam à propria conſcientia obijci poterant aduerſus orandi ac impetrandi fiduciam. Primò enim crimini dari poterat, quòd aduerſus diuinæ legis præſcripta gentili ac incircunciſo viro nupſiſſet. Ad hoc reſpondet, quod neceſſitati ſeruire compulſa eſt, non autem voluptati ſuccubuit. Cùm enim captiua ſub Aſſueri imperio, non ſui iuris erat, ſed Regis. De hoc copiosè diſſeruimus ſup. cap. 2. v. 15. 16. & 17.

Deut. 7. & 23. Exod. 34. Ioſue 23.

Secundò, quis fortaſſe eam vanæ gloriæ, ſuperbię, & arrogantiæ coarguiſſet, propter externum planeq; ethnicum cultum, quo exornata aliquoties in publicum prodibat. Occurrit verò, Deum cordiũ cognitorem in teſtem & iudicem appellans, quòd propter huiuſmodi ornatum nihilo foret elatior: contrà verò, eum vt rem immundiſſimam reputaret atque abominaretur.

Tertiò, criminari poterat, quòd cum Ethnicis idololatriſque frequentius tecumbens, vino, carnibuſq; dæmonibus conſecratis veſceretur, quòd Deus diſtri-ctè prohibuerat. Nam qui idolothytis vtebatur, in honorem & cultũ idolorũ id facere putabatur: ac idcirco

Danieli,ſocijs ei⁹,ac Tobiæ laudis loco ponitur,quod cibis gentilium ſeipſos non cõtaminauerunt. Illa graui excuſatione ſe purgat, quod non niſi inuita & animo repugnãs in menſa eorũ comederit & biberit:idque non idolothyta,non cibos immundos,non vinũ idolis oblatum,ſed ea tantùm ſumpſerit,quę iuxta legem licita eſſent.Potuit enim illęſa pietate,diſſimulatiſq; adhuc Iudaiſmi ritibus,Regi in cõuiuio dicere, ſe hac vel illa ſpecie cibi potuſq; non delectari,ſicque prudenter his tantùm veſci quæ per legem licerent.

Obijcientibus poſtremò,quòd nimium in pompis, delitijs,aut honorib. aulicis exultaret, facit ſatis corã Deo & Angelis eius profitens, quòd non niſi in Deo, pietateq; maiorum ſuorum lætata & delectata fuerit.

Rupertus notat in his eximium temperantię documentum relucere,magnamq; humilitatis ſuauitatem hunc Eſtheris ſermonem redolere. Deinde,quod & mulier facta in captiuitate Regina,caſtitatis, pietatis, & tantæ moderationis ſuæ , Deum habeat inſpectorem,teſtem & iudicem. *Li.8.de vict. verb.ca.15.*

Nec minus iuſtitiæ(inſit ille) obtinet tolerando id quod oderat cubile incircunciſi,quàm ſi refugiſſet,ne vllo modo coniungeretur illi. Verè neceſſitas eius peperit coronam.Nequaquã enim tanti debuit eſſe cuſtodia corporis ſui,vt præponeret eam cõmuni ſaluti gentis ſuę,imò ſaluti totius mundi: cui videlicet ſaluti omniũ mirabiliter cooperata eſt illa coniunctio captiuæ Eſther & regis Aſſueri. Nam per illã occaſionẽ liberati ſunt Iudęi,qui fieri debebãt patres ſalutis, patres carnis Chriſti. Et ſi illa nondum hoc totũ ſciebat quando primùm ad cubile incircunciſi fuit adducta, tamen ſic futurum erat. Et quis accuſet Moſen de iniuſtitia dicentem ad eum: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis,dele me de libro tuo quem ſcripſiſti?* Quis item accuſet Apoſtolum, dicentem: *Optabam ipſe ego anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis,qui ſunt cognati mei ſecundum carnem?* Sic profectò nec Eſther accuſari de iniuſtitia poteſt,etiam ſi optaſſet coniungi incircunciſo Regi pro ſalute vel conſolatione gentis ſuæ, etiã ſi non eueniret periculũ tam magnũ quod poſt illam *Cap.17.* *Exod.32.* *Rom.9.*

coniun-

coniunctionem euenit, ſola captiuitatis neceſſitas il-
Lib. 12. diu. offic. cap. 25. lam excuſare poſſet. Idem rurſum alibi ſcribit: Ipſius Eſtheris temperantiæ hoc indicium eſt ſpeciale, quòd leonem illum, id eſt, Aſſuerum, in manſuetudinem conuertit: eiusque edictum ex inſtinctu Aman intemperantiſſimè ſuperbientis, & genus Iudæorum perdere cupientis, in conſolationem ſuæ ſtirpis conuertit. Hactenus Rupertus.

Epiſt. 199. Auguſtinus etiam ex his docens, piam matronā in ſuperbo cultu poſſe habere cor humile, ſcribit. Eſther regina, Deum timens, Deū colens, Deo ſubdita, marito Regi alienigenæ, & multarū mulierum viro, & deorū falſorum cultori, non eundē ſecum colenti Deū, tamē ſubiecta ſeruiebat. Quæ cū extremo periculo, nō ſuo tantùm, ſed etiā gentis ſuæ, qui tunc erat populus Dei, Domino proſterneretur orando, in ipſa oratione ſua dixit, Ita ſibi eſſe ornatum regium ſicut pannum menſtrualem. Et ita orantem exaudiuit, qui cordis inſpector eam verum dicere ſciuit.

Lib. de Elia & ieiunio, cap. 9. Ambroſius inde cōfirmans Deum placari, regnaq; ſeruare piorū ieiunationib. & precibus, ait. Eſther pulcrior facta eſt ieiunio. Dominus enim ſobriæ mentis gratiam augebat. Omne genus ſuū, id eſt, totum populum Iudæorum à perſecutionis acerbitate liberauit, ita vt Regem ſibi faceret eſſe ſubiectum, non libidinis ardore, ſed cæleſti miſeratione conuerſum, ita vt & pœna retorqueretur in impium, & honor ſacris redderetur altaribus. Ita illa quæ triduo ieiunauit continuo, & corpus ſuum aqua lauit, plus placuit, & vindictam retulit, &c.

Homil. 3. ad pop. Antioch. Chryſoſtom. idem probat his verbis. Terruit homo? Curre ad ſupernum Dominum, & nil graue patieris: ſic antiqui calamitates auertebant, non tantū viri, ſed & mulieres. Fuit quędā mulier Hebræa, Eſther erat ipſi nomen. Hęc vniuerſum Iudęorum populū internecione delendum ſic eripuit. Poſt quàm Perſarum rex oēs paſſim Iudæos interimi iuſſit, & nullus erat qui contra iram illius obſiſtere poſſet: priſtinum veſtitum exuta mulier, & ſacco amicta, & cinerem ſubſtrata, diuinæ clementiæ ſupplicabat, vt ſecum ad Regem ingre-

grederetur, & talia orans verba ad ipſum dabat. *Grata Domine, fac verba mea, & da ſermonem ornatum in os meũ, &c.* Et rurſum alibi. Vt Iudith, Daniel, tres pueri, ſimi liter Eſther ſanctiſſima, dum lota facie, & capite vncto, poſt triduanum ieiunium, intelligi à Rege potuit, Aman illum populi ſui inimicum iniquiſſimum interemit, &c. Hæc porrò ex Patribus laudare operęprętium viſum eſt, quòd & huius Orationis authoritatem aduerſus hæreticos confirment, & vſum fructũque copioſè ſatis declarent ac omnibus exponant. Sequitur. *Hom. 10. in Diuerſos.*

19. Deus fortis ſuper omnes, exaudi vocem eorum, qui nullã aliam ſpem habẽt, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.

GRAECVS interpres: εἰσάκουσον φωνὴν ἀπηλπισμένων, exaudi vocem deploratorum ſeu deſperatorum. *Libera me à metu meo*, ἐκ τοῦ φόβου μου, ex eo quod metuo & formido. Sic breui repetitione claudit orationem ſuam.

Ecce quàm deuota, (ſcribit in hunc locum Dionyſius Rikelius, Carthuſienſis inſtituti, vir æquè pius ac doctus) feruens, & profunda oratio. O quanta ex his probatur fuiſſe huius electæ Reginæ perfectio, quæ in tanta opulentia, honorificentia, & frequẽtia conſtituta, tam virtuoſè, timoratè & ordinatè ſe habuit: quę omnem gloriam mundi, voluptatem, dignitatem, vanitateſque ſeculi tam pleniſſimè ſpreuit, ita vt nunquã niſi in Deo ſit gloriata in regali palatio! *Nonne Spiritus vbi vult ſpirat*, & omnipotens corda ſuorum vbique iuxta placitum ſuum immutat, afficit, & gubernat? Quid ad hæc nos puſilli dicemus, qui ex leui & volatili verbo, ſigno, aut facto, inaniter gloriamur, aut pueriliter conturbamur, & ſumus vt puluis, *quem proijcit ventus à facie terræ*? Inſtruamur ergo perfectione virtutum huius ſanctæ fœminæ, & *qui gloriatur, in Domino glorietur*: nec oſtentari, apparereq; optemus, neq; in veſtitu aut ornamentis vnquam lætemur. In omni quoque tribulatione confugiamus ad Deum, & reos *Ioan. 3.* *Pſalm. 1.* *2. Cor. 10.*

nos eſſe ex cordis intima compunctione cõfiteamur, ac diuinam commendemus iuſtitiam.

Poſtremò, quod ſancta hæc Eſther ſic commemorat ſuas virtutes, fecit ad Dei honorẽ, & noſtram ædificationem, præſertim verò ad augẽdam confidentiã ſuam in Deo. Hæc ille, quæ nos à prolixiori commentatione reuocabunt. Cæterùm, quoniã toties, tamque ſeriò hîc agitur de orationibus Mardochæi, Eſtheris, & periclitantis populi diuini, æquum videtur paulo copioſius differere de Oratione, de ſpeciebus, circunſtantijs, ritibus, ac effectibus illius.

I. DE ORATIONE, *ac primùm de eius appellationibus.*

PROPTER diuerſas Orationis ſpecies & formas, ipſam nõ vna voce appellant Hebræi, Græci, & Latini. Ac primi quidẽ *Tephilláh*, quæ vox etiã iudiciũ ſignificat, eo quòd is qui verè Deũ orat, ſemet ipſum dijudicans, accuſat; indignumq; cenſet diuino conſpectu; ac idcirco Dei gratiã & miſericordiam implorat. Vocant etiã *Techinnáh*, propterea quod in oculis noſtris omni modo miſerabiles, veniam à miſericordiſſimo Domino poſtulamus. Vſurpant præterea *Scheeláh*, quaſi dicas, rogationem & obſecrationem. Quatenus verò & ipſa ſermone expeditur, quo cogitationes cordis exprimuntur, vocatur *Imrah*, quod etiam Eloquium vertunt. Sunt & aliæ paſſim apud Prophetas voces, vt *Melitſáh, Dabberáh, Omer*, &c. quibus quicquid in afflicti, vel etiam grati animi affectu deprehenditur, ſignificant. Vtuntur & voce *Kara*, quæ idem valet, quód vocare, nominare, inuocare, clamare, pro circunſtantiarum ratione.

Epiſt. 59. c. 5. Notauit & Auguſtinus, Græcos plurimis nominibus Orationis formas exprimere. Nam voce εὐχή, aliquando orationem, ſed multo vſitatius votum appellant: προσευχή, orationem, ſimul & adorationẽ. Δέησις autem ſignificat deprecationem pœnarum ſeu malorum, quæ cupimus à nobis auertij ſeu propter nos, ſeu propter alios. Εντεύξεις, ſunt interceſſiones pro alijs.

lijs: ideo tribuuntur Spiritui ſancto pro nobis interpellanti. Rom. 8. Ἱκετηρία eſt ſupplicatio. Ἐπίκλησις, inuocatio. προσκύνησις, adorationem communiter vertunt, qua veluti ad pedes diuinæ maieſtatis prouoluimur ipſam deprecaturi. λιτανεία eſt ſupplicatio, à verbo λίσσομαι, veniam precor, ſupplex oro. Hinc λιταί, preces ſupplices. Εὐχαριστία ſignificat gratiarum actionem, gratam acceptorum beneficiorum memoriam: quæ & inter ſpecies orationis connumeratur.

Latini, communiori voce Orationis frequentius vtuntur, Petitionem, volunt eſſe quaſi partem orationis propriè aliquid petentē, vt ſi totā orationem Dominicam voces precationem, ſeptem aūt quæ ibidem poſtulamus, petitiones. Deprecatio, eſt qua petimus mali alicuius vel moleſtātis vel imminentis auerſionem. Interpellatio, eſt pro alio facta deprecatio, ſicut Chriſtus dicitur interpellare pro nobis. Obſecratio, eſt vehementior quædam petitio per res ſacras, aut alioqui gratiſſimas ei quem obteſtamur. Precatio dicitur à precor, quod ſignificat oro & opto. Obteſtari, eſt auxilium alterius addita adiuratione, implorare. Sunt & plurimæ periphraſes, quibus oratio paſſim in ſacris literis exprimitur, vt clamare ad Dominū, Leuare animam ad Dominum, dirigere oculos ad Dominū, leuare oculos ad eum qui habitat in cælis, benedicere Domino, confiteri Domino & inuocare nomen eius, multiplicare preces, & effundere animā ſuam coram Domino, deprecari faciem Domini, vociferari vſq; ad cælum, vox fletus, quærere Dominū, aſpicere ad Dominum, proſternere preces ſuas ante faciem Dei, loqui ad altiſſimum, deſiderium pauperum, petere, quærere, pulſare, petere Patrem in nomine Filij, &c.

II. *Orationis ſpecies.*

TAmetſi iam facilè ſit ex ſuperioribus nomenclaturis colligere, multas eſſe orandi ſpecies, de quibuſdam nihilominus præſtat apertius diſſerere. Baſilius in primis duplicem orandi modum conſtituit, quorum alter in glorificatione, adhibita animi ſubmiſſione cernitur: alter in petitione, qui quidem priori ſubijcitur. Deinde Bernardus ſcribit, *ConŜtit monaſt. cap. 2.*

ora-

Serm. 4. de Quadrageſ. orationum quandam eſſe nimis timidam, quę cęlum non penetrat; aliam tepidã, quæ in aſcenſu langueſcit & deficit: tertiam temerariam, quæ aſcendit quidem, ſed citò reſilit: reſiſtitur enim ei, nec tantùm non obtinet gratiam, ſed & meretur offenſam: quartam verò fidelem, humilem, & feruentẽ, quæ cælum procul dubio penetrat. Auguſtinus & Chryſoſt. addunt, quandam orationem in ſolis intimis animorũ affectibus conſiſtere, aliam verbis exprimi: Alij mẽtalem illam, vocalem iſtam appellant. Prioris exempla deprehendunt in Moſe, cui duntaxat ſuſpiranti, & anxiè de libe *Exod. 14.* ratione Iſraelis cogitanti, dixit Dominus: *Quid clamas* *1. Reg. 1.* *ad me*? Ruſumq; in Anna Samuelis matre, cuius *labia quidem mouebãtur, vox aũt non audiebatur.* Clamor magnus, amor magnus, inquit ille. Et rurſum. Oratio plus gemitibus, quam ſermonibus agitur: plus fletu, quàm *In c. 31. Iob.* affatu. Et Gregor. Vera poſtulatio non eſt in oris vocibus, ſed in cordis cogitationibus. Valentiores namq; voces, apud ſecretiſſimas Dei aures non faciunt verba *Serm. 50. in Cantic.* noſtra, ſed deſideria. Et Bern. In Dei auribus deſideriũ vehemens, clamor magnus: remiſſa aũt intentio, vox ſubmiſſa. Ad cordis enim potius vocem, quã corporis ſunt attentæ aures eius, &c. Vocalis porrò orationis ſunt precepta & exempla innumera. Sunt item oratio nes quædam priuatæ, quales ſinguli quiq; effundere poſſunt quotidie: ſunt & cõmunes atq; publicæ, quas pro munere ſuo Deo offerũt pro ſubditis ſuis ſeu pontifices, vt Moſes & Aaron; ſeu etiã Reges, vt Dauid & Salomon in ſacris oraſſe referũtur. Alia denique poteſt eſſe oratio hypocritica, qualis olim fuit Scribarũ & Phariſæorum, orantium in compitis, cum multiloquio: alia ſyncera & pura, quæ piorum eſt ac ſanctorum. Atque de his iſta ſufficiant.

III. DEFINITIONES.

In quibuſdã ſententijs. Ex his porrò effectum eſt, vt multiplicem variamque Orationis deſcriptionem tradiderint Theologi. Ac nominis quidem ipſius rationem iſtam reddit Bernard. Oratio, oris eſt ratio, quando iam ore ſuo loquitur homo cũ Deo ſuo. Damaſcenus autem: *Lib. 3. ca 24.* Oratio eſt aſcenſio mentis ad Deum: aut, Decentiũ à

Deo

Deo petitio. Ideo Eff.em, Nyſſenus, & Chryſoſto- *L. de orat.*
mus, non aliud dicunt eſſe orationem, quàm ho- *Hom. 30 in*
minis cum Deo colloquium. Aut, Conuerſatio- *Geneſ.*
nem ſermocinationemque cum Deo. Auguſtinus
ſcribit: Quid eſt oratio, niſi aſcenſio animæ de terre- *Ser. 230 de*
ſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibi- *temp.*
lium deſiderium? Idem in Pſalm 85. Oratio tua, locu-
tio eſt ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur:
quándo oras, cum Deo loqueris. Et in Pſalm. 65. Ora-
tio velut fidelis nuntius, mandatum peragit, & pene-
trat, quò caro peruenire nequit. Baſilius ait: Oratio eſt
boni cuiuſpiã petitio, quæ ad Deum à pijs effunditur. *Hom. in Iul.*
Eiuſmodi autem petitionem neutiquam ſtatuimus in
ſola verborum præciſione. Deo enim nihil opus eſt
verbis. Magis verò dicimus eum perſpicaciſſimè ſci-
re, quę nobis nec petentibus etiam profutura ſint. &c.
Clemens Alex. appellat orationem, Conuerſationem *Li. 7. ſtrom.*
& collocutionẽ cum Deo. Item, animæ fœtus. Irenęo, *Lib. 1. ſtrom.*
orationes ſanctorum, ſunt incenſum Deo gratiſſi- *Lib. 4. ca. 33.*
mum. &c.

IIII. RATIONES *cur ſit orandum.*

QVoniam emerſerunt impij libertatem omnem tam diuinam quàm humanam in operibus abnegantes, proindeque preces noſtras ad Deum, aut inutiles aut inefficaces dictitantes; quaſi Deum flectere conaremur ad ea præſtanda de quibus nihil prædeſtinauit, vel conſtituit: communiendæ profectò ſunt animæ noſtræ fortiſſimis argumentis ac rationibus aduerſus illorum impietates, & accendendæ ad ſedulas & aſſiduas orationes.

Primò enim ad orandum nos aſtringunt auguſtiſ- 1.
ſima iſta Dei omnipotentis præcepta, *Inuoca me in die* *Pſalm. 49.*
tribulationis, eruam te. Clama ad me, & exaudiam te. Inuo- *Ierem. 33.*
cabitis me, & viuetis. Me inuocabunt, Deus meus cognoui- *& 29.*
mus te. Et in Euangelio: *Petite, & accipietis: quærite, &* *Oſe. 8.*
inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Vigilate, & orate ne *Lucæ 11.*
intretis in tentationem. Quis enim niſi planè amens & *Matth. 26.*
impius, mandata iſta contemneret, præſertim cùm *Matth. 3. &*
pater hunc nos audire iubeat? *17.*

2. Accedunt ſuauiſſimæ & fructuoſiſſimæ promiſſiones, quibus recepit ſeruorum ſuorum vota grata habiturum ſe, eademque de cælo exauditurum. Ait enim per Iſaiam: *Erit antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus,ego audiam.* Et per Ieremiam: *Cùm quæſieritis ex toto corde veſtro,inueniar à vobis.* Denique per Zachariam: *Ego Dominus Deus eorum, exaudiam eos.* Hæc Euangelio ſuo confirmans, & nos ad orandum alliciens Filius Dei,inquit. *Amen,amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite, & accipietis. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint,fiet illis à Patre meo.*

Iſa. 65. Ierem. 29. Zach. 10. Ioan. 16. Matth. 18.

3. Adde quod, non ſolùm ad orandum nos hortatus ſit Dei Filius, ac exemplo ſuo ad id nos inuitauerit & ſolicitauerit: verùm etiam orandi formulam præſcripſerit, dicens: *Cùm ſteteritis ad orandum, dicite: Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum,* &c. Clarum ergo ac certum eſt eos non Spiritu Dei agi, ſed planè ſatanico furore inſanire qui id fidei Chriſtianæ officium, velut vanum aut inutile damnare præſumunt.

Luc. 3. 5. 6. 9. 11. 18. Matth. 6.

4. Præterea, eundem habemus gratiſſimum mediatorem, & interceſſorem potentiſſimum apud Patrem, qui pro nobis & ſuis meritis & votis in cælo nunquam non interpellat. Precum eius quaſdam formulas deſcribit. *Non erubeſcant in me, qui expectant te, Domine virtutum. Non confundantur ſuper me, qui quærunt te, Deus Iſrael. Non auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam,* &c. Euangelio plurimæ continentur, tum quàdo pro ſeipſo, tum pro diſcipulis, & per eos in ipſum credituris precatur. Tametſi ergo penitus indigni ſimus, quos Deus Pater audiat, & exaudiat: Chriſtum tamen habentes mediatorem Patri gratiſſimum, per ipſum cum fiducia oportet nos adire thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Ita ergo cum D. Auguſtino Patrem per Chriſtum conueniamus: Aſpice pie Pater, piiſſimũ Filium, pro me tam impia paſſum. Reſpice quis patitur, & reminiſcere pro quibus patitur. &c.

1. Ioan. 1. Rom. 8. 1. Tim. 2. Hebr. 7. Pſalm. 68. Ioan. 17. Matth. 26. Luc. 22. Hebr. 4. Aug. li. Meditat. cap. 6.

Aſpice

Aſpice, mitiſſime conditor, dilectæ ſobolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem. Vide redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum. Conſpice Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. &cæt. Hîc attende pius quem genueris Filium, & quem redemeris ſeruum. Hîc aſpice factorem, & ne deſpicias factutã. Attende in Filio, quo propitieris ſeruo: vide carnis ſacramentũ, & temitte carnis reatum. Quoties beatæ prolis tibi patẽt vulnera, delitefcãt, obſecro, ſcelera mea, &c. *Ibid. cap. 8.*

5. Nec ſolum Filium Dei mediatorem & patronum apud Patrem habemus, verùm & Spiritum ſanctum doctorem, ſuaſorem, & auxiliatorem. *Accepiſtis* (ait Apoſtolus) *Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater.* Et rurſum: *Quoniam eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantẽ, Abba, Pater.* Iterũq;: *Quid oremus ſicut oportet neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* Hoc autem ad cauſam efficientem & ſuadentem teferendum eſſe, docet Aug. ita vt Spiritum S. poſtulare & gemere pto nobis, ſit gementes & poſtulantes facere nos, cùm chatitatem & donum orationis infundit. Sic etiam tum dicitur interpelare pro nobis, cùm nobis interpellandi & gemẽdi inſpirat affectum: ſicut illud in Euangelio, *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Manifeſtum enim eſt, veram orationẽ donum eſſe Spiritus S. Zach. 10. & 13. &c. & ideo non poſſe cõtemni, niſi & Spiritus ipſe ſimul cum illa nefariè contemnatur. *Rom. 8. Galat. 4. Rom. 8. Aug. lib. de Trin. et vnit. Dei, cap. 3. Epiſt. 105. et lib. 2. cont. Maxim. c. 9. Matth. 10.*

6. Accedit vocatio & fides noſtra, quam in precibus exerceri neceſſe eſt. Etenim per Baptiſmum efficimur ſacerdotes ad offerendum hoſtias ſpirituales, Deo acceptabiles per Ieſum Chtiſtum. Poſſet quoq; Deus etiam non rogatus, omnia neceſſaria nobis conferre, ſicut infidelibus ac etiam belluis elargitur: ſed ñe ſit otioſa fides, vult pius Pater à filijs ſuis inuocari, quo illam exerceant, bonorum omnium fontem agnoſcant; & dum quæ petunt impettauerint, debitas ei grates perſoluant. *Inuoca me*, inquit, *eruam te, & honori ficabis me. Immola Deo ſacrificium laudis* &cæt. Et Pſaltes *1. Pet. 2. Apoc. 1. et 5. Rom 10. Pſalm. 49.*

Pſalm. 115. ait: *Credidi, propter quod locutus ſum* &c. *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Clarum eſt itaque, orandi ſtudium ad exercitium vitæ Chriſtianæ, officiumque fidei noſtræ pertinere: adeo vt vera viuaque fide careat, qui Deo ſupplicare neglexerit.

7. Præterea, ſumma egeſtas & miſeria humana compellit ad orandum. Omnibus namque bonis ſeu ſpiritalibus ſeu temporarijs ac corporeis natura deſtituti, cogimur ſurſum aſpicere, Patremque noſtrum cæleſtem inuocare, vt panem noſtrũ quotidianum conferat quo nutriamur, veſtimentum quo operiamur, pacem qua fruamur tantiſper dum in regnum ſuum cæleſte nos trãsferat. Ita enim Moſes clamauit ad Dominum, vt Iſraelem cibo & potu foueret in deſertis; omniaq; ab illo ſpectant, ait Pſaltes, vt det illis eſcam in tempore. Et Iacobus ait: Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Et iterum: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Paulus Chriſtianos monet, vt adiuuẽt eum orationibus ſuis. Singulis quoque momentis egemus omnes auxilio Dei, cuius ope viuimus, mouemur, & ſumus.

Matth. 6. *Lucæ* 11. *Exod.* 16. *Pſalm.* 103. *Iacob.* 1. *Epheſ.* 6. 2. *Theſſ.* 5. *Rom.* 15. *Actor.* 17.

8. Hoſtes inſuper tam viſibiles quàm inuiſibiles, pericula continua atque grauia, quæ nobis imminent ab illis, ad ſuſpiria, lamenta, gemitus, clamoreſque precarios ac querulos coram Deo emittendos pro auxilio & liberatione, pios omnes compellũt. Cùm enim illis ex nobiſipſis occurrere non valeamus, quid ſupereſſe poteſt, niſi vt opem de cælis imploremus? Sic aũt Ioſue, Iudices, Dauid, Ioſaphat, Ezechias, Machabæus ſub incerta bellorum alea verſantes, ad orationum auxilia confugerunt. Chriſtus cum mortis horroribus & anguſtijs dimicans, patris auxiliũ inuocat. Iſraelitæ Aegyptiorum oppreſſi tyrannide, vociferãtur ad Dominum. Anna cùm eſſet amaro animo orauit ad Dominũ. Ionas de ventre cœti, Ieremias de cæno, Daniel de lacu, Suſanna de ſupplicio, &c. ad Dominũ confugiunt, & eripiũtur. De priſcis dicitur in Pſalmo: *Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt. Clamauerũt ad Dominum cùm tribularentur, et de neceſsitatibus eorũ liberauit eos.*

Matth. 26. *Exod.* 2. 14. 1. *Reg.* 1. *Pſalm.* 21. *Pſalm.* 104.

eos. Iſaias deniq; ſcribit: *Sicut quæ concepit, ũ appropinquauerit ad partũ, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus.* *Iſaiæ 26.*

9. Ad orandum nos etiam inuitant illuſtriſſima exempla ſanctorum, qui omni ętate ac ſeculo huic religioſo negotio ſedulam operam nauârunt. Enos ſub initium mundi, ſpeciali cultu *cœpit inuocare nomen Domini.* *Gen. 4.* Abram conſtructo altari, inuocauit ibi nomen Domini. *Gen. 12.* Iacob pergens Meſopotamiam, magno feruore *Gen. 28.* precatur eum, vt fœlicem profectionem, reditum poſtremò impetret. Rediens autem ſic orat: *Libera me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo.* *Gen. 32.* Moſes in littore maris rubri, Dauid in Pſalmis, Elias in deſerto & monte Carmeli, Eliſæus prope Iordanem, Daniel, tres pueri, Suſanna, Iudith; & in Euangelio Chriſtus, Apoſtoli, diſcipuli omnes, aſſidui fuerunt in orationibus. Quis porrò tot tantorumque heroum virtutes pro viribus non imitaretur?

10. Innumerabiles fructus, vtilitates, & commoda, quæ ex piorum orationibus conſequuntur, cunctos ad precandum impellere debent. *Iac. 5.* *Nam multum valet oratio iuſti aßidua apud Dominum,* quod vel ex vnius Eliæ precationibus confirmat diuus Iacobus. *Orate pro inuicem* (ait idem) *vt ſaluemini.* Igitur & propriam & proximorum ſalutem non parum promouemus pijs deprecationibus. Salomon oratione conſequutus eſt maiora, quàm petere auſus fuiſſet, nimirum, vltra ſapientiam ſingularem, diuitias, gloriam, pacem in circuitu, &c. *3. Reg. 3.* Niniuitæ ieiunijs & clamoribus ad Deum, imminentem ſibi & ciuitati ſuę magnam ruinam auerterunt. *Ion. 3.* Centurio ſerui ſui paralytici, Chananæa filiæ à dæmonio vexatæ, leproſi, cæci, claudi & varijs morbis afflicti pijs precibus Chriſto fuſis ſanitatem receperunt. Et vt ſummatim cum Auguſtino dicam, Oratio duritiem cordis emollit, auſteritatem temperat, animæ ſanctæ eſt præſidium, angelo bono ſolatium, diabolo ſupplicium, gratum Deo obſequium, &c.

11. Econtrario quoque incommoda ac pœnæ, quæ orationis & inuocationis Dei contemptores manent, ardentiſſimum eius ſtudium in pectoribus humanis accendere oporteret. *Dilexit maledictionẽ,* inquit Pſal- *Pſal. 108.*

tes, *& veniet ei:noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Tantam enim hominum ingratitudinem nequaquã
*Pſal.*13. Deus ſine vltione diu eſſe permittet. Deum non inuocauerunt, & trepidauerunt timore, &c.

12. Atque vt finem huic rei faciamus, mortis, ac ipſam ſequentis iudicij diuini metus, ad humillimas & ardentiſſimas preces iſtas etiam Dauidem, virum ſecun
*Pſal.*6.& 37 dum cor Dei coegit: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Non intres in iudicium cum ſeruo*
Pſal. 142. *tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. No-*
Pſal. 38. *tum fac mihi Domine finem meum. Ne derelinquas me in tẽ-*
Pſal. 70. *pore ſenectutis, cũ defecerit virtus mea.* Hinc Chriſtus ait:
Mar. 13. *Videte, vigilate, & orate. Neſcitis enim quando tẽpus ſit*, &c. Ac de duodecim iſtis ad orandum cauſis ſatis ſit.

V. QVIS SIT INVOCANDVS & orandus.

CONſtat expreſſis ſcripturæ verbis, eum in primis inuocandum eſſe, qui verè eſt Deus trinus & vnus, tum in communi & generali, vt cùm dicitur, Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis: cũ in ſingulari & ſpeciali; veluti quando precamur, Pater de cælis Deus, miſerere nobis: Fili redemptor mundi Deus, miſerere nobis: Spiritus Sancte Deus, miſerere nobis. Nam Deus ille vnus in eſſentia, & trinus in perſonis, non ſolùm cognoſcit miſerias, afflictiones, ærumnas, vota, gemitus & orationes noſtras; verùm etiam & poteſt, & vult inuocantes ſe iuuare, & reipſa eos liberat quomodo, quando, & quouſq; expedit tam gloriæ ſuæ, quã eorum ſaluti. Ad hunc ergo Deum ſolum verum & immortalem, huiuſq; mũdi creatorem & rectorem, preces ſuas dirigebat Enos, quando ſin-
*Gen.*4. gulari cultu *cœpit inuocare nomen Domini*: Abraham eri-
Gen. 12. gens altare, *& inuocans ibi nomen Domini*. Eidem ſup-
Gen. 15. plex factus orat, *Domine Deus, quid dabis mihi? Domine, ſi*
*Gen.*18. *inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum*, &c.
*Gen.*24.32. Sic & Beatus Iacob Patriarcha rogat: *Deus patris mei A-*
& 42. *brahams, & Deus patris mei Iſaac, &c.* Sic orauerunt Elias, Eliſæus, Moſes, Dauid, Ioſue, Samuel, Iſaias, Ieremias, & vt vno verbo dicã, Prophetæ omnes. Chriſtus

in Euan-

in Euangelio præcipiens baptizari omnes gentes, in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Beatiſſimæ Trinitatis perſonarum diuinarum cultum inuocationemq́; docuit Paulus omnium ferè Epiſtolarum ſuarum initio aut fine, Deum in perſonis trinum inuocans, ſcribit: *Miſericordia vobis & pax, à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto. Obſecramus vos,* inquit, *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per dilectionem Spiritus.* Et Ioannes in Apocalypſi, ſeptem Eccleſijs quæ erant in Aſia, precatur gratiam *ab eo qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt. & à ſeptiformi Spiritu, qui in conſpectu throni eius eſt: & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, &c.* quibus verbis tres diuinas perſonas nominatim, ſingulatimque deprecatur, &c. Quæ ad inuocationem Chriſti Dei hominis, & Spiritus Sancti ſingulariter pertinent, nos copioſè ſatis tradidimus in Dialogis noſtris aduerſus Caluinianorum teterrimas de hac re opiniones & blaſphemias. Patrem in nomine Filij inuocandum, nemo non confitetur. *Matth. 28.* *1. Ioan 3.* *Rom. 15.* *Apoc. 1.* *Dialogo 3.*

VI. INVOCANDI ETIAM BEATI ANGELI.

LVtherani, Sacramentarij, Anabaptiſtæ, Trinitarij, Libertini, Sectæ omnes huius ſeculi, quantumuis inter ſe diſſectæ ac pugnantes, in hoc tamen conueniunt omnes contra Dominum, & aduerſus Sanctos eius, vt nimium pertinaciter negent, orationes noſtras eſſe vllo modo ad eos dirigendas, quãtumuis charitate firmati, noſtrique perpetuò memores, vita beata in cælis perfruantur At miſeri, non perpendunt ſe ante plurima ſecula omni Chriſtianorum communione ſemotos, diriſque deuotos in Vigilantianis, Petrobruſianis, VValdenſibus, Catharis, VVicleffitis, Taboritis, Huſſitis, iſtiuſmodi hæreſeos patronis & aſſertoribus. Nec verentur ſe calamos, linguas, & operas ſuas beſtiæ Apocalypticæ, id eſt Antichriſto, in oppugnandis Sanctis locare: quippe qui *aperturus ſit os ſuum in blaſphemias ad Deum, & tabernaculũ eius, & eos qui in cælo habitant, & facere bellũ cum Sanctis, &c.* Sed his omiſſis, argumentis firmiſſimis & apertiſſimis euincamus, pijſſimum, vtiliſſimum, & Deo omnipotenti acceptiſſimum eſſe illos tanquam fra- *Hieron.* *Augu. Bernard.* *Apoc. 13.*

tres & conſeruos interpellare, vt ſuis nos precibus iuuent apud cõmunem Patrem ac Dominum noſtrum.

Ac principio quidem, quòd ad inuocationem Beatorum Angelorum pertinet, omni luce clarius eſt Abrahamum & Lot ſummos Patriarchas, angelos ad ſe declinãtes, ſupplices inuocaſſe & obſecraſſe. Quod autem nouerint eos non eſſe ſimpliciter homines peregrinos, ſed reapſe Beatos Spiritus, qui diuinam maieſtatem referrent in terris, vel ex his manifeſtum eſt, quòd illos proni venerantur; horum comparatione ſe puluerem & cinerem reputant; cum his, vt cum immortalibus colloquuntur; pro ſalute propria, deinde aliorum intercedunt; percipiunt denique eos diuina virtute munitos ad euertendas impiorum ciuitates, cæcitate percutiendos Sodomitas, & Segoris conſeruationem. Iacob etiam colluctantem ſecum angelum flendo rogat, vt ſibi benedicat: *& benedixit ei* (inquit Moſes) *in eodem loco*. Conſtat autem benedictionis huius vim, oratione & deprecatione pro eius felici itinere comprehenſam fuiſſe. Idem moriturus non ſolum Deum omnis ſalutis ſuæ fontem inuocat: verùm & angelum cuſtodem interpellat, vt miniſterio ſibi commiſſo bene fortunet Ephraim & Manaſſe filios Ioſeph. *Angelus*, inquit, *qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris iſtis*. Gedeonẽ hac prece ſalutans angelus, *Dominus ſit tecum virorum fortiſſime*, manifeſtat ſanctos illos ſpiritus nobis continuo bene precari: & Gedeon eum rogans vt ſignis datis fidem promiſſis faceret, quo animũ ſuum de diuino auxilio confirmaret; Angelicum præſidium ſanctè & vtiliter implorat. Horũ ſuffragijs & ſubſidijs ſenex Tobias, poſteaque Raguel iunioris Tobiæ profectionem, & cuncta negotia piè commendant. Eliphaz Iobum miſerè affectum hortatur, vt angelum ſuum cuſtodem in auxilium aduocet, qui pro ſe apud Deum patrocinetur: quod & ſalubriter fecit ad eum, & alios clamando, *Miſeremini mei, &c.* Quod & Auguſtinus in Annotationibus probat. Gabriel angelus Danieli pluries pacem precatur, Daniel eius ſe ſeruum appellans, ſupplex rogat ab illo plenius edoceri de rebus populi ſui, & fatis poſtremi ſeculi.

Geneſ. 18. & 19.
Gen. 32.
Oſe. 12.
Gen. 48.
Iudic. 6.
Tob. 5. et 10.
Iob. 5. & 19.
Dan. 10.

ſeculi. Idem adfirmat *Michaelem ſtare coram Deo, pro filijs Iſrael*, id eſt, patrocinari, adeſſeque velut aduocatus cauſis eorum. *Dan.* 12.

Sed aliquot veterum Patrum teſtimonijs hunc locum claudamus. Ambroſius ex eo quod Chriſtus pronunciat, *Gaudium eſſe angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, confirmat nos Angelorum affectare debere patrocinium, & vereri offenſam. Idem, obſecrandos à nobis eſſe angelos, cuſtodes præſertim; rurſumque, angelos ſubditorum orationibus aduocatos, paſtores Eccleſiarum cuſtodire, ſcribit. Hieronymus quoq; adfirmat, Virtutes angelicas pro nobis holocauſta & pacifica facere, id eſt, preces Deo porrigere: iterumque, Gabrielem & Michaëlem pro ſalute Hebræorum quondam rogaſſe; quod & diſertis Prophetarum vocibus ſcriptiſque comprobat. Vnicum pro multis Auguſtinum ſolum ſubijcio, his verbis primùm de Beatorum angelorum in nos beneficijs, diſſerentem: Hi ſunt in miniſteriū miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, vt eos liberent ab inimicis ſuis, & cuſtodiant in omnibus vijs ſuis, confortent, & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conſpectu maieſtatis gloriæ tuæ. Diligunt nēpe conciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras reſtaurari expectant: ideoque magna cura & vigilanti ſtudio adſunt nobis omnibus horis, & locis, ſuccurrentes & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſoliciti diſcurrentes inter nos, & te, Domine, gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propiciationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem, &c. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur pro te patientibus. Grandis eſt eis cura de nobis. Magnus eſt effectus dilectionis eorum erga nos. &c. Alibi verò ſic eos inuocat. Sancte Michael, ſancte Gabriel, ſancte Raphael, ſancti chori Angelorum, Archangelorum, &c. per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, vt pro me culpabili,

Ambroſius In Luc. 12. *Lib. de viduis.* *Epiſt.* 32. *Hieronymus Com. in* 46. *Ezech. in* 12. *Dan in* 1. *Zach.* *Auguſt. lib. Soliloquiorum cap.* 27. *Heb* 1. *Pſal.* 90. *Lib. Meditat. cap.* 40.

ipſi Deo ſupplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari, &c. Et de hac re hactenus. Ex his autem cuiuis apertum eſt, inuocationem Beatorum Angelorum ex verbo Dei, Patrumq́; perpetua fide probari. Plura alia ſcripturarum Patrumq́; teſtimonia in hanc rem citauimus, Libro primo Appendicis aduerſus hæreſes, hæreſi quarta. Nunc ad inuocationem aliorum Sanctorũ accedo.

VII. INVOCANDI QVOQVE SVNT *Beati hominum Spiritus, qui cum Chriſto in cælis æuo ſempiterno fruuntur.*

1\. SAnctos, qui iam cum Chriſto in cælis viuunt ac regnant piè ac vtiliter inuocari poſſe à nobis, primùm ex hoc confirmatur, quod manifeſtis certiſq́ue verbi Dei teſtimonijs docemur, Mortales à mortalibus rectè inuocatos fuiſſe, ac etiam nunc ſanctè commodeq́; inuocari. Abimelec namq; mittitur ad Abraham, vt pro eo apud Deum intercedat. Lot precibus ſuis obtinuit, ne Segoris ciues inſtar Sodomæorum perirent. Cognatis beati Iob dicitur: *Ite ad ſeruum meum Iob, ille orabit pro vobis.* Iſraelitæ ſupplicant Samueli, ne ceſſet pro eis clamare ad Dominum, vt ſaluet eos de manu Philiſtinorum. Bethulienſes dicunt ſanctæ Iudith, *Ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es.* Iacobus Apoſtolus ſuadet, orare pro inuicẽ vt ſaluemur Paulus deniq; ſanctos hìc adhuc degentes rogat, vt adiuuent eũ orationibus ſuis apud Deũ. Ergo multo melius ac fructuoſius poſſunt hi qui cum Chriſto in cælis viuunt ac triumphant. Nam eidem longè perfectius adhærent, quàm cùm in terris peregrinabantur Deinde, multò excellentiori charitate in nos affecti, & de ſua immortalitate ſecuri, de noſtra ſalute ſunt ſoliciti, quàm cùm adhuc nobiſcum periclitarentur & pugnarent. Nec poteſt eos ab hoc pietatis officio mortis ſors retardare, vt impiè nugantur hæretici, quandoquidem beati illi ſpiritus illic felicius viuunt, quàm cùm corpore adhuc corruptibili mortis vinculis tenebantur. Nec deniq; poſſunt ignorare noſtras preces ac miſerias, quas paulo ante ſunt experti,

Gen. 20. Gen. 19. Iob. 42. 1. Reg. 7. Iudith. 7. Iac. 5. Rom. 15. Epheſ. 6. 1. Cor. 13. Cyprian.

quaſq́;

quaſq; hinc quotidie commigrantes, & aliæ animæ, & Angeli denunciant: Poſtremò, in terſiſſimo & lucentiſſimo Verbi ſpeculo perfectè intuentur. Atque hoc argumēto Cyprianus, Origenes, Athanaſius, Nazianzenus, Hieronymus, & alij plerique perdocti & petantiqui Eccleſiæ paſtores, interceſſionem inuocationemq; Sanctorum iampridem confirmauerunt.

2. Accedit ea Sanctorum communio, quam iuxta traditionem Apoſtolorum, in Symbolo fidei Chriſtianę nos credere profitemur. Hanc Paulus membrorum corporis humani aptiſſima inter ſe facta comparatione, feliciter iuxta ac eleganter exprimit, dicens: *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Pro ſe autem inuicem ſolicita ſunt membra. Si quid patitur vnum membrū, compatiuntur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.* Cōſtat porrò in hac membrorum compage, etiam Beatos omnes ſpiritus eo excellentius cōprehendi, quo capiti Chriſto perfectius & magis intimè cohærent. Igitur vt eorum eſt nobis proſpicere, noſtramq; ſalutem vt propriam curare: ſic & noſtrū iſtud ab illis officium, veluti communi membrorū iure, per interpellationem ac inuocationem expetere & requirere. Quemadmodum ergo ſaucium caput bene valentium manuum auxilium poſtulat; vel pes læſus, oculorū, linguæ, totiuſq; capitis bene affecti piam ſolicitudinem ſuo iure requirit, ita & huius corporis myſtici membra hîc peregrinantia, varijs incommodis affecta, confratrum, conciuium, & (vt ita dicam) commembrorum opem operamque rectè depoſcunt atque flagitant. Ideo verò Bernardus docet, ſummopere nobis deſideranda eſſe Suffragia Sanctorum, vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eorū nobis interceſſione donetur. Hæc enim (inquit) noſtra & eorum cohærentia eſt, vt nos cōgratulemur eis, ipſi compatiantur nobis: vt deuota meditatione regnemus in eis, ipſi in nobis, & pro nobis militent pia interuentione. Nec eſt q̄ de eorum pia erga nos ſolicitudine dubitemus, quandoquidem non conſummādi ſine nobis, expectāt nos vſq; dū retribuatur nobis,

Rom.12.
Epheſ.4.
1.Cor.12.
Heb.12.
Epheſ.2.
Gal.4.
Ser. 5. de omn. Sanct.
Heb.11.

nobis, vt in nouiſſimo die omnia ſimul in virum perfectum cum ſuo tam excelſo capite membra concurrant, & laudetur cum hæreditate ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

3. Sunt inſuper, præter ea ſcripturarum teſtimonia, quibus mox Angelorum inuocationem adſeruimus, alia quoq; manifeſta, quibus etiam reliquorum beatorum ſpirituũ imploratio confirmatur. Moſes namque minus ſufficientem ſeſe iudicans ad Dominum Iſraeli placandum, his verbis Sanctorum Patriarcharum adhibet patrocinium. *Recordare Domine, Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, &c. Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.* Vbi Auguſtinus: Admonemur, cùm merita noſtra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit. In hanc quoque deſcendunt ſententiam Theodoretus quæſt. 67. in Exodum, & Chryſoſtomus hom. 42. in Gen. & 27. in Matthæum.

Exod 32.

Quæſt. 149. *in Exod.*

4. Rurſum, per merita preceſque ſuperiorum Patriarcharum ſeruari ſe de fornace cupientes tres pueri, orant. *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis Domine, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum, &c.* Salomon quoque de Patris ſui Dauidis precibus apud Deum confidens, ſupplex rogat. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Et paulò pòſt. *Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui.* Hæc autẽ apertam inuocationem Sanctorum continent, quandoquidem illa non ſolùm exprimatur cùm eos nominatim appellemus; verùm & cùm per illos, aut propter illos Deum ipſum Patrẽ communem interpellamus. Nam ſicut Chriſtum ipſum patronum & aduocatum noſtrum profitemur, ſimulque inuocamus, quando per ipſum, & propter ipſum oramus: ita & Sanctos veluti conſeruos & coadiutores in auxilium aduocamus, dicentes propter Apoſtolos, aut Martyres, aut Angelos, aut denique propter ſanctiſſimam Deiparam, Deus omnipotens & miſericors, miſerere noſtri, non auertas faciem tuã à nobis, &c.

Dan 3.

Pſal. 131.

5. Gratiſſi-

5. Gratiſſimas porrò ſibi eſſe, ac nobis fructuoſiſſi-
mas huiuſmodi Sanctorum ſuorum inuocationes pa- 1. *Reg.* 11.
lám Deus omnipotens rebus ipſis confirmauit, quan-
do noluit diſcindere regnum Iſraelis tempore Salo-
monis, *propter Dauid Patrem eius. Nec totum regnum au-*
feram, ſed tribum vnam dabo (infert) *filio tuo propter Dauid*
ſeruum meum. Abiæ quoque filio Roboam regi Iuda,
dedit Dominus Deus lucernam in Ieruſalem (1. filium piũ, 3. *Reg.* 15.
regni ſucceſſorem) *propter Dauid, eo quod feciſſet Dauid*
rectum in oculis Domini: id eſt, dum vixit in hoc ſeculo,
meruit vt & in altero exaudiretur. Tempore quoque
Ioram, noluit Dominus diſperdere regnum Iuda, *pro-* 4. *Reg.* 8.
pter Dauid ſeruum ſuum, tametſi ille impietatis Achab,
cuius filiam deſponsârat, ſeſe alligaſſet. Et cùm Sen-
nacherib fortiſſimo exercitu vallatus, extrema omnia
Hieroſolymis cõminaretur, iuſſit Dominus Ezechiæ
regi, bono animo eſſe, dicens, *Protegam vrbem hanc, &* 4. *Reg.* 19.
ſaluabo eã propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Atq;
vt hoc maiori fide & ſpe conciperet ac memoriæ cõ-
mendaret Rex ipſe cum populo ſuo, rurſum adijcitur
proximo capite, *De manu regis Aſſyriorum liberabo te,* 4. *Reg.* 20.
& ciuitatem hanc, & protegam vrbem iſtam propter me,
& propter Dauid ſeruum meum. Ad hæc Chryſoſtomus *Hom.* 41. *in*
exclamat. O rem admirandam! O Dei ineffabilis cle- *Gen.* 2. *in Pſ.*
mentia! Homo mortuus viuis patrocinatur. Poſt 50. 27 *in*
mortem iuſtus inuenitur viuis præſtitiſſe ſolatium. *Matth.* 3. &
Mortuus eſt, ſed merita eius vigent, &c. 77. *ad pop.*
6 Exiſtimauit Auguſtinus magni & excellentis iu- *Ant.*
dicij vir, Sanctorum inuocationem etiam iſtis Beati
Patriarchæ Iacob morientis verbis confirmari: *Inuo-* *Gen.* 48.
cetur ſuper eos (nimirum filios Ioſeph) *nomen meum, no-*
mina quoque Patrum meorum Abraham & Iſaac, & creſcãt
in multitudinem ſuper terram. De his enim ſcripſit: No- *Lib.* 1. *locut.*
tandum eſt, non ſolum exauditionem, ſed etiam in- *de Geneſi ca.*
uocationem dici aliquando, quæ non Dei, ſed homi- 200.
num ſit. Huic ſententiæ non parum roboris adfert,
quod idem verbum *kara,* hîc à Moſe vſurpetur, quo v-
ſus fuerat, Gen. 4. de Enoch ſcribens: *Iſte cœpit inuoca-* *Gen* 4.
re nomen Domini. Et poſtea Dauid: *Inuoca me in die tribu-* *Pſalm.* 49.
lationis. Vbi kara inuocandi verbum propriè ſumitur
pro,

pro, in auxilium vocare, & orando interpellare.

7. Meritò alij quoque iudicauerunt eandem Sanctorum inuocationem probari ex eo, quòd pars Iudæorum per irriſionẽ, pars militum Romanorum per ignorantiam linguæ Hebraicę, palam dixerunt, Chriſtũ in extremis agentem, Eliam in auxilium imploraſſe, cùm ad Patrem conquereretur, *Eli, Eli, Lama ſabacthani?* (*Matth.* 27.) *Quidam enim illic ſtantes* (ait Euangeliſta) *& audientes, dicebant, Eliam vocat iſte.* Et porrigenti illi ſpõgiam aceto plenam, dicebant: *Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.* Quorſum enim hoc de Chriſti clamore iudiciũ, niſi quia ſolenne vulgatumque fuit inter priſcos Hebræos, ad Sanctorum auxilium in neceſſitatibus & anguſtijs ſuis confugere? Et ſi non omnibus mortalibus etiam à natura inditum eſſet, illorum opem operãq; poſtulare, quos exiſtimant & poſſe & velle rebus ipſorum adeſſe? Manifeſtum quoq; eſt verbum vocandi, quo vtuntur, d. *Eliam vocat iſte*, in ſacris frequenter vſurpari pro, inuocare, & inuitare aliquem, vt Iob 5. *Voca ſi quis eſt qui reſpondeat.* Iſaiæ 41. *Vocabit nomen meum.* Iere. 3. *Saltẽ à modo voca me, Pater meus* &c. id eſt, inuocame. Deniq; Luc. 14. *Cùm facis conuiuium voca pauperes*, id eſt, inuita. Iudicantes igitur tam Iudęi quàm gentiles, Chriſtũ in auxilium ſuũ Eliam prophetam appellare ac inuitare, id quod de inuocatione Sanctorũ contendimus, omnino cõprobant. Præſtat porrò illud nunc ex eorundem Hebræorũ, deinde Græcorũ, poſtremò Latinorũ Patribus, & perpetuis traditionibꝰ adſerere.

8. Hebræi ergo ex conſtanti firmaq; maiorum ſuorũ traditione, etiam nunc Sanctos Patriarchas pro ſpiritibus defunctorum ſuorum, his, interprete Genebrardo, verbis inuocant. (*Officio defunctorum.*) Patres ſeculi, qui dormitis in Hebron, portas horti Eden aperite illi, atq; dicite: Aduentus eius eſto in pace. Colles æterni de ſpelunca duplici, portas paradiſi Edẽ patefacite illi, ac dicite: In pace veniat: Angeli pacis egredimini in occurſum ipſius, portas paradiſi reſerate illi, &c. Cuſtodes theſaurorũ horti Eden, patefacite ei portas horti Eden, & ingrediatur paradiſum, fruaturque fructibus paradyſi. Illi rurſus in Breuiario ſic per & propter ſanctos Patres Deũ precãtur. Domine, fac (miſericordiam) propter inqui-

linum(Abraham)perfectum tuum,& parce Iſraeli populo tuo. Domine, fac propter vinctum in veſtibulis tuis(Iſaac), & parce Iſraeli populo tuo. Domine, fac propter exauditum in ſcala de excelſo tuo (Iacob), & parce Iſraeli populo tuo.Domine,fac propter meritũ Ioſeph ſancti tui, & parce, &c. Domine, fac propter extractũ de aquis,&c. Domine,fac propter ſacerdotio fungentem in Vrim & Tummin,&c.Domine,pręſta propter Phineem zelantem ob nomen tuum,&c.Domine,pręſta propter(Dauidẽ)ſuauiter concentus tuos emodulantem, &c. Et paulo poſt. Fac propter Abrahã,Iſaac,& Iacob.Fac propter Moſem & Aaronẽ,&c.

His deniq; accedunt grauiſſimæ querelæ lamentationeſq; tam Ioſephi quàm Egeſippi Hebraicorum hiſtoricorum,ſuper ſanctæ ciuitatis poſtrema per Romanos deſolatione. His enim ſanctos Prophetas vt ſibi compatiantur,ac ædis ciuitatiſq; diuinæ miſereantur flebilibus vocibus compellant.Exurge nunc Moyſes, & vide gentem tuam, & hæreditatem populi tibi crediti,perire manibus ſuis. Exurge Aaron,qui aliquãdo propter offenſam Dei cùm mors plurimos depaſceretur,ſtetiſti inter viuentes ac mortuos, & mors ſtetit. Suſcitare & tu Ieſu Naue, qui muros inexpugnabiles tubis canentibus complanaſti.Suſcitare Dauid,& vide quemadmodum dominatur furor, atq; omnem ſuauitatem Pſalmorũ tuorum aboleuerit.Suſcitare Heliſæe,qui hoſtem introduxiſti in Samariam,& amicum feciſti. Vbi nunc iſta merita, & vbi nunc operationes iſtæ ſanctorũ?&c.Oportet ergo Lutheranos & Caluinianos homines eſſe totos ex fraude & mendacio compoſitos, quando tam præfractè impudenterq; docent ac ſcribunt,Veterẽ Synagogam Patrũm circunciſorũ nunquam Sanctos homines vel Angelos inuocaſſe.

Ad finem li. 5. de excidio Hieroſol.

In Anacephaleoſi.

9. Græcos autẽ vel ex ipſis Apoſtolorũ temporibus, ſedulam huic pietati operã impendiſſe,firmo & aperto teſtimonio ſunt Liturgiæ Iacobi,Marci, Clemẽtis, Dionyſij,Baſilij & Chryſoſtomi,in quibus ſuis locis fiunt Sanctorum qui ex hac vita diſceſſerunt,commemorationes,& pro fratribus hîc adhuc peregrinãtibus & certantibus inuocationes.Deinde Irenæus vir Apoſtolicorum temporum, beatiſſimam Deiparã appellat

Lib. 5. ca. 19.

Euæ (proindeque aliorum peccantium) aduocatam. Origenes & ipſe poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſter, cõtendit omnes ſanctos qui vita iſta functi ſunt, gerere curam ſalutis noſtræ, iuuare nos precibus apud Deum, ex eo quod charitatem erga nos adhuc retinent, & Hieremias Propheta dicitur ſemper orare pro populo. Et idem rurſum adfirmat, Diſcipulos Domini aliosq; ſanctos, etiam nunc ante cõſpectum Chriſti intercedere, & ipſum prouocare, ne deſerat genus humanum propter peccata ipſorum. Poſtremò, & ipſe nominatim Abrahamum, Iobumque deprecatur, vt pro ſe apud Deum intercedant: & vniuerſos poſtea Sanctos vt ipſi ſuccurrant. Seueri Imperatoris perſecutione martyr effecta Potamiena virgo, Baſilidi carnifici ſuo impetrauit à Domino, & vt ſacris noſtris initiaretur, & martyrio in cælum perueniret. Euſebius diuini Platonis ſententiam iſtam, vt ex ſacris Hebræorum literis deſumptam commendat. Certè defunctorum animæ virtutem quandam habent, qua vel poſt mortem rebus humanis auxiliantur. Sic certè, inquit Euſebius, de Ieremia traditum fuiſſe Iudæi contendunt, & Machabæorum liber refert. Idemque poſtea. Nos veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta eorum accedimus, votaque ipſis facimus tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum iuuari profitemur. Athanaſius ſanctiſſimam Deiparam his verbis conuenit: Inclina aurem tuam ad preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui. Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis. Baſilius hortatur, vt qui ſuorum aliqua premeretur anguſtia, ad quadraginta martyres confugeret: & qui lætaretur, hos oraret: ille vt à malis liberaretur, iſte vt in rebus lætis duraret. Nazianzenus teſtatur virginem Iuſtinam Beatiſſimæ Virginis Mariæ interceſſionibus, dæmonum artes & carnis ſtimulos ſuperaſſe. Idemque eximia pietate & religione Beatos Cyprianum, Athanaſium, & Baſilium in meliorem ac beatiorem vitam euocatos omni demiſſione inuocat, veluti valentiſſimos apud communem Deum & Dominum noſtrum patronos. Beatus

Effrem

Hom. 3 in Cant. — *1. Cor. 13.* — *2 Mach. 15.* — *Tract. 27. in Matth.* — *Li. 2 in Iob: & in Lamento.* — *Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 5.* — *Lib. 12. de præp. cap. 1.* — *Li. 13. cap 7.* — *Ser. de Euang. de ſanctiſ.* — *Orat. in 40. Martyres.* — *Orat. in Cyp.* — *Athan. Baſil.*

Effrem precatur beatiſſimos martyres, vt familiarius *Ser. de laud.*
Deo coniunctos, pro miſeris peccatoribus Dominum *Martyrum.*
interpellarent. Cyrillus Ieroſolymitanus ſacrificium *Catech. 5. my*
offerens, mentionem facit eorum qui dormierunt. *ſtagogica.*
præſertim Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum,
vt Deus orationibus illorum ſuſcipiat preces ſuas.
Chryſoſtomus pios Imperatores laudat, quòd faſtu *Hom. 66 ad*
depoſito, Sanctis ſupplicarent, vt pro ſe apud Deum *pop. Antioc.*
intercederent. Oremus etiam (idem inquit alibi) vt *In 1. cap. 1. ad*
pro nobis precentur, manumque porrigant, vt bona *Theſſal.*
diligentibus Deum promiſſa conſequi valeamus. Ce-
lebratur à Theodoreto, Sozomeno, Ruffino & alijs
Theodoſius imp. quòd circuiret orationum loca, an-
te Apoſtolorum & Martyrũ thecas iaceret cilicio pro
ſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorũ interceſſione poſ-
ceret, aduerſus Eugenium tyrannum congreſſurus.
Et vt paucis, multos huius ſententiæ aſſertores com-
prehendamus, ſexcenti & triginta ſancti Patres, qui
in Concilium Chalcedonẽſe circa annum Dom. 454. *Action. 11.*
conuenerunt, beatum Flauianum martyrem palam
inuocauerunt. Trecenti & quinquaginta in ſexta Sy-
nodo coeuntes, Chriſtianis præſcribũt, vt ſolùm qui-
dem Deum adorent, verùm Sanctos inuocent, vt pro *Cap. 7.*
ſe intercedere apud maieſtatem diuinam dignentur.
Omnes denique Orientis Patres, qui Nicenam ſecun-
dam celebrauerunt, ad finem Actionis ſextę vna mẽ-
te voceq; pronunciant: Cum timore omnia agamus,
poſtulantes interceſſiones incontaminatæ Deiparæ,
item ſanctorum Angelorum, omniumq; Sanctorum.
Et de Patrum Græcorum doctrina ſententiaque circa
Sanctorum inuocationem hactenus.

10. Latinorum eandem prorſus ſententiam fuiſſe,
ſubiectis omni exceptione maiorum teſtium autho-
rumq; iudicijs comprobemus. Occurrit in primis Cy- *Lib 3. epi. 15.*
prian. antiquitate, doctrina, & martyrio illuſtris, do- *Ser. de ſtella*
cens lapſos auxilio martyrum apud Deum adiuuari: *& Magis.*
innocentes ab Herode occiſos, clementiam Dei pro
noſtris exorare laboribus, & nonnullis etiam imme-
ritis, veniam obtinere: inſuper & ipſum Corneliũ ro- *Epi ad Corn.*
gans, vt qui prior eorum deceſſiſſet, perſeueraret apud

Deum dilectio, & pro fratribus ac ſororibus nō ceſſet oratio. Cornelius & ipſe ſummo ſacerdotio & martyrio decoratus, docet orandum eſſe Dominum noſtrū Ieſum Chriſtū, vt intercedentibus ſanctis Apoſtolis, maculas noſtrorum purget peccatorū. Arnobius his verbis ſubſcribit: Pereūt vrbes, pereūt prouinciæ, quia pereunt diſciplinæ. Supereſt vt ſtet Phinees, & exoret pro nobis, id eſt, ſtet populus martyrū, qui non timuerunt ſanguinem fundere. Vt his orantibus, ceſſet à nobis quaſſatio, vt hoc quod euadimus, quia noſtra iuſtitia nulla eſt, illorum reputetur iuſtitiæ. Quid aūt prohibet, vt pro nobis precantes, optemus id ſedulò continuoq; peragere? Hilarius magno animo contendit, nos nō modò Apoſtolorum & Prophetarum, verùm & beatorum Angelorū interceſſione apud Deum indigere. Ambroſius non ſolùm docet inuocandos eſſe Angelos nobis ad præſidium datos, martyres, & Apoſtolos: verùm etiam ipſe idem adiuuari cupit & rogat orationibus B. Eleazari ſacerdotis, qui ſub Antiocho martyrium ſubierat; & B. Mariæ virginis ſuffragia petit; & Iulianam piam matronam B. Laurentij precibus filium nomine Laurentium à Deo impetraſſe ſcribit. Hieron. B. Paulam ſic inuocat: Vale nunc ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius quę poſtulas imperrabis Idem rurſum, vel (vt alij volunt) Sophronius ei intimus, profitetur beatiſſimam Deiparam ſuis nos iuuare meritis, & precibus auxiliari. Auguſtinus, quem vnicum mirari ſe & ſuſpicere præcellentis doctrinæ & pietatis ergô profitentur Sectarum authores, teſtatur plurimos de grauiſſimis & incurabilibus morbis conualuiſſe Sanctorum Stephani, Geruaſij, & Prothaſij præſertim, interceſſione atq; inuocatione: ob idq; frequētari ore Chriſtiano, cùm ſe cuique Sanctorum humilis quiſq; commendat, & dicit, Memor mei eſto: atq; vt id eſſe poſſit, promerendo efficit. Quinetiam, idem Auguſt. non ſemel Cyprianum martyrem inuocans, poſtulat eius orationibus adiuuari in iſtius carnis mortalitate, vt donante Domino, bona illius imitaretur: & Donatiſtis vnitatem Eccleſiæ la-

Epiſt.1. In Pſal. 105. In Pſal. 124. & 129. Lib. de vid. Li. 2. de Iac. cap. 10. Orat. 2. præp. ad Miſſ. Exhort. ad virgines. Epitaphio Paulæ: & ſer. ad Paul. & Euſtoch. Li. 22. ciuit. cap. 8. Cap. 27. L. 5. de bapt. cap. 17 & li. 7. cap. 1.

ſiæ lacerantibus reſpondendo obuiam pergeret. Inſuper, memorias Martyrum ideo à populo Chriſtiano *Tract. 84. in* celebrari docet, vt eorum meritis conſocietur, & pre- *Ioan et Ser.* cibus adiuuetur. Iterumq́; ad ipſam menſam Domi- *17. de verbis* ni commemorari, vt pro nobis orent, non vt pro ipſis *Apoſtoli.* oremus: quandoquidem iniuria ſit pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendare. Denique, ſingulari affectu pietateq́ue nominatim inuocat ſanctam & immaculatam Virginem Dei genitricem Mariam, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, choros Angelorum, Prophetarum, Apoſtolorum, E- *Lib. Medit.* uangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Sacerdotũ, *cap. 40.* Leuitarum, Monachorum, Virginum, omniumq́ue iuſtorum, vt pro ſe culpabili, ipſi Deo ſupplicare dignentur &c. Eaſdemq́; preces ingeminans, ad eos exclamat: Orate Dominum, orate piiſſimi, orate omnia *Ibid. cap. 24.* agmina Sanctorum, & vniuerſi cœtus beatorum, vt veſtris precibus, meritiſque adiuti, ſalua naue & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ ſalutis, quietis, pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis. Et vt modum huic diſputationi imponam, prætermitto Prudentium, Paulinum, Leonem Magnum, Gregorium, Fulgentium, Victorem, & alios abſque numero Patres Latinos, qui & ipſi Sanctos piè inuocauerunt, & alijs vt cum incredibili fructu ac vtilitate eoſdem in auxilium inuocarent, authores fuerunt &c.

Quid aduerſus tantam nubem teſtium, ponduſq́ue *II.* teſtimoniorum vel hiſcere aliquo iure poterunt hæretici? Si ſupra mille & trecentos iſtos authores, ſacros planè ac antiquos, doctoſq́; totius Eccleſiæ Chriſtianæ antiſtites, aut ſuperſtitionis, aut cultus mortuorum, aut idololatriæ vt loquuntur, damnauerint, num vniuerſam Chriſti Eccleſiam, ac nationem filiorum Dei ſimul cum atheis reprobabunt? Deniq́;, cùm ſuperiores omnes, demptis his ſolum qui Nicenæ ſynodi ſecundæ adfuerunt, ætatem D. Gregorij Papæ, id eſt, annum Domini quingenteſimum nonageſimum ſuperauerint, quibus conſilijs, artificijsúe Miniſtri

 præ-

præſertim Lutherani, magnum impudenſque Melanchthonis ſui, ac totius Germaniæ vti profitentur præceptoris, mendacium excuſabunt, quo ſcribere non erubuit, Ignotam fuiſſe ante Gregorium Sanctorum inuocationem? Reliqua perſequamur.

VIII. PRO QVIBVS PERSONIS ſit orandum.

1.Tim.2. Apoſtolus id paucis docet, ſcribens: *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt.* Illud autem, *pro omnibus hominibus*, vt tacitam continet dęmonum, adeoque damnatorum vniuerſorum excluſionē, (pro illis namq; vt rectè contendunt Augu. & Greg. preces nec vtiles, nec Deo gratæ forent) ita cunctos comprehendit, quibus charitatis officia impendere debemus. Iubemur autem ex charitate diligere non ſolùm propinquos & amicos, ſed etiam inimicos. Igitur orandum eſt non tātùm pro amicis, proximis, ac eiuſdem religionis conſortibus, ſed & pro inimicis, alienis, & infidelibus. Meminit aūt eorum qui in ſublimitate ſunt, cuiuſmodi ſunt ſummi ac inferiores Pontifices, Paſtores ac Doctores verbi diuini, inſuper Reges, Principes, magiſtratus, rectores vrbiū & prouinciarū, quoniam publicę omnium vtilitati plurimū intereſt, vt hi cum Dei timore & amore Eccleſijs & Rebus publicis pręſint. Enimuerò Paulus orationi pro ſe inſtātes eſſe cupit Coloſſenſes, vt Deus aperiret illi oſtiū ſermonis &c. Obſecrat & Romanos, vt ſe laborantē iuuent precationibus ad Deum, vt liberaretur ab infidelibus, q erant in Iudæa. Et ad Theſſal. ſcribit: *Fratres, orate pro nobis, vt ſermo Dei currat, et clarificetur ſicut et apud vos, vt liberemur ab importunis & malis hominibus.* Rurſumq; ad Epheſ. *Per omnem orationem*, inquit, *& obſecrationē orantes omni tempore in ſpiritu, pro omnibus ſanctis, et pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei, vt cum fiducia notum faciam myſterium Euangelij* &c. Sic orauit Eccleſia pro Diaconis electis: item, pro Petro in Herodis carcere conſtituto: denique, pro Paulo & Barnaba, ad propagandum Euangelium inter Gentes emittendis. In Liturgijs

Marginalia: 1.Ioan.5. Lib. 21 ciui. cap.24. L. 4. Dialog. cap 44. Matth 5. Coloſſ.4. Rom.15. 2.Theſſ.3. Epheſ 6. Actor. 6 12. & 13.

turgijs tam Græcis quàm Latinis,preces fiunt pro Papis & Antiſtitibus, &c. Baruc Propheta iubet Iudæos *Baruc.1.* tranſlatos in Babylonem offerre ac orare pro vita Na- *Ierem.29.* buchodonozor regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius. Serui Dauid omnem felicitatem exoptant filio ac ſucceſſori eius Salomoni: Quin & ipſe Dauid *3 Reg.1.* ita pro felici eius imperio precatur: *Det Dominus ti- 1.Paralip.22.* *bi prudentiam & ſenſum, vt regere poſsis Iſrael, & cuſtodire legem Domini Dei tui.* Primi Chriſtiani pro Imperatoribus,& Magiſtratibus ab eis ordinatis, tametſi Religioni veræ vt plurimum infeſtis,orabant. Ait enim Iuſtinus ad Senatum Romanū: Vobis læti ſeruimus, *Apolog. 2.* regeſque vos & principes hominum eſſe profitemur: rogamuſque vt vos cum regali poteſtate, ſanam bonāq; mentem habere inueniamini. Tertullianus autē: Scitote præceptū eſſe nobis,etiam pro inimicis Deum orare,& perſecutoribus noſtris bona precari. Et rurſum:Precantes ſumus ſemper pro omnibus Impera- *Apologetici ca.30 31. 32.* toribus,vitam illis prolixam,imperium ſecurum,domum tutam,exercitus fortes,ſenatum fidelem, populum probum,orbem quietum,& quæcunq; hominis & Cæſaris vota ſunt:Et paulò pòſt:Eſt & neceſſitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni ſtatu imperij rebuſq; Romanis, quòd vim maximam vniuerſo orbi imminentem,ipſamq; clauſulam ſeculi acerbitates horrendas comminantem, Romani imperij commeatu ſcimus retardari. Rurſumque. Oramus *Cap.39.* pro Imperatoribus,pro miniſtris eorum,& poteſtatibus,pro ſtatu ſeculi,pro rerum quiete,pro mora finis. Et alibi.Sacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo *Li. ad Scap.* noſtro & ipſius:ſed quomodo precepit Deus,pura pre *cap.2.* ce.Dionyſius Alex.apud Euſebium,ait: Indeſinenter *Lib.7. hiſt.* pro imperio eorū(Valeriani & Galieni),vt immotum *cap.11.* permaneat,oramus.Et qui hos tempore & authoritate multū præceſſit, Martialis vnus ex 72. ſcribit.Pro im- *Ep. ad Burd.* pijs aſſiduè orate,vt ad veritatē Dei conuerrantur,&c. *cap.27.*

IX. ORANDVM ETIAM PRO FIdelibus defunctis.

VT nimis pertinaciter contendunt Lutherani & Caluiniani non eſſe fundendas preces pro ſa-

 lute

lute animarum,quę ex hoc ſeculo in aliud commigrā
runt,ſic è contrariò, ſcripturis diuinis,Apoſtolorum
Patrumq́; perpetua conſtantiq́;doctrina & traditione
nixi Catholici fortiter ſapienterq́; docent, ſacrificia,
orationeſq; pro illis Deo fuſas,eiſdem mirum in modum ſalutares eſſe, nimirum,vt vel citius à ſupplicijs,
quibus ad tempus corripiuntur,omnino liberētur,vel
In loc. com. ſaltem mitius & indulgentius cum eiſdem agatur.Im
Com in Li.3. pudentiſſimum autē in primis ac maximū eſt VVolf-
Ioſeph. c.19. gangi Muſculi, Sebaſtiani Munſteri, Caluinianorum
Scuto fidei, deniq; mendacium, *Nuſpiam traditum vel vſitatū in Ec-*
Dial.2 pag. *cleſia Iſraelis, vel ſacrificia vel preces offerre pro mortuis.* Cō-
249. trarium enim euicimus iamdudum,decem fortiſſimis
Com in Rut. ac euidentiſſimis argumentis, ex ipſis Hebræorū fon-
pag. 89.90. tibus & ritibus deſumptis. Totidem rurſum ex Syro-
91.&c. rum ſcriptis:poſtremò,aliquot alijs Chaldæorū, Ae-
thiopumq́; teſtimonijs confirmauimus apud illos &
ſacra ſemper facta,& preces tam publicas quàm priuatas diuinæ miſerationi oblatas pro ſalute fidelium de
Annot. in 3. functorum.Quibus adijcio,ſecum apertè pugnantem
cap.Habac. Munſterū,quippe qui palam fateatur, ſe Baſileæ repe-
riſſe Iudæorū epitaphia his verbis clauſa in lapidibus:
Sit anima eius ligata in Paradiſo, amē,amē,amen. Et
Heildebergę lapis eſt,infit idem, ſculptus ante annos
243. cuius inſcriptio in hæc deſinit verba. Quies eius
ſit in faſciculo vitæ cū reliquis iuſtis mulieribus, &c.
An non verò iſtud eſt quoq; diſertè pro defunctis orare? Inſuper,Paulus Fagius & ipſe vir hęreticus,non ſo
Fagius in 14. lū agnoſcit veteres Hebręos pro defunctis ſuis oraſſe,
c.Deut. verùm & ipſas eorū preces ex Hebraicis Latinas facit.
Adde Dauidē Kyberum eiuſdem furfuris hominē,orationes q̄ apud Ioſippū pro mortuorum ſalute funduntur, Latinis verbis explicantem. Adeo certum &
exploratum eſt,Hebræos ex Prophetarū patrumq́; perpetua,cōnſtantiq;traditione,mortuis ſuis bene precari. De antiqua firmaq́; Græcorum & Latinorum omnium conſenſione nemo niſi planè ſtupidus aut impius ambigere poteſt. Nos aliquot Dialogis in eam rē
ſcriptis copioſiſſimè confirmamus hanc fuiſſe vniuerſorum, qui vnquam de animorum immortalitate,di-
uinoq;

uinoq; poſt hanc vitam iudicio piè rectéq; ſenſerunt, fidem atq; religionem. Illos dum per publicam huius regni tranquillitatem datum fuerit, euulgabimus.

X. PRO QVIBVS REBVS SIT ORANDVM. *Matth. 6.*

RErum a Deo expetendarum quandam ſummã Chriſtus expoſuit dicens, Sic orabitis: *Pater noſter qui es in cælis, &c.* Hæc. n. vt ait Tertul. quantum ſubſtringitur verbis, tantùm diffunditur ſenſibus. *De orat. ca. 1.* Neque propria tantum orationis officia complexa eſt, venerationem Dei, aut hominis petitionem, ſed omnem penè ſermonem Domini, omnem commemorationem diſciplinæ, vt reuera in oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur. Docent quoq; Cyprianus & Auguſtinus, quicquid à Deo petendum & ſperandum, quicquid alia precationum genera complectuntur, quicquid denique ad ſeruorum Dei ſalutem ſpectare poteſt, hac vna oratione contineri. *De orat. Dñ. Aug. ep. 121.* Septem etenim petitiones continet, quarum in tribus æterna poſcuntur, in reliquis quatuor temporalia. His etiam non ſolùm nobis ipſis, ſed & proximis expetimus bona cuncta conferri, peccata remitti, & vniuerſa mala procul auerti.

Cæterùm, docent magno conſenſu Theologi, bona ſpiritualia, vt ſunt Fides, Spes, Charitas, remiſſio peccatorum, ſalus animarum, patientia in aduerſis, moderatio in proſperis, perſeuerantia in amore & timore Dei, & cætera ſine quibus ſaluari non poſſumus, peti poſſe & deberi ſine vlla conditione. *Greg. ho. 27. in Euang. Bern. ſer. de 4. modis orandi.* Bona verò temporalia, vt ſunt proſpera valetudo, opes neceſſariæ, liberi, veſtes, externæ ab hoſtibus & periculis corporeis liberationes, poſtulanda cum iſta conditione, Si nobis proſint: noſtramque voluntatem diuinæ ſubijciendam eſſe perpetuò voluntati, vt exemplo docuit Saluator, dicens: *Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* *Matth. 26.* Simul ſemperque petendum eſſe docet Auguſtinus, Vt non fiat quod non bene petimus, quia & hoc pertineat quod in oratione Dominica dicimus, *Ne nos inferas in tentationem.* *Tract. 73. in Ioan.* Nec enim parua eſt tentatio, ſi contra tuam ſit cauſam tua poſtulatio. Sed quid poſtulauerint Sancti attendamus. Abraham

orat pro ſalute Sodomæorum, Lot pro ſua ſuæque familiæ. Iſaac rogat pro vxore ſua ſterili, vt pariat: Iacob panem ad manducandum, veſtem qua operiatur, vtq; liberetur à fratre ſuo Eſau, quem cum armis obuiam ſibi pergere nouerat. Moſes poſtulat vt Aegyptij iuſtis ſupplicijs afficiantur, populus diuinus liberetur, paſcatur in deſertis, peccatorumque remiſſionem accipiat. Salomon petit à Deo exauditionem, ſapientiam, cor docile, rectam regni gubernationem, iuſtum iudicium, templi à ſe conſtructi ſanctificationem, &c. Nulla ferè res eſt cuius Dauid in Pſalmis non meminerit cùm prece, querela, aut gratiarum actione, quæ & ipſæ ſunt orationis ſpecies. Ezechias obſidionem ſolui, Sennacherib cum ſuo exercitu profligari, ſanitatem ſibi reſtitui, vitamque prorogari. Daniel ſolui captiuitatem Babylonicam, & aduentum Meſſiæ accelerari. Tres pueri eripi de camino, Suſanna de infami ſupplicio, Ionas de ventre cœti, Tobias à cæcitate, Anna de improperio, Ieremias de cœno. Helias ne cælum det pluuiam, aut terra fructum conſuetum, per fidis & deſertoribus diuinæ religionis, &c. Chriſtus omnis generis res nobis neceſſarias à Patre celeſti expetendas docet his verbis: *Quodcunque volueritis, petetis. Si duo ex vobis conſenſerint, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à Patre meo. Omnia quæcunque petitis, credite quia accipietis, &c.* Apoſtoli petunt, vt ſibi adaugeatur fides, ſaluentur è periculo maris; monenturque à Domino vt rogent pro donis Spiritus Sancti accipiendis, ne intrent in tentationem, orentque pro perſequentibus & calumniantibus. Leproſi orant vt mundentur, cæci vt viſum recipiant, claudi & paralytici vt ſanentur: parentes denique vt liberi vel à dæmonio, vel à morte liberentur, &c.

Ioan. 15. Matth. 18. & 21.

XI. *AN CVIQVAM MALA IMprecari liceat.*

Lib. 1. de ſer. Dom. in mõte.

Senſit Auguſtinus nunquam id licere, ſcribens eas quæ in Prophetis leguntur imprecationes, tantum eſſe vel comminationes, vel futurarum pœnarum prædictiones. Et quod optatiuo modo pro indicatiuo

dicatiuo ſint vſi Hebræorum more, qui non raro tempus vſurpant pro tempore, vt præteritum pro futuro. Nihilominus fatetur quandoque orari pœnas aut caſtigationes aliquibus, vt corrigantur: quod inquit, non eſt contra illos, ſed pro illis orare. Sic enim martyres ſub altari clamantes *Vindica ſanguinem noſtrũ qui effuſus eſt, orant contra regnum peccati, vt euertatur*: vel peccantibus modus imponatur, ne latius graſſentur, quod etiam miſeris peccatoribus vtile eſt. Nec etiam abſurdum eſſe putat. ſi pro fine Sancti precentur, in quo tandem aliquando ceſſet impietas. Sic enim iubemur orare, vt adueniat regnum Chriſti: quo dicente, *Ecce venio citò, Spiritus & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicit: Veni Veni Domine Ieſu, &c.* *Apoc. 6.* *Matth. 6.* *Apoc. 22.*

Dicendum itaque videtur, quædam eſſe mala culpæ, alia pœnæ: aut (vt Tertullianus loquitur) mala delicti, & mala ſupplicij. Ac priora quidem, id eſt, delicta & peccata imprecari alicui, videlicet, vt ſceleribus ſeipſum contaminet ac perdat, prorſus nefarium eſt. Hoc enim aliud non eſſet, quàm charitatis præceptum pedibus proculcare, cupereque vt Deus ipſe humana contumacia & inobedientia contumelijs afficeretur. Malorum autem ſupplicij ac pœnæ quædam temporaria ſunt, quæ ad hãc vitam pertinent: alia verò ſempiterna, quæ ad gehennam. Quantum ad priora ſpectat, admittit Auguſtinus ea nos piè ac vtiliter impijs ac perſecutoribus, qui Dei cultum ac Religionem inſectantur, imprecari poſſe, præſertim ſi zelo iuſtitiæ publicæ, non autem propriæ vindictæ appetitione ducamur, nimirum, vt vel his correpti peccare & furere deſinant: vel ſaltem locum Sanctis concedant, vt omni illorum terrore atque rabie liberati, ſecurius Deo deſeruiant. Iſtud autem etiam prudenter & moderatè agendum eſt, quandoquidem caro noſtra ad peccandum prona ab adoleſcentia ſua, diuinæ gloriæ prætextu pro ſua dignitate & exiſtimatione non raro inſanire & bellare conſueuit. Deinde peccata ipſa à naturis hominum ita diligenter ſunt ſecernenda, vt hominibus ipſis bene velimus, peccata verò inſectemur, extinctaque cupiamus. Ad hunc enim fi- *Lib. 2. ad. Marc.*

Pſalm. 82. nem ſcopumq; diriguntur hæc Pſalmiſtæ verba: *Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, &c.* Ea de re Helias oratione clauſit cælum,
3. Reg. 17. terræque fruges prohibuit, vt fame compulſi decem tribus redirent ad Dominum. Promulgatę fuerunt in monte Hebal plurimæ & grauiſſimæ imprecationes
Deut. 28. aduerſus legis contemptores, vtpote, *Maledictus eris in ciuitate, in agro, &c. Adiungat tibi Dominus peſtilentiam, percutiat te Dominus egeſtate, febri, frigore, ardore, &c. Sit cælum quod ſupra te eſt, æneum: & terra ferrea. Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos, &c.*

Quod ad æterna ſupplicia pertinet, notandum diligenter, Prophetas ſingulari Spiritus Sancti colloquio ac reuelatione multa de finali quorundam tyrannorum impœnitentia, multa de hoſtium ſuorum Eccleſiæq; aduerſariorum æterna reprobatione, multa deniq; de his quorum eſt iam deſperata ſalus, pręter vulgatam hominum ſortem didiciſſe. Illi ergo accenſi zelo diuino, ſuamq; voluntatem diuinæ conformantes, aduerſus illos quos tales eſſe aut futuros pro certo cognouerunt, diuinum iudicium accelerari precati ſunt, eoſdemque cunctis his execrationibus & diris, quas in ſcripturis legimus, grauiter animoſeque deuouerunt. Dauid aduerſus blaſphemos Deiq; irri-
Pſalm. 5. ſores precatur: *Sepulcrũ patens eſt guttur eorũ, linguis ſuis doloſè agunt, iudica* (Hiero. condemna) *eos Deus*, id eſt, tanquam impios & reprobos vlciſcere ac diſperde.
Pſal. 58. Et rurſum. *Intende ad viſitandas* (i. iudicandas & grauiter plectendas) *omnes gentes; non miſerearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Iterumque aduerſus Iudaicam
Pſalm 68. in Chriſtum rabiem orat: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, &c. Obſcurentur oculi eorum, &c. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Deleantur de libro viuentium*, id eſt, non numerentur inter electos tuos, &c. Et in diuinæ legis deſertores ac pro-
Pſal. 54. ditores inſurgens, *Veniat*, inquit, *mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes*. Scilicet vt quondam deſcenderunt Core, Dathan, Abiron, alijque cum ip-

ſis ſchiſ-

ſis ſchiſmatici & apoſtatæ. Ieremias quoque impijs principibus, Pontificibus, & magiſtratibus, qui verbi Dei commiſſam ſibi prædicationem furiosè oppugnabant, imprecatur. *Da filios eorum in famem, deduc eos in manu gladij, fiant vxores eorum abſque liberis, & viduæ, viri earum interficiantur morte, iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio. Domine, ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur, &c.* Hæc profectò non ad ſalutem, ſed perditionem & damnationem æternam pertinent. Ac vt multa his ſimillima paucis conſtringam, ſimili animo ſiueque Moſes eos qui abnegato vero Deo, vitulum aureum coluerunt; Ioſue, gentilium aliquot myriadas; Samſon & Dauid Philiſtæos; Elias Baalis miniſtros, & duos quinquagenarios; Eliſæus conuiciantes ſibi pueros; Machabæus legis deſertores, ſimulque Antiochi milites, diris confixos in orcum demiſerunt. *Ierem.18.*

Nec deſunt ſimilium imprecationum exempla in nouo teſtamento, veluti cùm Petrus Simonem alloquitur: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Hoc enim nihil aliud eſt, quàm: Vtinam vt tu pereas, & pecunia tua tecum. Et Paulus contra Alexandrum ærarium, qui ei multa mala intulerat, his verbis orat: *Reddat ei Dominus iuxta opera eius.* Nam Ἀποδώη, reddat, verbum eſt non ſolùm prænunciantis, ſed maximè optantis feruenti quidem, ſed diſcreto zelo, illi exitium. Et rurſum: *Si quis non amat Dominum Ieſum ſit anathema, maran atha.* Iterumque. *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Hæc enim Apoſtoli vota conſtant apertis execrationibus, quibus non tantùm abominatur, ſed & diris deuouet Chriſtianæ Religionis ex profeſſo aduerſarios. Itaque contra inimicos ſuos orauerunt Sancti, non quòd ipſis eſſent infeſti, ſed quòd experirentur eos eſſe manifeſtos hoſtes Dei, ac Eccleſiæ ac veritati eius Satanico furore percitos aduerſari. *Act. 8.* *2.Tim.4.* *1.Cor.16.* *Galat.5.*

Et hìc ſanè locum non habet dilectio proximi, vbi illa cum dilectione Dei pugnat: hoc eſt, vbi nō poteſt cum Deo diligi proximus, ſed neceſſe eſt vt alterius dilectio deſeratur, præſertim ſi ſe proximus odibilē in Dei cauſa reddat. Nō eſt igitur orandū contra eos, qui

nobis

nobis ſunt inimici, propterea quod nobis ſint moleſti: ſed magis pro eorum conuerſione ac ſalute precandum eſt. Contra eos verò, quos videmus Deo aduerſari magis quàm nobis; eius cultum, religionem, Eccleſiam, ſaluberrima Sacramenta funditus euerſa & deleta cupere, rectè orabimus, perfectoq; odio proſequemur, ſi veritatis amore, pioq; zelo diuinæ gloriæ accenſi, præditiq́ue fuerimus.

XII. VBI SIT ORANDVM.

CVm Deus natura ipſa immenſus ſit, & vt Auguſtinus ait, intra omnia non incluſus, extra omnia non excluſus; vbiq; planè locorũ piè oraue rimus, præſto aderit vt audiat & exaudiat. Sic ergo nullis vel in cælo, vel in terra, vel in mari locis alliga ta eſt oratio, quin alibi orare non liceat, veluti docet

1.Tim.2. Apoſtolus, ſcribẽs: *Volo viros orare in omni loco, leuantes*

Ioan.4. *puras manus.* Et Chriſtus dicẽs Samaritanæ: *Venit hora, quando nec in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Pa-*

Mal.1. *trem, &c.* Prædixit enim per Malachiam ſpiritualem iſtum Dei cultum toto orbe propagandum, quando ab ortu Solis ad occaſum vſque ei ſacrificabitur. Sic enim Noe ex arca, Abraham de tabernaculo ſuo, Iacob de monte, Ioſeph de ciſterna, Moſes de deſerto, Dauid de exilio, tres pueri de fornace, Daniel de lacu, Suſanna de loco ſupplicij, Ionas de ventre ceti, Ieremias de cœno, Ezechias de lecto, Machabæus de loco certaminis, latro de cruce, Petrus de mari, Paulus de vinculis, &c. cum fide & ſpe orantes, votorum ſuorũ compotes euaſerunt. Chriſtus vbique locorum orauit, videlicet, in deſertis, in montibus, in mari, in tem plo, in agris, in ſynagogis, in horto, recumbens in menſa cum diſcipulis ſuis, deniq; etiam cùm penderet de crucis patibulo. Apoſtolos quoque orantes legimus in cœnaculo, in tem plo, in priuatis domibus, in carceribus, in fluminibus, in nauibus, in littore maris. Stephanus precatur in loco vbi lapidibus obruitur, Saulus in domo Iudæ, Petrus in domo Simonis coriarij, Cornelius domi ſuæ; Eccleſia in domo Mariæ matris Ioannis Marci, &c. nulla locorum circumſtan-

tia orationem alligantes. Quod attendens Chryſoſto- mus, ſcribit Chriſtianos ad certum aliquem locum, vt olim Iudæos, minimè quidem alligatos eſſe, ſed in omni loco eſſe orandum. Et Auguſtinus ait. Quid ſup plicaturus Deo locum aptum & ſanctum requiris? Interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate repulſa, præpara tibi in cordis tui pace ſecretum. Volens in templo orare, in te ora, & ita age ſemper, vt Dei templum ſis. Ibi enim Deus exaudit, vbi habitat.

Hom. 8. in 1. ad Tim.

Lib. de vera innocent. cap. 313.

Exemplis nihilominus tum Chriſti, tum Prophetarum, Apoſtolorum, & Sanctorum eius edocemur, loca ſolitaria, & à turbis tumultibuſque ſemota, longè commodiora & aptiora eſſe his, qui ſeriò ſtudent orare, & cordium ſuorum æſtus in conſpectu Domini liberius effundere. Ibi enim maiore confidentia nunc Deo colloquimur vt Patri, ſupplicamus vt iudici, colludimus vt ſponſo: & ſub eius conſpectu ſolùm conſtitutis, ſine vlla irridentium hominum formidine, aut hypocriſeos inſimulatione, quibuſlibet ceremonijs & geſtibus noſtris confidenter vtimur. Ideo in montem ſacrificaturus perrexit Abraham, Iſaac exijt ad meditandum in agro, Iacob precatur in monte, Moſes in deſerto colloquitur Deo, Elias peruenit in Oreb, & de Carmelo verbis cælo imperat, Eliſæus cum filijs Prophetarum caſas ædificat ad fluenta Iordanis, Ezechiel diuinis viſionib⁹ fruitur iuxta fluuium Chobar, Daniel ad ripas Tigris, Iudith & Anna in ſuperiori parte domus habebant ſecreta cubicula ad orandum, Præcurſor antra deſerti ciuium turmas fugiens petiuit, Chriſtus denique toto pectore oraturus montium receſſus querebat. Idem ſuadens oſtentationes Phariſaicas, ſimulque mentis diſtractiones inter orandum fugiendas, ait: *Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi.* Laudes & commoda ſolitudinis cecinerunt Baſilius & Hieronymus.

Bern. Ser. 86. in Cantica.

Matth. 6.

Templa quoque, ac Sanctorum præſertim Martyrum memorias ſpeciali Religione dicatas fuiſſe ad orationes,

rationes,maximè communes, & quæ in publicis ſacriſq; Christianorum conuentibus fieri conſueuerũt,
Matth. 21. tam certum ac manifeſtum eſt, vt nullum id inficiari
Luc 19. poſſe exiſtimem. Etenim Chriſtus templi prophana-
Iſa.56. tores expellens ait: *Scriptum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur*. Quamobrem,niſi quòd Deus ibi ſpecialius colebatur & inuocabatur? Salomoni quondã oranti,vt exaudiret de cælo, quicunque orarent in eo
2. Paralip. loco,promiſerat: *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ ere-*
6.&7. *ctæ ad orationem eius,qui in loco iſto orauerit. Elegi enim & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis die-*
Dan. 6. *bus*.Has ſingulares promiſſiones attendens Daniel feneſtris domus ſuæ apertis, ter in die orabat conuerſa
Iſaiæ38. facie ad Ieruſalem. Ezechiam quoq; volunt Hebræi conuertiſſe faciem ſuam ad parietem, qui templi plagam ſpectabat, vt maiore confidentia vtilitateq; precaretur.Chriſtus & Apoſtoli in eo frequenter oraue-
Luc 18. runt. *Duo homines* (inquit) *aſcendebant in templum,vt ora-*
Act. 2. & 3. *rent*.Petrus & Ioãnes aſcendebant in templum ad ho-
Luc. 24. ram orationis nonam. *Quotidie perdurabant* (ait Lucas)
Act.21.& *vnanimiter in templo* Et rurſum: *Erant ſemper in templo,*
22. *laudantes & benedicentes Deum*. Paulus orans in templo,rapitur à Iudæis.Itaq; templum illud coluerunt, & in hoc ad orandum conuenerunt Apoſtoli alijque primi Chriſtiani, quamdiu per Iudæos illis permiſſum fuit, exemplo iſto confirmantes ſacra quædam loca orationibus ſpecialiter dicata eſſe.

Poſtea verò quam vel illi expulſi fuerunt finibus Iudeæ,vel templum illud euerſum eſt, Eccleſias ipſi vel conſtruxerunt,vel conſecrauerunt, in quibus ad orationes,lectiones,ſacrificium, & verbum Dei audiendum ſtatis temporibus conuenirent, veluti do-
1.Cor.14. cet Paulus, præcipiens Mulieres *in Eccleſia tacere*; &
1.Cor.11. Corinthios coarguens,quòd non ſatis religioſè ad eã
Li.2.conſtit. conuenirent. Clemens ad Apoſtolicas conſtitutio-
cap.57. tra- nes refert,quòd Eccleſia ſit ædes oblonga, ad orien-
lat. Turria- tem verſus,naui ſimilis: habeatque Epiſcopi ſolium,
no. & ſedes cuique pro ordine,dignitate,& ſexu diſtributas.Ibi legantur ſacri libri, canantur Pſalmi, doceatur po-

tur populus, precentur omnes ad orientem conuerſi, oblationi & communicationi Euchariſtiæ detur opera, &c. Idem meminit domus cuiuſdam Theophili Antiocheni, quam Petrus in Eccleſiam ad docendum & orandum ſacram eſſe voluit. Philo apud Euſebium, teſtatur priſcos Chriſtianos in multis locis conſtituiſſe ædes ſacras ad orationes & myſteria celebranda. Iuſtinus refert eoſdem in certum locum conueniſſe ad verbum Dei, & Euchariſtiæ cōmunicationem, quæ non niſi adiunctis multis precibus fiebant, à conuerſis faciebus ad Orientem. Tertullianus ſacras ędes appellat Eccleſias, Domus Dei, Domus columbæ, in quibus ad ſacrificandum, communicandum, orandum, pſallendum, & grates Deo habendas Chriſtiani conueniebant, &c. Quorſum verò tantum Eccleſiarum ac domorum ſacrarum ſtudium, niſi quia commodius, ſanctius, ac efficacius ibi, ſi tamen cætera ſint paria, quàm alijs in locis oretur? Domi quidem orari poteſt, ait Chryſoſtomus, ſic autem vt in Eccleſia non poteſt, vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita Dominum per te ſolum orans audiris, vt cum fratribus tuis. Hîc enim maius aliquid eſt, purà vnanimitas, conſonantia, charitatis vinculum, & ſacerdotum orationes. Et alibi: Etſi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam bene ores, quàm in Eccleſia, &c. Quæ ab Anabaptiſtis & alijs hæreticis aduerſus iſta proferri poſſunt, iamdudum diſſoluit Baſilius lib. 2. de baptiſmo, quæſtione octaua.

Lib. 10 Recognit. *Lib. 2. hiſt. cap. 17.* *Apolog. 2.* *Quæſt. 118. ad orthod.* *Lib. de idololat.* *Lib. adu Valent. li. 2. ad vxor.* *Apolog. cap. 39.* *Hom. 79. ad pop. Ant.* *Hom. 30. cont. Anomæos.*

XIII. QVANDO SIT ORANDVM.

QVandoquidem homini Chriſtiano nunquam deſunt certæ orādi cauſæ, Chriſtus piè ſanctèq; dixit: *Quoniam oportet ſemper orare & non deficere.* Et Paulus præcepit: *Sine intermiſſione orate.* Enimuerò cùm ad orationis partes vel ſpecies pertineant gratiarum actiones, petitiones, querelæ, deprecationes, poſtulationes, pro alijs interpellationes; vix ſupereſſe poteſt tempus aliquod, in quo tempeſtiuum non ſit

Luc. 18. *1. Theſſ. 5.*

non ſit aut Deum pro beneficijs laudare, aut quæ neceſſaria ſunt petere, aut de hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus cōqueri, aut iræ Dei flagella deprecari, aut de peccatis veniam poſtulare, aut certè vrgente charitate, pro ſalute proximorum apud communem Dominum intercedere. Sic & Chriſtus orat interdiu, Matth. 6. Ioan. 11. orat veſpere, Ioan. 17. & in oratione
Coloſſ. 4. pernoctat, Luc. 8. Paulus etiam diu ac noctu orat, do-
Epheſ. 6. cetq; obſecrationi inſtandum, cum gratiarum actio-
1. *Tim.* 5. ne: orandum omni tempore in ſpiritu: viduamq; per-
Act 17. ſeuerare in obſecrationibus die ac nocte: idem ipſe
Act 3. 9. 10. cum Sila media nocte orat in carcere. Petrus & Ioannes aſcendunt in templum ad horam orationis nonam: Cornelius hora diei nona orat in cubiculo: & Petrus circa horam ſextam orans extaſin patitur.

Interea verò, quia nec poſſibile nec commodum eſt, quamdiu in hoc mortali corpore militamus, vt nihil aliud prorſus agamus, enimuerò eſt aliquando dormiendum, edendum, bibendum, incedendum, laborandum; ſanctis Prophetis & Apoſtolis æquum viſum eſt certas noctium & dierum horas orationibus
Exod. 29. deputare. Fuit enim quondam tempus matutini &
Num. 28. veſpertini ſacrificij, fuère & ſtatis temporibus ſub lege feſtiuitates, iu quibus preces tam priuatæ quàm pu-
2. *Reg* 16. blicę, vt cuncta ſuo fierent ordine. Dauid veſpere, ma-
Pſal. 54. nè, & meridie, id eſt, ſtatis diei horis res ſuas aduerſas narrabat & annunciabat Domino, & exaudiebat vocem eius. Idem licet negotijs tanti regni implicatus,
Pſalm. 118. media tamen nocte ſurgebat ad confitendum Domino: & ſepties in dię laudem dicebat illi, propter iu-
Dan 6. ſtiſſima iudicia eius. Daniel ter in die preces coram
Matth. 26. Deo fundebat. Chriſtus tertiò Patrem in horto com
2. *Cor.* 11. pellauit. Paulus denique ter Dominum rogauit, vt ſtimulo carnis & angelo Satanæ liberaretur: quibus ſtatæ certis horis preces confirmantur.

Apoſtolica igitur authoritate rectè ſancitum, & traditione vbique receptum ab Eccleſia Catholica, vt ſeptem diei horis preces illæ à ſacris hominibus recitentur, quæ idcirco Horarum canonicarum nomen acceperunt. Huius ampliſſimus & fidiſſimus teſtis eſt

diuus

diuus Clemens, qui hanc beatorum Petri & Pauli pręceptorum ſuorum conſtitutionem literis commendauit: Precationes facite manè, tertia hora, ac ſexta, & nona, & veſpere, atque ad gallicantum. Inſuper ſingularum rationes adijciens, infert. Manè, gratias agentes, quòd illuminarit nos, nocte ſublata, & reddito die. Tertia, quòd ea hora Pilatus iudicium aduerſus Dominum pronunciauit. Sexta, quòd ea hora in crucem actus eſt. Nona, quòd tum omnia mota & tremefacta ſunt Domino crucifixo Veſpere, quòd noctem dederit ad requieſcendum à diurnis laboribus. Ad gallicantum, quòd ea hora nunciet aduentum diei ad facienda opera lucis. Hactenus beati Apoſtoli. Cyprianus pontifex & martyr, Athanaſius, & Baſilius, eundem precum ordinē multis ſcripturis corroborāt. Chryſoſtomus hom. 59. ad pop. Antiochenum, poſt Baſilium, in regulis fuſius diſputatis, interrog. 37. alias etiam præſcriptarum ſeptem horarum rationes adferunt. Hieronymus adfirmat talem fuiſſe Apoſtolicam traditionem, Commen. in 6. c. Danielis: Epiſt. ad Euſtochium: & in Epitaphio Paulæ. Qui de his ampliora cupit, conſulat Aquiſgranenſe Concilium, cap. 126. 127. 128 129. 130. 131. itemq; Iſiodorum, Rabanum, Rupertum, & alios qui de Diuinis officijs ex profeſſo ſcripſerunt.

Lib 8. conſt. ca. 34. tralat. Turrianæ.

De orat. Dō.

Lib. de virg.

Serm. 1 de inſtit. Mon.

XIV. ORANTIS AC ORATIO- *nis conditiones.*

SI coram Regibus terræ dicturi maximopere curant, quibus modis geſtibuſque ſeſe ſint habituri; inſuper, & quę, & quomodo dicturi: multo magis oraturis ad Deum omnipotentem ſatagendum eſt, vt oratio ipſorum omnibus circunſtantijs ac conditionibus appoſitis ſic ornetur, vt diuinis oculis grata ſit & accepta. Oraturum autem in primis neceſſe eſt alienum eſſe ab omnibus illis peccatis lethalibus, quæ Deus auerſatur. Peccatores namque Deus non audit. *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic illi à facie Dei.* Paulus ideò iubet Chriſtianos in orationib' leuare puras manus.

Ioan. 9.

Pſalm. 67.

1. Tim. 2.

Iſaiæ 1. Impuris enim Iudæis dicitur: *Cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine*, id eſt, violentia & homicidijs. Inhumanis erga pauperes quoque dicitur: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorẽ pauperum, clamabit ipſe, & non exaudietur*: quod Epulonis exemplo confirmatũ eſt. Deinde, abijcienda eſt ex animis omnis ſimultas, diſſenſio, & odiũ proximorũ. Ait enim Dominus, *Si offerens munus tuũ ad altare, recordatus fueris, quod frater tu⁹ habet aliquid aduerſum te, vade prius reconciliari fratri tuo*. Et alibi: *Cùm ſtabitis ad orandum remittite, ſi quid habetis, &c.* Præterea, procul abeſſe debet omnis ſuperbia, ambitus & arrogantia: contra verò adeſſe omnis animotũ moderatio & temperantia. Deus namque ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiam Phariſæus de propria iuſtitia tumens reprobatur. Publicanus verò omni demiſſione ſeipſum abijciens iuſtificatur. Etenim cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Eſt etiam longiſſimè releganda ex animis omnis infidelitas, atque diffidentia. *Poſtulet* (ait D. Iacobus) *in fide, nihil hæſitans*. Ideo fidem eximiam Chriſtus requirebat ab omnibus, qui vt curarentur vel ſubleuarentur accedebant. Cæcis dicit: *Creditis quia hoc poſſum facere vobis. Dicunt ei: Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem veſtram fiat vobis. Et aperti ſunt oculi eorum.* Denique, neceſſe eſt orantem, abdicata omnĩ propria voluntate, diuino beneplacito & iudicio ſemetipſum ſuaque vniuerſa ſubmittere, dicendo poſt Chriſtum, *Fiat voluntas tua. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Prouerb. 21. Luc. 16. Matth. 5. Marc. 11. 1. Pet. 5. Lucæ 18. Pſalm. 50. Iacob. 1. Matth. 9. Matth. 26.

Ipſam porrò orationem magis decet ardentibus affectibus & ſuſpirijs conſtare, quàm multis & ornatis verbis: quandoquidem Deus ipſe nec flectatur multiloquio, nec capiatur ornatu leporeque verborum. Idcirco enim ait Chriſtus: *Orantes nolite multum loqui, ſicut ethnici, putantes quod in multiloquio ſuo exaudiantur.* Docet autem Baſilius preces auſpicandas ab iſtiuſmodi gratiarum actione: Gratias tibi ago Domine, propter incredibilem clementiam, & in ferendis hominum culpis facilitatem tuam; qui peccantem me quotidie patientia tua ſuſtines, & ad reſipiſcendum omni-

Matth. 6. Conſt. monaſtic. ca. 2.

omnibus nobis poteſtatem facis, &cæt. Sic enim Chriſtus & panes oratione multiplicaturus, & Lazarum ſuſcitaturus,& noui teſtamenti nouam oblationem traditurus,à gratiarum actione exorſus eſt. Paulus initijs omnium ferè Epiſtolarum, agit Deo gratias.Hortantur & alij,vt oratio fiat cum fide, ſpe, & charitate, alioqui minus grata Deo erit. Ruſſum proficiſci debet ab animo humili, quieto, trementeque ſermones Domini. Adhæc, oportet eam eſſe feruentem, fidelem, comitatam ieiunio & eleemoſyna, vt his velut quibuſdam alis ſubuehatur in cælum. Neceſſe quoque eſt eandem eſſe aſſiduam, perſeuerantem, & conſtantem,&c. *Ioan 6. 11. Matth. 26. Lucæ 22.*

XV. CVM QVIBVS ORANDVM, vel non orandum.

CONSTAT in primis Chriſtianos orare nec poſſe nec debere cum Ethnicis, Mahometanis, aut Iudæis, qui à vera fide & religione penitus ſunt alieni, imò tetris erroribus & blaſphemijs aduerſus vnicum totius mundi Saluatorem & Iudicem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aduerſus Spiritum ſanctum,& ſummam diuinarum perſonarum Trinitatem inuoluti ac immerſi. Nihil ergo nobis commune poteſt eſſe cum Meſquitis aut Synagogis, nihil cum prophanis cœtibus, nihil cum precibus eorum. Tametſi enim fateantur ſeſe inuocare vnum Deum factorem cęli & terrę, nihilominus quia illum in Perſonis trinum non credunt, & Filium miſſum orbis Redemptorem nec agnoſcunt nec adorant, nec in nomine eius inuocant Patrem, vanæ ſunt omnes preces eorum. Nam qui non honorificat Filium, nec *Ioan. 5.*
Patrem honorat, qui miſit illum. *Nemo*, inquit, *venit* *Ioan. 14.*
ad Patrem niſi per me. Ego ſum via, veritas, & vita. Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in *Ioan. 3.*
nomine vnigeniti Filij Dei. Idcirco decretis Laodiceni *Cap. 35. 37.*
Cōcilij anathemate configuntur, qui ad angulos ido *38 39.*
lolatriæ abominandæ congregantur, qui cum Iudęis agūt dies feriatos, ab his accipiūt azyma, cōmunicant

impietatibus eorum, & qui cum Paganis feſta celebrant, aut quomodocunq; impietatis eorum habent
Cap. 48. *&* 49. ſocietatem. Prohibuit etiam concilium Elibertinum, ne Christiani paterentur fruges ſuas à Iudæis benedici, neve cum eis aliquando veſcerentur: multo magis prohibituri ne in oratione, quæ ſacra res eſt, & ad diuinum cultum ſpectat, quis communicet cum illis. Quinetiam quartum Toletanum, vetat ſub anathe-
Cap. 57. matis vinculo, cum eiſdem conuerſari.

Neque etiam cum quibuſcunque hæreticis orare
Tit. 3. fas eſt, quandoquidem iuxta Apoſtolum ſint ſtudio-
2. Ioan. sè deuitandi, nec cibus cum eis ſumendus, nec Aue di
Iren. l. 3. *c.* 3. cendum illis, nec in domibus recipiendi. Ioannes fugit Balneum, in quo hęreticus Cerinthus lauabatur: &
Euſeb lib. 6. Marcioni obuio ſibi, nihil aliud dicere voluit Polycar
biſt cap 2. pus, quàm, Noſco te primogenitũ Satanæ. Laudatur Orig. quòd tametſi adhuc puer, zelo fidei accenſus,
Ca. 31. 32. 33. noluerit cum Paulo hæretico orare vel precari. Patres concilij Laodiceni omnino prohibent cum hæreticis miſceri connubia, ab his eulogias accipere, ſimulq;
Ca 70 71. 72 orare. His ſubſcripſerunt, qui quarto Carthaginenſi adfuerunt, præcipientes vt Catholici hæreticorum & ſchiſmaticorum tam cõuiuia, quàm ſodalitates æqualiter euitarent: cum eiſdem nec orarent, nec pſallerẽt: quoniam cœtus eorum non ſit Eccleſia, ſed concilium malignantium, & cathedra peſtilentię.

Nec cum excommunicatis quoque orandum eſſe
Epiſt. 2. cenſuit Calixtus Pontifex & Martyr; imò etiam illos ſimili excommunicationi ſubiacere, qui ſciẽter cum
Epiſt. 1. excommunicatis communicauerint. Fabianus & ipſe Pontifex & martyr conſentiens ſcribit: Si quis cum excommunicatis, auertendo regulas, ſcienter pſallat in domo, aut ſimul locutus fuerit, aut orauerit, ille
Cap. 73. communione priuetur. Et Patres quarti concilij Carthaginenſis inquiunt: Qui communicauerit, vel orauerit cum excõmunicatis, ſiue clericus, ſiue laicus, excommunicetur. Hoc idem confirmant Canon 11. Apoſtolorum, & 2. 2. concilij Antiocheni.
Luc 8. Solum autẽ orare licere exemplo & verbo Chriſtus
Matth. 26. cõfirmauit, pernoctans ſolus in orationibus, docenſque,

que, clauſo cubiculo precandũ: quod & Apoſtoli ſedu- *Matth. 6.*
lò imitari ſtuduerunt, vt in eorũ Actis legitur. Orauit *Act 9. 10.*
etiam cum tribus diſcipulis paulò antequàm transfi- *&c.*
guraretur: cum duodecim in Cœnaculo: in frequenti
cœtu turbarum circumſtantium: denique coram mi- *Matt. 17. 26.*
litibus, cunctiſque qui aſſidebant, cùm de cruce pen- *Ioan. 17.*
deret. Singulari etiam promiſſione gratiſſimas ſibi eſ- *Ioan. 6.*
ſe docuit eorum orationes, qui duo vel tres, id eſt, ho *11. & 12.*
neſto & pio cœtu, congregati eſſent in nomine ſuo. *Luc. 23.*
Apoſtoli cum turba ferè centum & viginti, cum pijs *Matth. 18.*
mulieribus, & MARIA matre Ieſu, precantur in e- *Actor. 1. 2. 4.*
lectione Matthiæ, in aduentu Spiritus ſancti, aduerſus *12.*
comminationes Iudæorum, & pro ſalute Petri quan-
diu concluſus fuit in carcere Herodis, &c. Cum his i-
taque in orationibus communicare licet, cum quibus
eſt eadem fides ac religio; & cum quibus ad eandem
menſam Domini licet accedere.

XVI. QVAE SVNT COMMODIORES *formulæ precum.*

FORMAM orandi tradidit Chriſtus, eamque breuem ac ſimplicem: ſed quæ omnia complectitur ad præſentem & futuram vitam hominis Chriſtiani neceſſaria. Cùm autem ſingulari diligen- *Matth. 6.*
tia ab Euangeliſtis perſcripta, & ab Apoſtolis frequen *Luc. 11.*
ter tum priuatim tum publicè recitata fuerit, ea præ
cęteris, eximiæ reuerentię ac crebro vſui eunctis Chri
ſtianis eſſe debet. Teſtatur namque diuus Clemens *Lib. 3. Conſt.*
Apoſtolos conſtituiſſe, vt recens baptizati, nomine *ca. 18. lib. 7.*
cœtus fidelium eam publicè recitarent: inſuper, vt & *cap. 45. lib. 7.*
alij Chriſtiani, ter ſaltem ſingulis diebus, ad preca- *cap. 25.*
tionem parati, & adoptione Dei paterna digni effecti,
eiſdem illis verbis orarent Patrem ſuum qui eſt in cę-
lis. Ideo Tertullianus hanc appellat, Diſciplinam o- *Lib. de Orat.*
randi à Domino traditam: legitimam & ordinariam *cap. 9.*
orationem, quæ alijs velut fundamentum ſubſterni
debet. Auguſtinus quoque ſcribit, pia & quotidiana *Lib. 1. cont.*
eius recitatione deleri quotidiana peccata, modò non *duas Epiſt.*
ſint crimina, cùm quotidie dicitur: *Dimitte nobis debita* *Pelag. ca. 14.*

 noſt. a,

Li. de ſymb. cap 6. & Enchir c. 69. *noſtra*, quando id quod ſequitur non ſolùm dicitur, ſed etiam fit, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Ad hanc tamen orandi formam nec ſeipſum, nec diſcipulos, nec alios deinceps Chriſtus ſic alligauit, quin liberum ſit cuique alijs vti formis, quas diuinus Spiritus ſuggeſſerit, aut rerum cordiumque anguſtiæ ſubiecerint. Acceptas namque habuit iſtas miſerabilium hominum preces: *Domine, ſi vis potes me mundare. Dic tantùm verbo ſanabitur puer meus. Filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam. Miſerere mei fili Dauid. Domine, adiuua me. Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, &c.* Alijs & ipſe formis orauit dicens: *Pater clarifica me ex hac hora. Rogo Pater vt vnum ſint, ſicut & nos vnũ ſumus.* Et in horto: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* In cruce autem: *Pater, dimitte illis &c. In manus tuas commendo ſpiritum meum. &c.* Apoſtoli etiam alijs verbis perſæpe orauerunt, dicentes: *Domine, ſalua nos, perimus.* Et Petrus exclamat: *Domine, ſaluũ me fac.* Et in electione Matthiæ: *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus.* Et cùm his extrema omnia comminarentur Principes Iudæorum, his precibus diuinum auxilium poſtulauerunt: *Et nunc Domine, reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuũ.* Stephanus quoq; ſupplex rogat. *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum: & ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Paulo frequẽtiſſimæ ſunt iſtæ preces: *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Petr. his verbis rogat: *Gratia vobis & pax multiplicetur.* Ioannes autem: *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui vẽturus eſt,* &c. Iacobus, vno verbo, *Salutẽ:* Iudas fuſioribus, Miſericordiã, pacẽ, & charitatẽ adimpleri, exoptãt his ad quos Epiſtolas ſuas dirigũt.

Matth. 8. 9. 14. 15. 17. Ioan. 17. Matth. 26. Luc. 22. & 23 Marc. 6. Matth. 14. Actor. 1. Actor. 4. 1. Pet 1. et 2. cap. 1. Apoc. 1.

Satis etiam copioſè recitat D. Clemens piarum publicarumq; orationum formulas, quibus Apoſtoli vtẽdum eſſe cenſuerunt ad ſanctificandam ſeu benedicendam aquam baptiſmalem, oleum, chriſmatis vnguentum: item, qua vterentur Catechumeni, deinde baptizati poſt recitatam orationem Dominicã, & cętus Eccleſiæ pro Baptiſmum petentibus. Refert etiam qua prece vti debeat Epiſcopus antequã offerat ſacri-

L. 7. Conſtit. c. 43. 44. 45. 46. Lib. 8. ca. 29. Lib. 8. cap. 8. Lib. 2. ca. 57.

ficium corporis & ſanguinis Chriſti, qua pro cunctis ordinibus in ipſa myſteriorum actione, pro fidelibus, pro diſpoſitione aeris, pro fructibus terrę, & poſt oblationem pro cunctis rebus populo Chriſtiano neceſſarijs: in ordinatione Presbyterorum, Diaconorum, Diaconiſſarum, Hypodiaconorum, Lectorũ, &c. Itemq́; quibus verbis orare deberent fideles ſub noctẽ, poſt incenſa lumina, in matutina gratiarum actione, pro fratribus qui in Chriſto quieuerũt, &c. Teſtatur & Orig. quondã ſe in orationibus dixiſſe: Da omnipotens, da nobis partẽ cum Prophetis, da cũ Apoſtolis Chriſti tui. Tribue vt inueniamur ad veſtigia Vnigeniti tui. *Lib. 8. c. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. L. 8. c. 36. 37. 38. 39. 40. 41.* *Hom. 11. in Ierem.*

Habuerunt veteres Aegypti anachoretæ, vel Auguſtino teſte, crebras quidẽ orationes, ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſceret intentio. His ita ſubſcribit Caſſianus: Frequenter quidem, ſed breuiter eſt orandum, ne immorãtibus nobis, inſerere aliquid noſtro corde inſidiator poſſit inimicus. Iſtud namq́; eſt ſacrificium verum, hæc ſalutaris oblatio, iſta pura libamina, iſtud ſacrificium iuſtitiæ, hæ veræ & pingues hoſtiæ, holocauſta medullata, quæ à contritis & humiliatis cordibus offeruntur, &c. Has porrò eiaculationes oportet ex ardentiſſimis cordium affectibus ortum habere, quando videlicet vel pręſentis miſerię tędium, vel futuræ beatęq́; vitæ magnum deſiderium pectoris imum ad ſuſpirandum impellit, veluti dicendo. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! Quis me liberabit de corpore mortis huius? Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Sed tu Domine vſquequo?* Eia alatoriæ etiam ſunt preces iſtę, *Domine, miſerere mei. Domine, adiuua me. Deus, eſto propitius mihi peccatori. Suſcipe ſpiritũ meum.* Cuncta enim in his ardent affectibus. *Epi. 121. c. 11.* *Collat. 9. c4. 36.*

Sed commodũ erit pijs lectoribus aliquas iſtiuſmodi æſtuantis animi velut flãmulas, ex Aug. ſummæ pietatis ac eruditionis viro colligere. Hic porrò verbis Deũ Patrem per Filiũ inuocat: Specta gloriose genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea ſubſtãtia. Conſpice Domine [illegible] *Aug. 7. lib. Medit. ca. 6.*

 [illegible]am,

pœnam,& relaxa conditi hominis miſeriam. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum. Hîc attende pius quem genueris Filium, & quē redemeris ſeruum. Hic aſpice factorē, & ne deſpicias facturam. Attende in Filio, quo propitieris ſeruo. Vide carnis ſacramentum, & remitte carnis reatū. Quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant obſecro ſcelera mea. Deinde ſic ipſum Filium Dei conuenit: Noli attendere malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum. Ecce iam morior, & Ieſus non eſt mecum. Et certè melius mihi eſt non eſſe, quàm ſine Ieſu eſſe. Melius eſt non viuere, quā ſine vita viuere. Miſerere ne deſperem, ſed deſperando reſpirem. Et ſi ego commiſi vnde me damnare potes, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles.

Cap 8. *Cap.39.*

Lib. Soliloq. cap.13. Habet idem etiam verè flammeas iſtas preculas. Deus meus, vbicunque ſum ſine te, malè eſt mihi præter te: non ſolùm extra me, ſed etiam in me: quia omnis copia quæ non eſt Deus, mihi eſt egeſtas. Mundus clamat, deficio: tu Domine clamas, reficio: & miſeria mea praua magis ſequitur deficientem, quàm reficientem. Planè miſeria mea hęc eſt. Dilexiſti me Domine, pluſquam te, quia mori voluiſti pro me. Quocunq; iero, tu me Domine, non deſeris, niſi prior ego te deſeram. Ne peream ſine te, cùm ſine te eſſe non poſſim. Quod cecidi, fuit ex me: & quod ſurrexi, ex te. Si quando ſteti, per te ſteti: ſed quando cecidi, per me cecidi. Niſi tu occaſiones & cauſas peccatorum tuliſſes, ego omnia peccata mundi feciſſem. Idem rurſum in Manuali, ita animum in Deum erigit: Reddis debita, nulli debens: donas debita, nihil perdens. Qui te non habet placatum, nequaquam euadet iratum. Perdit quod viuit, qui te Deum non diligit. Qui curat viuere non propter te Domine, nihil eſt, & pro nihilo eſt. Qui tibi non ſapit, deſipit, &c. Omitto longè plures eiaculatoriarum precum formas, quas ex libris Confeſſionum, ex Commentarijs in Pſalmos, totoque nono & decimo operum eius tomo poſſem in hunc aceruum congerere.

Cap 14. *Cap.15.* *Cap.1.* *Cap.2.* *Cap.4.*

XVII. QVI-

XVII. QVIBVS CORPORIS *geſtibus ac ceremonijs vtendum in oratione.*

NON eſt præſcriptum à Chriſto aut Apoſtolis eius, quomodo corpus conſtituatur ad orandum, inquit poſt Auguſtinum Eucherius, dum animus Deo præſens peragat intentionem ſuā. Nam & ſtantes oramus, more Publicani: & flexis genibus, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus: & ſedentes, vt Dauid & Helias. Niſi etiam iacentes oraremus, non ſcriptum eſſet in Pſalmo: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*, &c. Geſtus à Chriſto inter orandum hos ſeruatos eſſe referunt Euangeliſtæ. Orans in cælum ſuſpexit: poſitis in terram genibus, procidens in faciem Patri in horto ſupplicauit: & orando facta eſt aliquando ſpecies eius altera: aliàs, factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentes in terram. Decem leproſi à longè ſtantes clamauerunt, Ieſu præceptor, miſerere noſtri: poſtea vnus eorum rediens, & gratias agens procidit in faciem ante pedes Ieſu. Magi procidentes adorauerunt eum. Leproſus genu flexo precatus eſt eum d. *Domine, ſi vis, potes me mundare*. Petrus procidit ad genua Ieſu: ſuſcitaturuſque Tabitham, ponēs genua orauit. Stephanus poſitis genibus clamauit, *Domine Ieſu, &c.* Paulus nunc in terrā proſtratus, mox cathenis lignoque vinctus pedibus, denique poſitis in littore maris genibus precatur, nullis geſtibus tanquam neceſſarijs orationes, priuatas maximè, volens alligare. Iacobus flexis genibus pro populo tam frequenter & aſſiduè precabatur, vt camelorum duritiem traxiſſe eius genua crederentur. Moriturus autem, tollens ad cælum manus, dixit: Domine, ignoſce eis. Clemens Alexand. ritus priorum Chriſtianorum recitans ait, eos orantes ſolitos abijcere ſe in terram. Iuſtinus, ex M. Antonini epiſtola, legionem Chriſtianorum fulminatricem, procubuiſſe in faciem ſuper terram Tertullianus quoque refert, tum pœnitentes ſacco & cineri incubuiſſe, animum mœroribus deiciſſe, ieiunijs preces aluiſſe, ingemuiſſe, lacrymaſſe,

Lib. 2. ad Simplicianū q 4. Com. in lib. Reg. *Lucæ 18.* *Act. 7. 9. 20.* *Pſalm 6.* *Matth. 14.* *Ioan. 17.* *Matth. 26.* *Matth. 17.* *Lucæ 22.* *Luc. 17.* *Marc. 1.* *Lucæ 5.* *Actor. 9.* *Actor. 7.* *Actor 9. 16. 20.* *Egeſip. Hieron. in Catal.* *Lib. 8. Strō.* *Apol. 2.* *Lib. de pœnit. ca. 9.*

mugiiſſe dies ac noctes ad Dominum, presbyteris ſeſe aduoluiſſe, & caris (alij, aris) Dei adgeniculatos eſſe. Idem etiam arguens eos qui more Gentium, oraturi deponebant penulas, irreuerenterque aſſidebant: docet cum modeſtia & humilitate adorandum, manibus temperatè ac probè elatis, vultu in elationem non erecto, nec clariore voce, ne proximis obſtrepemus. Aliarum quoque ceremoniarum orationis Chriſtianorum non meminit tantùm, ſed & rationem myſticam tradit in Apologetico, his verbis. Illuc (in cælum) ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubeſcimus; denique ſine monitore, quia de pectore oramus; &c. Poſtremò ad eaſdem orantium ceremonias etiam pertinet, quod idem ait, In rebus attonitis, orationem commendari debere, genibus poſitis, manibus cædentibus pectus, & facie humi volutata. Meminit Origenes ſtationum, quibus videlicet in die Dominico, & toto eo tempore quod inter Paſcha & Pentecoſten labitur, Chriſtiani erecti ac ſtantes orabant ob memoriam glorioſæ reſurrectionis. De quo ritu etiam ait Cyprianus: Stamus ad orationē. Et Tertullianus: die Dominico (inquit) ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Huius etiā ritus recordantur Hieronymus, adu. Lucif. Auguſtin. epiſt. 119. ca. 15. & alij multo plures.

Lib. de Orat. ca. 12. & 13.

Cap. 30.

Li. adu. Iud. cap. 10.

Hom. 4. in Num.

De orat. Dō.

Li. de coron. milit.

Maximo autem conſenſu docent Patres ab Apoſtolis traditum fuiſſe, vt conuerſi ad Orientem Chriſtiani precarentur, & ob hanc cauſam Eccleſiarum ædes ad Orientem verſus conſtruerentur. Huius traditionis ampliſſimus teſtis eſt illorum diſcipulus Clemens Rom. ſcribens: Aedes Eccleſiæ ſit oblonga ad Orientem verſus, naui ſimilis, vtrinque paſtophoria habens in Orientē. Huius ceremoniæ rationem paulo poſt iſtam deſignat. Cuncti pariter conſurgētes, & in Orientem ſpectantes, precentur Deum qui aſcendit ſuper cælū cæli, idque ad Orientem, vnde primus homo neglecto Dei mandato, conſilio ſerpentis eiectus eſt. Et rurſus idem. Baptizatus precetur verſus Orientem. Nam ſcriptum eſt, in ipſa dedicatione tem-

Lib. 2. Conſt. cap. 57.

Lib. 7. Conſt. cap. 45.

templi ſacerdotes, leuitas, & cantores ſtetiſſe ad Orientem, laudantes Deum, &c. Habes ergo ritum orandi ad Orientem, ac eiuſdem rationes, nimirum, ob Chriſti aſcenſionem, Paradiſum ad Orientem conſtitutum, priſcos etiam ſacerdotes ad eandem plagam orantes.

Accedit & alter Apoſtolorum auditor, videlicet Dionyſius Areopagita eandem orandi ceremoniam à recenter baptizatis obſeruari ſolitam docens. Poſt trinam Satanæ abrenunciationem, inquit, Præſul ad Orientem eos traducit, aſpicienteſque in cælum, Chriſto ſacriſque omnibus conſentire iubet. Hucuſque ritus theoriam eſſe docet, quòd exuti affectibus vitioſis, digni ſint diuini luminis proſpectu. Conſentit & Iuſtinus martyr hunc ritum à ſanctis Apoſtolis Eccleſiam accepiſſe, eo quòd plaga Orientis propter Solis ortum, quo Chriſtus deſignatur, reliquis ſit præſtantior: ſicut dextra manus, qua nos cōſignamus, ſiniſtra honoratior ſemper habeatur: præſtātiora verò in Dei cultu ſequenda. Tertullianus de eodē ritu ſcribit tanquam de re omnibus notiſſima, quodq́; Ethnici propterea Chriſtianos traducerent, tanquam ſolem ipſum pro Deo colerent, Apologetici cap 16. *Lib. Eccle. hier. cap.* *Quæſt. 118.*

Subſcribit Clemens Alex. adfirmans Orientem, id eſt, ortum diei formam gerere Lucis eius veritatis, quę nobis per Chriſti aduentū illuxit. Origenes putat non cuiuis compertum, cur ex omnibus cæli plagis ad Orientis partem conuerſi orationem fundimus. Epiphanius inter errores cuiuſdā Elxai pſeudoprophetæ numerat, quòd prohibuerit orare ad Orientem. Magnus Athanaſius de hac orandi forma ſcribit: Non ideo adoramus ad Orientem, quòd in ea parte mundi Deus aliquo modo circunſcriptus habitet; ſed quia Deus lux eſt vera, diciturq́;: eam ob cauſam ad creatum illud lumen (Solē) cōuerſi, eius Creatorē adoramus. Et poſtea. Sancti Apoſtoli Chriſtianorū Eccleſias ideo iuſſerunt Oriētem verſus ſuas preces fundere, vt ad Paradiſum vnde cecideramus reſpicientes, ſuppliciter petamus à Domino noſtro; vt in antiq̃ nos patriam vnde cecidimus reſtituere velit. Baſil. & ipſe multismodis mag[illegible], *Lib. 7. Strō.* *Homil. 5. in Num.* *Cont. hær. 19.* *Quæſt. 14. ad Antioç.*

inter

Lib. de Spir. S. cap. 27. inter Apoſtolicas traditiones refert, quod ad orientem verſi precemur, hoc ritu ſignificantes nos antiquam requirere patriam, videlicet Paradiſum; quem conſeruit Dominus ad Orientem. Subſcribunt Nyſſenus Oratione 5. in Oratione Dom. Damaſcen. lib. 4. de fide ort. cap. 13. Anaſtaſius Nicenus quæſt. 91. in Scripturam: Moſes Bar cepha lib. de parad. partis 1. cap. 14. Germanus Conſtantinop. ſub initio rerum ſacrarum Theoriæ: & ex Latinis Auguſtinus li. 2. de ſer. mone Domini in monte, cap. 9. Paulinus Epiſt. duodecima, &c.

Quia verò à ſolius Chriſti Domini paſſione ac merito pendet omnis noſter ad Deum Patrem acceſſus, ac exauditionis confidentia; magna pietate & ſapientia non ſolum patres Chriſtiani, verùm & priſci Patriarchæ ac Prophetæ eleuatis in cælum, & in modum crucis conformatis brachijs manibuſque, preces ſuas libenter & frequenter fuderunt: huncque ritum

Geneſ 48. poſteris reliquerunt. Nam Iacob, cancellatis (ait Gloſſa ord.) manibus crucis myſterium præfigurans, filios Ioſeph Ephraim & Manaſſe paterna bene-

Quæſt. 25. ad Antioc. dictione ſua impertiuit. Ideo beatus Athanaſius docet, illum primum viuificantis crucis typum exhibuiſſe ſub veteri teſtamento. Vicit & Ioſue Amalecitarum copias, non tam ferro, quàm precibus Moſis, expanſione manuum ſignum crucis repræſentantis,

Dialog. (vt ait Iuſtinus martyr.) Sed crucis habitus tum erat

Lib. adu. Iud. & 3. adu. Marc. neceſſarius, Tertulliano doctore, per quam Ieſus victoriam eſſet relaturus. Vnde & Auguſtinus: Moyſes ipſa eleuatione manuum, myſterium crucis oſtendit.

Serm. 93 de temp. Videte fratres, iam tunc per Sacramentum crucis ſuperatas eſſe aduerſarias gentes, &c. An non etiam toties iſtius ritus ſtudioſiſſimum ſe fuiſſe Pſaltes confirmat, quoties profitetur ſe expandiſſe, leuaſſeque ma-

Pſal. 62. 27. 87. 133. 140. 142. nus ſuas ad Dominũ? *In nomine tuo,* inquit, *leuabo manus meas. Extollo man⁹ meas ad templũ ſanctum tuũ. Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas.* Et ad mini-

Commen. in Pſal m. 133. ſtros altaris: *Extollite man⁹ veſtras in ſancta* Id eſt, Hieronymo interprete, Leuate manus in crucẽ, leuate crucis vexillũ: quia Ieſus eas leuauit in cruce. Hanc quo-

que

que ceremoniã ſuis traditurus Chriſtus, expanſis in crucem manibus orauit,& expirauit. Valedicens rurſum Apoſtolis, eleuatis in modum crucis manibus benedixit eis. Ideo Paulus iuſſit, *Viros orare in omni loco, leuantes puras manus*, ſcilicet, ceremonia Hebræis & Chriſtianis vſitatiſſima. Hinc Tertullianus: Oramus ſuſpicientes in cælum, manibus expanſis, &c. Et Clemens Alexandr. Caput & manus in cælum extendimus. Refert etiam Baſilius recens baptizatos oraſſe, manibus in cælum eleuatis. Saluianus quoq; ait: Cur ad cælum manus quotidie tendimus? Et Maximus Taurinenſis, homilia 2. de cruce & ſepultura Domini, Eleuatis manibus, inquit, orare præcipimur, vt ipſo quoque membrorum geſtu paſſionem Domini fateamur, &c.

Matth. 27. Ioan. 19. Luc. 24. 1. Tim. 2. Apolog. Lib. 8. Strõ. Exhort. ad baptiſ.

XVIII. AN ORATIONES NOſtras Deus ſemper exaudiat.

DOCENT Theologi ſemper orationes illas Deo gratas eſſe ac efficaces, quas pro nobiſipſis, & debito modo ad eum effundimus; tametſi non eo modo, aut tempore quo poſtulamus, illas exaudiat. Tanta eſt enim eius erga genus humanum beneuolentia & miſericordia, tantaque in promiſſis adimplendis conſtantia & veritas, vt per Chriſtum prædilectum Filium ad ſe toto pectore ſuſpirantium & clamantium vota non poſſit non audire & exaudire. Ait enim cum ſacro iureiurando: *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et paulò ſupra: *Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio.* Et apud Matthæum: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?* Et rurſum: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Quid iſtis promiſſis dulcius, apertius, firmius? Hæc perpendens

Richard. Thõ. Bonau. in. 4. d. 15. Ioan. 16. Ioan. 14. Matth. 7. Marc. 11.

Serm. 5. de Quadrageſ. dens Bernardus ſcribit: Nemo paruipendat oratio-nem ſuam: quoniam ipſe ad quem oramus non paruipendit eam. Priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro ipſe ſcribi iubet eam in libro ſuo. Et vnum indubitanter è duobus ſperare poſſumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius. Hactenus ille. Sic Paulus ter rogans, vt liberaretur ab Angelo Satanæ qui eum colaphis cædebat, alio modo exauditus eſt, quàm putaſſet, nimirum gratiæ diuinæ ne laberetur in lethale peccatum, munitus præſenti ſubſidio: non tentationis exemptus exercitio. CHRISTVS ſeriò admodum orans, vt tranſiret calix, exauditus eſt pro ſua reuerentia, non illicò ſublata cruce & morte: ſed triduana reſurrectione & glorificatione. *Regulis bre. interr. 261.* Frequenter porrò differt exaudire, ait Baſilius, quia opus eſt aut perſeuerantia, aut contentione maiore, quemadmodum monemur parabola Domini: *Lucæ 11.* aut emendatione & diligentia. Attamen ſi conſtanter inuocas Deum, tanquam Deum, *In Pſalm. 85. & 90.* infit Auguſtinus, ſecurus eſto, exaudiris: pertinens ad iſtum pſalmi verſum: *Multum miſericors omnibus inuocantibus.* Deus medicus eſt. Aeger petit multa à medico, non dat medicus: non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſanitatem. Ergo ſemper exaudiuntur piorum preces, ſiue ad voluntatem, ſiue ad vtilitatem.

Contigit verò ſanctos viros nonnunquam pro alijs, vel amicis, vel inimicis, vel quibuſlibet alijs rogare, & non exaudiri: quia non vtcunque dictum eſt, *Tract. 102. in Ioan.* obſeruatore Auguſtino, in Euangelio, *Si quid petieritis Patrem dabit, ſed, dabit vobis.* *Ioan. 16.* Orauit Abraham magna inſtantia pro ſalute Sodomæ, totiuſque prouinciæ, *Geneſ. 18.* nec ſeruata eſt. *1. Reg. 16.* Samueli lugenti & precanti pro Saulis reſtitutione, dicitur à Domino. *Vſquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael?* *Ierem. 7. 11. & 14.* Ieremiæ quoque pro Ieroſolymorum liberatione oranti: *Tu noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te. Noli orare pro populo iſto in bonum. Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum: & ſi obtulerint holocau-*

ſtoma-

ſtomata & victimas, non ſuſcipiam ea: quoniam gladio & fame & peſte conſumam eos. Hinc Chryſ. Etiam ſi Moſes, etiā ſi Samuel, etiam ſi Ieremias orauerit, me tamen (ait Dominus) pro indignis deprecantium non placaret oratio. Ezechieli quoq; Dominus dicit, quoniā ſi aſſiſtat Noë, & Iob, & Daniel, filios ſuos & filias ſuas nō liberabunt. Etiam ſi Abrahā patriarcha pro his ſupplicet, qui in vitijs permanēdo immedicabiliter ęgrotāt, abibit Deus relinquens rogantē, ne vocem pro talibus interuenientis exaudiat. Etiam ſi pro ſorore quiſpiam incompetenter orauerit, audiet quod Moſes: *Si conſpuens conſpuiſſet pater eius in faciem ipſius, nonne eſſet immunda?* Non igitur quaſi oſcitantes & deſides, ex aliorum meritis pendeamus. Et idem rurſum. Bonum eſt ſanctorum oratione frui: ſed cùm & nos ſumus cooperatores. Quod ſi non adfuerit, nihil aliorum prodeſt auxilium, verùm & cum illo perimus. Hoc ſuperioribus exemplis confirmato, tandem ſubijcit. Quid ergo? Nihil proſunt orationes? Proſunt, & quamplurimum: ſed cùm nos quoque cooperamur. Hæc ille.

Hom 5. in Matth. & 44. in Geneſ.
Ierem. 11.
Ezech. 14.
Num. 12.
Hom. 79. ad pop. Antioc.

Quibus addo, quoties non exaudimur ſiue pro nobis, ſiue pro alijs orantes, hoc non eſſe tribuendum Deo, quaſi aut nolit aut non poſſit votis noſtris reſpondere: ſed noſtris vitijs, quibus beneficijs eius nos indignos minuſque capaces reddimus, frequenterque ea poſtulamus quæ carni potius quàm ſpiritui blandiuntur. Ergo humaniſſimus pater rationem habet ſalutis noſtræ, cùm potius ex miſericordia, quàm ex indignatione, illa nobis propitius denegat, quæ ſaluti noſtræ vel non conducunt, vel etiam officiunt. *Petitis*, inquit B. Iacobus, *& non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis.* Magis itaque timendum eſt ait Auguſtinus, ne quod poſſet Deus non dare propitius, det iratus. An non vidimus Iſraelitas malo ſuo impetraſſe, quod culpabili conſcientia petierunt? Ipſe ſaluator eſt non ſolū quādo facit quod petimus, verùm etiam quando non facit: quoniam quod videt peti cōtra ſalutē, non faciendo potius ſe exhibet ſaluatorē. Orātes ergo in eius poteſtate ponamus, vt

Iacob. 4.
Tract. 37. in Ioan.
Num. 11.

nos

nos illud petentes exaudiat, quod ipſe nobis expedire cognoſcit: nec vnquam ab hac regula deflectimus, quam exemplo ſuo tradidit & confirmauit æternus Dei Filius, *Non mea, ſed tua voluntas fiat, &c.* Atque hæc de orationis ratione, ſpeciebus, effectis, ritibusque ſufficiant. Quæ ſi cui longiuſcula videbuntur, ignoſcat precor, quòd rem omni ſermone potiorem, Chriſtiano inſtituto penitus neceſſariam, nec à præſenti loco alienam, paulò fuſius explicare tentauerimus. Nunc ad Eſtheris, Mardochæi, & totius Eccleſiæ illius temporis in anguſtia orantis hiſtoriam redeamus.

LIBRI

LIBRI ESTHERIS CAPVT QVINTVM.

1. *Die autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra baſilicam Regis. At ille ſedebat ſuper ſolium ſuum in conſiſtorio Palatij, contra oſtium domus.*

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

1. *Et mandauit (Mardochæus) ei (Eſtheri), vt ingrederetur ad Regem, & rogaret pro populo ſuo, & pro patria ſua.*
2. *Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita ſis in domo mea, quia Haman ſecundus à Rege locutus eſt contra nos in mortem:*
3. *& tu inuoca Dominũ, & loquere Regi pro nobis, & libera nos de morte.*
4. *Die autem tertio depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circundata eſt gloria ſua.*
5. *Cumq; regio fulgeret habitu, & inuocaſſet omnium Rectorem & Saluatorem Deum, aſſumpſit*
6. *duas famulas: & ſuper vnam quidem innitebatur; quaſi præ delicijs & nimia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens.*
7. *Altera autem famularum ſequebatur dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans.*
8. *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis triſtem celabat animum, & nimio timore contractum.*
9. *Ingreſſa igitur cuncta per ordinẽ oſtia, ſtetit con-*

tra Regem, vbi ille reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, auroq; fulgens, & pretioſis lapidibus, eratq; terribilis aſpectu.

POST ieiunia, lacrymas, planctus, & orationes, quib. Deum placare, propitiumque ſibi reddere ſtuduerunt Mardochæus, populus exul, & regina Eſther, ſubijcitur profectio eiuſdem ad Regem ac imperatorem & maritũ Aſſuerum. Secundò, quid ab illo in primis poſtulauerit. Tertiò, inanis iactantia & exultatio Hamanis hoſtis Eccleſiæ, mox perituri. Poſtremò, præpoſterum conſilium vxoris & carnalium amicorũ, vnà cum eo ad necem Mardochæi conſpirantium.

Quintum decimum porrò caput cum quinto ideo coniunximus, quòd illud tantùm videatur iſtius paraphraſtica explicatio, partim à Ioſepho filio Matthathiæ, Ioſepho filio Gorionis, (ſi tamẽ duo fuerint) partim à Græco interprete ad verbum deſumpta. Mandatum Mardochęi ad Eſtherem de Rege adeũdo pro ſalute populi iam ſuperius explicauimus, Capite quarto, verſ. 13. 14. 15. cętera igitur perſequenda.

Seder olam zuta ca. 29. Hebræi volunt diẽ tertium, de quo hîc agitur, fuiſſe quintumdecimum menſis Niſan. Haman namque decimotertio die eiuſdem menſis ſcripſit literas ad omnes Satrapas & Iudices prouinciarum, diuerſarumque gentium, vt delerent omnes Iudæos vno die, hoc eſt tertiodecimo die menſis duodecimi, qui vocatur Adar. Decimo autem quinto Niſan, qui Martio noſtro ex parte reſpondet, profecta eſt Eſther in conſpectum Regis: ſicque in ieiunijs & lamentis vnà cum Mardochæo & alijs Iudæis ſeipſam exercuit die tertio decimo, quarto decimo, & ſub finem quinti decimi, qui hîc dicitur tertius, videlicet à ſuſcepto ieiunio publicó, *depoſuit*, inquit, *veſtimenta ornatus ſui.* Sed quomodo veſtimenta *ornatus*, quæ luctui & pœnitentiæ aptata fuerant? An quotidiani ornatus; vel lugubria ornamenta, quibus ſe ſpiritaliter decorauit orando & ieiunando, vt exiſtimat Rikelius? Aut potius caleographorum

phorum vitio, *ornatus*, pro, *luctus*, irrepſerit: Græcorum certè codices quidam habent τοῦ πένθους, luctus: alij τῆς θεραπείας, curationis, famulatus. Rectè ergo monuit Lyranus quoſdã legiſſe, *veſtimenta humilitatis ſuæ*. Idemq; in Poſtilla ſcribit: Induta eſt regalib. veſtimẽtis, depoſita veſte lugubri; qua fuerat vſa tempore orationis & ieiunij. Hebræi ſimpliciter: *Induit Eſther ſe regno*, id eſt, regio cultu ac veſtimento. Porrò die tertio induit regia indumenta, veſtes ſuas pulchras, & ornamenta decora: tum etiam aſſumpſit ſecum duas ancillas ſuas, quarum vni dextera manu innitebatur more Reginarum eo modo cum pediſſequis incedentium: altera puella ponè ſequebatur eam, ſubleuans veſtimenta eius, ne aurum ijs inſertum in terrã diffluerct: & ſimul quia moris erat apud Perſas, vt Reginæ eo modo veſtitum ſuũ geſtarent. Impoſuit quoque capiti circa regiam cidarim gemmas omnis generis, & nitente vultu animi texit mœrorem. Rex autem Aſſuerus ſedebat ſuper ſolium ſuum indutus veſte regia, cincta aureo cinctu, obryſo micante, ceraunio, ſarda & carbunculo flammantibus, omnibusque lapidibus pretioſis, quos in veſte habebat, coruſcantibus. & cæt.

Primùm autem hinc conſpice, quàm ſtudioſè ac diligenter populi diuini Eſther ſalutem curet Nullas enim nectit moras, non in aliud tempus magis opportunum rem prorogandam dicit: *ſed ipſo die tertio*, cùm adhuc feruerent populariũ ſuorum preces, cęlumq; ipſum pulſarent gemitus, & penetrarent lacrymę oppreſſorum. Timet ne interea quidam facultatib⁹ ſuis ſpolientur, ne à furentibus Hamaniſtis alij crudeliter trucidentur & mactentur. Nouerat etiam Deum hoc temporis ſpatium multis ad pœnitentiã & indulgentiam conceſſiſſe. Exacto enim triduo peſtilentiæ ſęuientis in Iſraelitas; ira Dei quieuit. Sara poſt fletũ & ieiunium triduanum, non ſolùm animo recreata, ſed & ab infeſtiſſimo dęmone tandẽ liberata eſt. Tribus diebus & noctib. ieiunantes & orantes Iudæi, proſperũ ex Babylone in Iudæã per infeſtorũ gentiũ fines reditum meruerũt. Niniuitæ triduani ieiunij pœnitẽtia

2 Reg. 24. Tob. 3. 1. Eſdr. 6.

ciuitati ſuæ imminentem iram cæleſtem euaſerunt. Daniel ter in die orationi vacabat. Chriſtus t..ti.. horto mortem deprecatus, tertia die de morte triumphauit. Paulus ter Dominum rogans, vt ab infeſtante Satana liberaretur, tandem audiuit à Domino; *Tibi ſufficit gratia mea.* Adeo myſterijs dicatus videtur iſte numerus ternarius, &c. Huius itaque exemplo diſcimús, in negotijs magnis, præſertim quæ ad proximorúm atque Eccleſiæ ſalutem pertinent, omnem diligentiam adhibendam eſſe; ne cunctatione & tarditate noſtra quidam pereant, quorum ſanguis de manibus noſtris requiratur.

Ion 3. *Dan. 6.* *Matth. 26.* *2. Cor. 12.*

Deinde, quando Hebræi poſt preces & ieiunia, quibus rem ſuam Deo commendârant, adiungunt externa remedia, vt liberentur ab exterminio, docemur ea non eſſe nobis negligenda, præſertim cùm licita ſunt: ſed poſtquam Deum toto pectore inuocauerimus, his conſtanter vtendum, euentum diuinæ prouidentiæ committentes. Ab his enim non abhorruit Dauid, vt à manibus Saulis vitam ſuam frequenter ſeruaret. Varijs artificijs externis beata Iudith Holofernem eluſit, circumuenit, cæcidit, & gentem ſuam internetione liberauit. Ideo prohibemur tentare Dominum Deum noſtrum.

Deut. 6. *Matth. 4.*

Eſther itaque ad Regem pro ciuibus ſuis profectura, depoſuit veſtimenta luctus ſui, quandoquidem lugubri veſte indutis (vt ſupra dictum eſt) aula Perſica non patebat. Deinde ſuperbiſſimus Imperator ab illa derîderi ac contemni ſe exiſtimaſſet, ſi cum ornatu viliore acceſſiſſet. Sciens ergo hominem ſplendore veſtium, ac muliebri potiſſimum forma delectari & facilè capi, cùm eſſet vxor, ſimulque regina, pretioſis planeque regalibus veſtimentis ornauit ſe, tum vt conditionem & ſtatum ſuum tueretur, tum vt viro magis gratioſa reddita, ab eo facilius impetraret quod intendebat. Quod enim hoc apparatu nõ gloriaretur ſatis indicat, cùm in Oratione ſua dicit: *Noſti Domine, quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ quaſi pannum menſtruatæ, & non portem illud in diebus ſilentij mei,* id eſt, quando domi maneo, non prodiens in publicum.

rum. Non eſt igitur Imperatricibus, Reginis & Heroi-
nis illic tum ſplendidis ac pretioſis veſtimentis ali-
quando indui, ſiquidem ſine reprehẽſione ſanctiſſimi
viri ac fœminæ his nonnunquam vſi ſint. Ioſeph à *Geneſ.41.*
Pharaone oblatum annulum aureum, & torquem au-
ream non recuſauit, quin & byſſina veſte, & curru
regio vectum per Aegyptum circunduci, ſaluatorem-
que mundi appellari ſuſtinuit. Dauid tulit diadema *2.Reg.12.*
Regis Ammonitarum, habens pondo auri talentum, *1.Paral.20.*
& gemmas pretioſiſſimas, illudque aptauit capiti ſuo.
Salomoni ingentem præ cunctis mundi regibus ſplẽ- *3.Reg.3.*
dorem Dominus contulit, cuius etiam Chriſtus me- *Matth.6.*
minit in Euangelio. Daniel poſt declaratũ oraculum *Daniel.5.*
de pariete, iubente Balthaſare, indutus eſt purpura, &
circundata eſt torques aurea collo eius, &c. Ionathas
etiam non inuitus accepit à Regibus Syriæ purpuram, *1.Mach.10.*
fibulam & coronam auream, id eſt, pretioſa regni in-
ſignia, & cum his magnificè ambulauit coram Iſraë-
le. Non eſt itaq; damnandus in huiuſmodi perſonis
ſplendor veſtium: ſed faſtus, arrogantia, contemptus
pannoſorum, & alij exceſſus, qui hinc orirentur.
Coarguendi etiam hi qui nec ortu, nec dignitate cla-
ri, ſumptuoſo tamen habitu incedere, & in hanc rem
patrimoniolum, ſi quod ſuperſit, multoſque labores
abſumere cernuntur. Carpendum denique & earum
mulierc ularum ſtudium, quæ plus ornatum corpo-
ris quàm animæ curant; & ad Eccleſiam ita exornatæ
veniunt, vt potius ſaltaturas quã precaturas iudices.

Laudabile planè eſt quod ſubditur, *eam inuocaſſe om-
nium rectorem & ſaluatorem Deum.* Græcè ἐπικαλεσαμένη
τὸν πάντων ἐπόπτην θεὸν καὶ σωτῆρα, inuocans omnium
inſpectorem Deum & ſaluatorem. Itaque aut parum
aut nihil confidentiæ in externo veſtium regiarum
ſplendore repoſuit, qua in re neceſſitati & conſuetu-
dini tantummodo ſeruiuit: omnem verò ſpem ſuam
in miſericordia Dei collocans, eiuſdem prouidentiæ
& diſpoſitioni omnino ſe commiſit. Non potuit ergo
non feliciter ſuccedere negotium, quod tam ſanctis
auſpicijs gerebatur. *Prope etenim eſt Dominus inuocanti-* *Pſalm.144.*
bus eum, inuocantibus in veritate, id eſt, toto pectore ac

ſine hypocriſi. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Inuocabunt,* inquit Iſaias, *& Dominus exaudiet: clamabunt, & dicet: ecce adſum.* Ioſue, Dauid, Ioſaphat, Machabæus perículoſo certamine cũ hoſtibus populi ſui dimicaturi, inuocato diuino præſidio, pręclara de his trophęa retulerũt. *Dominus namque diues eſt,* id eſt, liberalis ac beneficus, *in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.*

Iſaiæ 58.

Rom. 10.

Ioel. 2.

Quod de duab. ancillis ſubijcitur in Latina vulgata editione, comprobant ſuis teſtimonijs Ioſephus Gorionis, Ioſephus Mathathiæ, ac Græcus interpres. Primi verba ſunt ex interprete: Aſſumpſit ſecũ duas ancillas ſuas, quarũ vni dextera manu innitebatur more Reginarũ eo modo cum pediſſequis incedentiũ. Altera puella ponè ſequebatur eam, ſubleuans veſtimenta eius, ne aurum ijs inſertum in terram diffluerет; & ſimul quia moris erat apud Perſas, vt Reginæ eo modo veſtitum ſuum geſtarent. Hæc ille: quibus Eſtheris pompam refert ad morem Perſicum, cui tum inſeruire compellebatur, non ad vllum luxum muliebrem vel aulicum. Nihil ergo patrocinatur hoc exemplum ſuperbis ac faſtuoſis illis mulieribus, quæ ſupra conditionem, facultateſq; maritorum volunt ſumptuoſioribus ornamentis reſplendere. Summi Apoſtoli Petrus, & Paulus contrà diſertè docent, Mulierum ornatum non in ſumptuoſiore veſtitu, auri, argenti, gemmarumq; circũpoſitione, nec tortis crinibus: ſed in pietate, pudicitia, caſtitate, obediẽtia, comitate, cõſiſtere. Nec his prodeſt, quod ſic maritis ſuis placere ſtudeãt: quandoquidẽ non de integra cõſcientia (ait Tertullian.) venit ſtudiũ placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorem libidinis eſſe ſcimus. Vbi pudicitia, ibi vacua pulchritudo. Omnis maritus caſtitatis exactor eſt. Et Chryſ. inquit: Si qua ideo ornatur & comitur, vt in ſe oculos omnium irritet; etiã ſi nullum pulchritudine ſua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema ſupplicia. Parauit quippe virus, tẽperauit venenũ, porrexit poculũ, etiam ſi nullus qui biberet inuentus eſt. Audi Iſaiã magna contentione vocis inuehentem,

1. Tim. 2.

1. Pet. 3.

Lib. de cultu fœmin.

Hom. 17. in Matth.

...m, earumque aſpectum, & habitum, & inceſſum ...nquam parum pudicum notantem, &c. *Pro eo quòd ... ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum, ibant & plaudebant: ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In illa die auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & diſcriminalia, & periſcelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra. Et erit pro ſuaui odore fætor, & pro zona funiculus, & pro criſpante crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio, &c.* De his ſatis: ad Eſtherem regiam aulam, regio more pro Eccleſiæ Iſraelis ſalute petentem redeundum. *Eſaiæ 3.*

Oſtenditur quoque in duabus eius pediſſequis, quod ſit fidelium ancillarum erga dominas ſuas officium: nimirum eis cum omni fide ac demiſſione obtemperare in rebus licitis, aut etiam indifferentibus, qualis fuit hæc veſtimentorum Reginæ ſubleuatio, & labentis ſuſtentatio. Reprehenditur Agar ancilla Abrahæ, ideoque meritis ſuis dignas pœnas exoluit, quòd Saræ dominæ iuſſis non ſatis inſeruiret. Coarguitur quoque ancilla alterius Saræ, quòd ab hera ſua pro culpis increpata, in eam inſurrexerit, & contumelijs probriſq; vexauerit. Docent quippe Theologi obedientiam ſeruorum & famularum contineri ſub præcepto primo ſecundæ tabulæ legis, de honorandis parentibus: quādoquidem heri ſeruos diligere inſtar filiorum, ſerui autem illos vt parentes obſeruare teneantur. *Geneſ. 21.* *Tob. 3.*

Cùm autem dicitur *Aſſuerus ſediſſe ſuper ſolium ſuum, indutus veſtibus regijs auro, gemmiſque fulgentibus, & aſpectu terribilis*, oſtenditur Regum ac Magiſtratuum munus eſſe, ſedere in throno iudicij, vt ſubditorum querelas exaudiāt, dijudicent, & ſuum cuique jus reddant, ſicut & ipſi aliquādo ſupremo viuorū & mortuorū iudici, omnium operū ſuorum rationem

ſunt reddituri Hinc Dominus ad Moyſen. *Poſtquam*
Deut 17. *Rex ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronōmiū legis in volumine, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominū, &c. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiā ſuper fratres ſuos, neq; declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, &c.* Et de Dauide dicitur: *Dauid faciebat iudiciū & iuſtitiam cuncto populo ſuo.* Ioſaphat cōſtituit iudices terræ in cunctis vrbibus Iuda, præcipiēs eis, videre quid facerent *Non enim* (aiebat) *hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunq; iudicaueritis, in vos redundabit.* Hoc Regum munus etiam comprobârunt Ethnici, quando Regem deſignabant in hierogliphicis, per oculum apertum, in ſceptri apice conſtitutum. Homerus Iouē ſemper vigilē, & rebus terrenis attendentē fingit. Plutarchus refert Perſarū regi manè dictū quotidie à cubiculario: Surge Rex, & cura ea negotia, quæ te curare voluit Meſoromaſdes. Hunc pro Deo Perſę colebant.

1. Paral 18. 2 Reg. 8. 2. Paral 19. Lib. de doct. princ.

Hinc plurima tum in ſacris tum in prophanis referuntur de Regum thronis ac ſolijs, ex quibus velut ex ſacris diuiniſq; propemodum (nam Dei maieſtatē & poteſtatem in terris nobis referunt) ſedib. leges dictabant, & ius vnicuiq; dicebāt. Pharao dixit Ioſeph: *Vno regni ſolio te præcedam.* Et Dauid iuramento ad Bethſabæam facto confirmat, *Viuit Dominus, quia ſicut iuraui tibi, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ſedebit ſuper ſolium meum pro me: ſic faciam hodie.* Fecit quoq; rex Salomon ſolium eburneum grande, & veſtiuit illud auro puriſſimo. Sex quoq; gradus, quibus aſcendebatur ad ſolium, & ſcabellum aureum. Rex Niniues deſcendit de ſolio ſuo, &c. Quoties etiam Prophetæ de diuino iudicio loquuntur, toties propemodum thronū regiū ei affingunt, in quo reſideat, & de rebus humanis decernat. Iſaias vidit Dominum ſedentē ſuper thronū excelſum & eleuatum. Daniel quoq; conſpexit thronum in quo antiquus dierum ſedit. Et in Euangelio Chriſtus dicitur ſeſſurus ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & Apoſtoli ſeſſuri ſuper ſedes duodecim, &c.

Geneſ. 41. 3. Reg. 1. 2. Paral. 9. Ion. 3. Iſaiæ 6. Daniel 7. Matth. 19. 25.

Quod autem ad Perſicorum Regum thronum attinet, ſic eum deſcribit Athenæus. Thronus in quo ius dicere Rex conſueuerat, erat aureus, circa quem quatuor

tuor

ſuor aureæ columnæ lapillis diſtinctæ, mirum in mo dum ei [illegible]umponebantur, inter quas purpurea veſtis variegata extendebatur. Ibidem quoq; meminit aureę ſellę, quæ ex curru deſilienti ſemper apponebatur, ne ſuper terram incederet. Ioannes Tretzes ſcribit Xerxē in throno aureo ſedentem naualem ſuorum cū Græcis pugnam ſpectaſſe. Curtius teſtatur corpus defuncti Alexandri aureo ſolio impoſitum in Babylonis, tum Perſis ſubdita, ciuitate. Dion Chryſoſtomus, Reges Perſarum appellat, Reges in thronis aureis ſedentes. Xenophon etiam indicat Cyrum, regis Darij filiū natu minorem, ſediſſe in throno aureo & argenteo, cùm prouinciā decretam ſibi à patre, obtinuiſſet. Plutarchus narrat Democritum quendam Corinthium, videntem Alexandrum in Darij ſella conſidentem, præ gaudio lacrymaſſe, exclamaſſeque Græcos morte præreptos maxima voluptate & lætitia caruiſſe, quòd Alexandrum Darij ſellæ inſidentem non vidiſſent. Ex Diodoro denique & Valerio Maximo apertè colligitur, apud Perſas capitale fuiſſe, alterum à Rege huic ſellæ regiæ inſidere. Et de his hactenus. Sequitur in hiſtoria ſacra.

Lib. 12. c. 3. *Chiliadis 1. cap. 32.* *Lib. vltim.* *Orat. 49.* *Lib. 1. Græcarum. hiſt.* *Lib. 1. de fortuna Alex.* *Lib. 17.* *Lib. 5. ca. 16.*

2. *Cumq; vidiſſet Eſther Reginam ſtantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu.*
Quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ eius.

Hæc hiſtoria fuſioribus iſtis verbis explicatur quintodecimo libri huius capite.

10. *Cumq; (Aſſuerus) eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput.*

11. *Conuertitq; Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus ac metuens exiliuit de ſolio: & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe,*

his verbis blandiebatur.

12. *Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus noli metuere.*

13. *Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.*

14. *Accede igitur, & tange ſceptrum.*

15. *Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, & poſuit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eam, & ait: Cur mihi non loqueris?*

16. *Quæ reſpondit. Vidi te Domine, quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ.*

17. *Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena eſt gratiarum.*

18. *Cumq; loqueretur, rurſus corruit, & penè exanimata eſt.*

19. *Rex autem turbabatur, & omnes miniſtri eius conſolabantur eam.*

HANC etiam quinti decimi capitis partē comprobant ſcriptis ſuis Ioſephus Mathathiæ, Ioſephus Gorionis, & Græcus interpres, cū vulgata editione Latina. Repugnantiā verò, quę videtur inter verſum 2. capitis 5. & verſum 10. capitis quintidecimi oriri, ſic conciliat Rikelius, vt primo quidem aſpectu Rex viſa Regina, fuit contra eam commotus, eo quòd non vocata veniſſet; ſed perſpecta eius verecundia, trepidatione, reuerentia, & animi defectione, Reginæ compaſſus, timensq; de morte illius improuiſa, ipſam conſolatus ſit. Sed præſtat Gorionitem audire iſtud factum cum libri huius Authore, diuino conſilio tribuentē. Deus noſter, inquit, ærumnas noſtras reſpiciens, miſertus eſt oppreſſionis populi ſui, fuitq; in auxilio (Eſtheri) pupillę afflictæ, roganti vt ſui miſereſceret, quemadmodum certa fiducia facturum ipſum ſibi perſuaſerat. Deditq; ei gratiā corā Rege, &c.

Lib.11. Anti. cap.6. Et Ioſeph Mathathiæ, Rex (inquit) aſpexit eā aſperius, iracun-

ſi iucundoque vultu, & tunc apprehendit Reginā mem brorum debilitas: & ſuper ancillas quæ, prope latera eius erat, repente collapſa eſt. Rex aūt, voluntate arbitror, Dei, mentem mutauit, & timens ne quid mali vxor eius præ timore pateretur, ſurrexit à ſella, &c. Primò itaq; ingreſſu, & Regis ſplendore, & legis violatæ metu, & ſuperiorū trium dierū ieiunio, inediaq́; conſternata, defecit viribus & animo: paulò poſt verò Regia humanitate recreata & confirmata, cum magna veneratione protenſæ ſibi aureæ virgæ ſummitatem oſculata eſt.

Ex quibus primùm oſtēditur, qui ſint mores, quantuſq; faſtus Tyrannorū ac Regum huius mūdi. Nam veſtium ſplēdore, ſtipatorū numero, lictorumq́; pompa oculos ſimplicium perſtringunt, animoſq́; agitāt terroribus: quin & leuiſſima de cauſa irritati, in obuios quoſq; feruntur ac ſæuiunt, & quæcunq; libuerint, aut furor, indignatioq́; dictauerint, ea ſibi planè licere arbitrantur. Hinc ſapientiſſimus Hebrçorum. *Indignatio Regis, nuntij mortis: & vir ſapiens placabit eam.* Docens Prou.16. rurſus quàm formidabilis & periculoſa ſit horum indignatio, ſubijcit. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira.* Prou.19. Sicut enim animalium Rex, vniuerſa alia terribili rugitu ſuo penè examinat, (*Leo rugiet*, aīt Propheta, *quis* Amos 1. *non timebit?*) ita & Regum furor terribilis & cauendus; quippe qui facilè non placetur, multos habeat cupiditatum & prçceptorum ſuorum promptos executores, grauemq́ue vltionem ſubitò valeat inferre. Ideo rurſum ait. *Sicut rugitus leonis, ita & terror Regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam.* Id eſt, grauiſſimis & cer- Prouerb. 20. tiſſimis periculis vitam ſuam exponit.

DE PRINCIPVM SAEVITIA.

DE Nabuchodonoſore namque ſcribitur. *Propter* Daniel. 5. *magnificentiam eius vniuerſi populi tremebant, & metuebant eum Quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat* Et de Holofernis fama dicitur: *Cecidit ti-* Iudith.2. *mor illius ſuper oēs inhabitantes terrā. Et miſerunt ad eū lega-* & 3. *tos dicētes, Deſinat indignatio tua circa nos. Sint omnia noſtra*

ſub

ſub lege tua. Nos & filij noſtri ſerui tui ſumus. Veni, & vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi, &c. Horũ exẽpla extant in Pharaone ac Herode ſæuientibus in paruulos Hebræorũ, præter omnẽ iuris aut naturę rationem. Alexander ira concitatus multos præclaros equites, duces, & in his conſanguineos; & horum quoſdam veneno, quoſdam gladio, alios lapidib. crudeliter interemit. Clytum fortiſſimum virum haſta ſua trãsfodit, à quo hoſtium liberatus inſidijs ſæpius conſeruatus fuerat. Calliſthenem pręceptorem optimum, nec accuſatum nec auditum iuſſit torqueri & occidi. Auguſtus confecto Philippenſi bello, in ſplendidiſſimum quemque captiuum ſæuijt: vni ſuppliciter ſepulturam petenti, reſpondit, illam in poteſtate vulturum fore. Deinde, patrem & filium pro vita rogantes, ſortiri, vel dimicare iuſſit, vt alterutri concederetur. Poſt bellum Peruſinũ trecentos deditítios ad Iulio Cæſari extructam aram vice hoſtiarum mactauit. Tyberius nurum relegauit, tres nepotes ex Germanico natos fame necauit, in præceptores ſæuijt; interdixit ne capite damnatos propinqui lugerent: immaturas puellas (quia nefas erat virgines ſtrangulari) prius iubebat à carnifice violari; damnatas poſt exquiſita tormenta, præcipitari coram ſe in mare præcipiebat, excipiente claſſiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera, ne cui reſidui ſpiritus quicquã ineſſet. Caius, cùm ad ſaginam ferarum pecudes carius compararentur, ex noxijs laniandos adnotauit: multos honeſti ordinis ad metalla, multos ad beſtias condemnauit, multos ſerra medios diſſecuit: parenteſque filiorum ſupplicijs intereſſe cogebat, &c.

Exod.1. *Matth 2.* *Curt. lib. 6.* *Idem lib. 8.* *Suet. in Aug.* *Idẽ in Tyb.* *Idẽ in Caio.*

De regum Perſicorum ſæuitia furoreq; aliqua ſubijciamus. Cambyſes fratrem ſuum Smerdim, liuore commotus necari curauit; in ſororem, eandemq; vxorem, & prægnantem, calcibus inſilijt, & abortu edito eandẽ neci dedit: præpoſitos, & ſacerdotes vrbis Memphęos vera referentes mulctauit: Prexaſpis filium, pocillatorem ſuum, ſagitta aduerſo transfixit: Perſarum primores nullius momenti de cauſa necauit, viuos in caput defodiens. Cræſum regem ſalutaria monentem

Herod. li. 3.

ſem transfodiſſet, ni maturo curſu ſe foras proripuiſſet. Siſamni iudici ob acceptam pecuniam, pellem viuo detraxit, & ſellæ intendit, in qua filium eius iudicaturum conſidere fecit. Darius Sandocem nummarium iudicem, in crucem agi iuſſit, quòd pecunia corruptus malè iudicaſſet. *Herod. li.P* *Vale l.6.c 3.* *Herod. li 7.*

Qui Regi Perſico obtemperare detrectabat, ait Strabo, dextra manus cum capite illi abſcindebatur. Heliodorus exemplo Chariclíæ ſignificat apud Perſas etiam noxios innoxioſque aliquando viuos exuſtos fuiſſe. Alijs quandoque cutem ipſam detrahebant, vt Siſamni, de quo ſupra. Item Meſabati, vt Plutarchus, in Artaxerxe, teſtatur. Poſtea cuidam Baſilio, vt refert Procopius lib.1. de bello Perſico: deinde Nachoragi, authore Agathia li. 3. denique Mani ceu Maneti, Manichæorum hæreticorum principi: cuius rei teſtes ſunt Cyrillus Ieroſolymitanus Catech.7. Theodor. & Socrates in hiſtorijs. Receptum quoq; fuit in Perſarum moribus facinorum conuictos viuentes in terram defodere, vt de Apollonide medico refertur: & Herodotus iſtud vocat, ſupplicium Perſicum. Quoſdam Macedonum more, obruebât ſaxis, vt eſt apud Curtium: alios interdum & viuos ſecabant medios, vt Cteſias refert: adeoque rectè ſcripſit Ammianus Marcellinus, Perſarum nationem, ſuppliciorum varietates, ſemper exercuiſſe crudam. *Strabo li.15.* *Lib.8. hiſt. Aethiop.* *Plutarchus.* *Herod. lib. 3. & 8.* *Curt. lib.6.* *Cteſ. in Perſ.* *Ammi. li 30.*

Hæc porrò aliquanto copioſius retulimus, tum vt iuſtiſſimã conſternationis ſuæ cauſam habuiſſe Eſtherem doceremus: tum etiam vt ex grauiſſimis & antiquiſſimis hiſtorijs oſtenderemus, quanta in eiuſdem naturæ conſortes barbarie, & pluſquã ferina aut diabolica rabie ac ſæuitia vſi ſint aliquando Tyranni, ne iſtos crabrones leuiter imprudenterque irritemus. Ad hiſtoriam reuertimur.

Attende etiam ex hoc hiſtoriæ loco, quanta ſit omnium eorum qui in aulis Regum verſantur, inconſtantia & miſeria. Quis enim ex cũctis aulicis ſuauius & minori cum periculo Regum delitijs perfui debere videtur, quã Regina ipſa, Regi marito chariſſima, tot prouinciarum imperatrix? Vides tamen (ô rerum humana-

manarum inſignem mutationē,) in publica cæterorū lætitia, lugentem: cæteris in vtramque aurem dormientibus, inſomnes in orationibus & vigilijs ducentē noctes: præ timore & mœrore deficientem, prope exanimem corruere. Et quod maius eſt, Rex etiam ipſe, ad cuius conſpectum omnes trepidabant, timens dilectæ coniugi, contriſtatur, de ſolio deſilit, mulierculæ blanditur, & cum tota aula conturbatur. Addit Ioſephus Gorionis: Rex vehementer conturbatus, coram Eſthere regina lacrymauit: ideoque omnes Regis miniſtri precabantur Reginam, vt loqueretur Regi domino ſuo, quem videbant ſatis anxiū eſſe, &c. Ergo ſuos quiſque patitur manes, & vt Chriſtianè loquar, ſuas etiam Aulici perferunt cruces, eaſq; grauiores, quo à ſuis delitijs & voluptatibus, quas ſibi repromittunt,
Geneſ. 41. longius abeſſe ſentiunt. Pharao rex Aegypti nunc viſis nocturnis terretur, mox in pincernam & piſtorem ſuum iraſcitur, & hunc læſę maieſtatis reum, è medio
Dan 3 6. 14. conuiuio ad ſupplicium rapit. Daniel in aula Chaldęorum mox ſummis honoribus colitur, continuò leo-
Geneſ. 16. nibus diſcerpendus traditur. Nec tutior fuit conditio Abrahæ in domo Abimelechi, Ananię & Miſaelis in
Geneſ 40 aula Nabuchodonoſoris, Ioſephi in ædibus Putipha-
Marc. 6. ris, Dauidis cum Saule, Ioannis cum Herode: quando quidem in his varijs machinis ſunt pulſati, & periculis expoſiti. Nemo igitur aulicam vitam appetat, nemo ea delectetur, qui paci & ſaluti ſuæ bene conſultum eſſe volet.

Sed vnde tam repentina tamq; mirabilis rerum cōmutatio, vt Rex omni furore terroreque compreſſo, Eſtherem tam ſubito amore complecteretur, ſuſtentaret, cōſolaretur, ac etiam eidem collacrymaret? Alius dicet, muliebris formæ excellentia, ornatuque ſumptuoſiore illum repentè captum. Forma enim modici temporis tyrānus eſt; immaneq; quantum Principes externis his ornamentis delectentur. At Vaſthis oppidò pulcra, delicata, & ornata fuit: quæ tamen leuiore de cauſa repudiata eſt. Fuit ergo mutatio dexteræ excelſi, cuius ratio non in ornatu aut forma Eſtheris eſt collocanda: ſed in Dei miſericordia, bonitate, &

gratia, qua mentem huius barbari cicurauit, emolliit & in omnem beneuolentiã & dilectionẽ erga famulam ſuã conuertit. Id eſt, ferociſſimum cor leonis illicò in manſuetudinẽ permutauit, vt ouiculam ſuã ſeruaret, lege mortis eximeret, vniuerſa quæ vellet polliceretur. Rectè ergo ſancteq; ſcribitur à Salomone: *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.* Nam vt olitor ſuis canalibus findit, & in quam vult partẽ aquas per hortum dirigit, ſic Deus corda Regum quo vult facilè impellit. Et idem rurſum. *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoq; eius conuertet ad pacẽ.* Et Pſaltes, de captiuis in Babylone, *Dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium eorum qui ceperant eos* Et ne de veritate promiſſorum quis ambigeret, multis exemplis ea confirmauit, quando corda Laban & Eſau conuertit in Iacob: Nabuchodonoſoris in tres pueros; Darij in Daniclẽ, Salmanaſaris in Tobiam, Cyri in populum Iſraelis, Alexandri in Iaddum ſacerdotem, Pauli perſecutoris ad aſſertionem ei⁹ quod prius expugnabat. Ita poteſt auferre cor lapideum, & dare carneum, id eſt, mollè & tractabile: atque de lapidibus facere filios Abrahæ. Gainæ ferociſſimi tyranni minas furoreſq; idem Dominus coram Chryſoſtomo ſic facilè coercuit, vt longo itinere occurreret ipſi in legationẽ miſſo, manus ſuis oculis applicaret, & liberos ſuos beati Epiſcopi genibus benedicendos admoueret. Attilæ, qui flagelli Dei cognomine gloriabatur, crudelem & barbarũ animũ non ſemel ad verba Leonis papę, & Lupi Trecenſ. liquefecit & mitigauit. Ecquid mirum, quando etiam efferatiſſimas belluas in gratiã ſeruorum ſuorũ non ſemel manſuefecerit? Vide hiſtorias Danielis, tertij libri Machabçorũ, & Euſebij. Nunq̃ igitur diffidendum de illius potentia & virtute: nulla pericula pro eius cultu ac religione detrectanda: quandoquidẽ poteſt hoſtes noſtros aut conuertere, aut conterere ſub pedibus noſtris, etiam ſi cunctis belluis eſſent ferociores.

Prouerb. 21.
Prouerb. 16.
Pſalm. 105.
Ioſeph. 11. ant. cap. 8.
Act. 8. & 9.
Ezech. 36.
Lucæ 3.
Theodor. li. 5 hiſt. ca. 32. & 33.
Sigeb.

Debent etiam Aſſueri regis exemplo, & mariti, vxores ſuas afflictas conſolari ac erigere: & principes, magiſtratusque, ſubditis ſuæ poteſtati populis

appreſ-

oppreſſis humaniter ſubuenire. Illis enim Paulus
Epheſ. 6. præcipit, vt diligant vxores ſuas, ſicut Chriſtus Eccle-
Coloſſ. 3. ſiam. Iterumque ait: *Viri diligite vxores veſtras, & nolite*
1. Petr. 3. *eſſe amari ad illas*. Petrus quoque ſcribit: *Viri coniugibus cohabitent ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes veſtræ.* Sunt enim plurima, in quibus ille ſexus infirmior indiget viri, id eſt,
Iſaiæ 49. robuſtioris confirmatione & conſolatione. Magiſtratui verò à Deo præcipitur, vt ſit nutricius Eccleſiæ, nimirum, vt inſtar nutricis, infirmos foueat, debiles erigat, oppreſſos liberet, omnes pro viribus in honeſtam libertatem aſſerat & conſeruet. Ita iubentur ſer-
Pſalm. 2. uire Domino in timore, & exultare ei cum tremore.
2. Reg. 7. Ait enim ad Dauid: Tu paſces populum meum Iſrael: quod equidem nō minus fortiter quàm fideliter præſtitit, dum ſuos à Philiſtæorum & reliquorū hoſtium, cum quibus continuò pugnandum fuit, incurſione liberauit.

Eſther denique magna demiſſione animi *oſculans ſummitatem virgæ regiæ*, exemplo ſuo docuit legitimos magiſtratus timendos & honorādos eſſe, vtpote, qui in terris nomine authoritateque diuina cęteris hominibus præſint, & ipſam Dei nobis in terris referant imaginem, quin & venerando Dei nomine nuncupen-
Exod. 22. tur. Ait enim in Lege: *Dijs* (id eſt, iudicibus) *non detra-*
Pſalm. 81. *hes, & principi populi tui non maledices.* Et Pſaltes: *Deus ſtetit in ſynagoga deorum*, id eſt, iudicum congregatione, tanquam primarius iudex, contemplans eorum actiones, & qualiter eius vice alijs ius dicant, rationem ab eis diſtrictè aliquando requiſiturus. Ea ratione bea-
Ruth. 2. ta Ruth cecidit prona ante Booz ſupremum iudi-
3. Reg. 1. cem Iſraelis, Nathan propheta & Bethſabee proni Dauidem regem ciuili adoratione coluerunt, &c.

3. *Dixitq́ue ad eam Rex. Quid vis Eſther regina? Etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

4. *At illa reſpondit: Si Regi placet, obſecro vt venias ad me hodie, & Haman tecum ad conuiuium, quod paraui.*

5. *Statimq́; Rex: Vocate, inquit, citò Haman, vt Eſther obediat voluntati. Venerunt itaq; Rex & Haman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat.*

DESCRIPTA profectione Eſtheris in aulam Perſicam, nunc refertur quid primo loco à Rege poſtulauerit. Vide autem beatæ huius feminę prudentiam. Non ſtatim reuelat affectũ animi ſui: ſed quærit opportunam occaſionem in conuiuio, cùm Rex alacer fuerit & lætus. Nouerat quippe illum conuiuijs, delicatis cibis, & blanditijs muliebribus facilè capi & expugnari: rurſum, Hamanis compotationibus plurimùm delectari; idcirco vtrunq; inuitat ad conuiuium, vt & animum Regis ſibi conciliet ac deuinciat, Hamanem verò magis ingenuè coarguat & damnet Ergo interrogata quid vellet: Hodiernus, inquit, dies, mihi perpetuò inſignis & memorabilis erit, ſi Regia maieſtas non dedignetur venire cum Hamane ad conuiuium, quod ei paraui. Nequaquam igitur ô Rex, theſaurorum tuorũ partem pro me exhauriri, nec regnum tuum ex parte imminui optem: ſola quam dixi, humanitate & beneuolentia nunc mihi ſatis ſuperq́ue factum exiſtimabo.

Huius autem mulieris exemplo diſce, in cunctis, pręſertim grauioris momenti, negotijs, vti ea prudentiæ ſpecie, quam Philoſophi vocant, Rectam rationẽ *Ariſtot. 6.* rerum agendarum, expetendarum, vel fugiendarum: *Ethic.* idq; cum magno delectu circunſtantiarum temporis, loci, perſonarum, atq; finis. Ab hac virtute Dauid laudatur, quòd in domo Saulis, & belli paciſq; tempore *in cunctis prudenter ſeipſum gerebat*: id eſt, magna ſagaci- *1. Reg. 18.*

 tate

tate & proſperitate omnia negotia ſua conficiebat. De
3.Reg.4. Salomone quoq; ſcriptura teſtatur: *Dedit Deus ſapienti-*
am Salomoni, & prudentiam multam nimis: nimirum tam
ciuilem, quæ ad ampliſſimi regni adminiſtrationem
ſpectabat; quàm domeſticam & œconomicàm, qua
in rebus domus ſuæ feliciter verſaretur. Chriſtus vult
Matth 10. ſuos eſſe *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut colum-*
bæ. Serpentes autem (ait Auguſtinus) vniuerſum cor-
pus vulnerandum & lacerandum obijciunt, vt caput
ſeruent incolume. Ita & nos rerum omnium iacturā,
potiuſquam fidei & religionis facere oportet. Seruum
Matth.24. ſalutis ſuæ ac bonorum operum ſtudioſum, appellat
& 25. fidelem & prudentem: virgineſq; lampadibus paratis
1.Tim.3. ſponſo pergentes obuiàm, prudētes. Paulus optat E-
Tit.2. piſcopum eſſe ſobrium, prudenrem, ornatum: Senes
etiam ſobrios, pudicos, prudentes, ſanos in fide: Anus
ſimiliter vt prudentiam doceant adoleſcentulas. &c.

Ex his autem verbis Regis, *Etiamſi dimidiam partem*
regni mei petieris, impetrabis, obſerua queſo, pręcipitem,
temerariam, & imprudentem (commune Regibus vi-
tium) ſine conſilio promiſſionem, quæ etiam tertiò
in hac hiſtoria repetitur. Senſus ergo eſt: Tam libera-
lem Regem, tam magnificum thori conſortem, tam-
q́ue tui amantem coniugem habes, vt nihil tibi ſit de-
negaturus, etiam ſi dimidiam latiſſimi imperij partē
Matth.14. poſtulaueris. Tantundem promittebat Herodes im-
Marc.6. puræ ſaltatrici. Adeo nimij ac prodigi ſunt Principes
circa mulieres, nebulones, ganeones, adulatores, pro-
ditores, & id genus: circa pauperes verò & afflictos
parciſſimi & ſordidiſſimi. Genimina Iudæorum, qui
Exod.32. ad conflandum vituli execrabile idolū, etiam filiorū,
filiarum, & vxorū ſuarum ornamentis aureis non pe-
percerunt: ad conſtruendum diuinum tabernaculum
vix pelles caprarum præbuerunt. Horum ſimiliter po
Matth.27. ſteris præſto fuit pecunia multa ad ineſcandum Pro-
& 28. ditorem, comparandaq; mendacia militū excubitorū
ſepulcri, aduerſus verā manifeſtamq; Chriſti reſurre-
ctionem: egenorum verò omnem curam abiecerant.

Inſuper oſtendit hic locus conuiuia, modò ſint mo-
derata, & ad conciliandos, vel in officio retinendos

animos,aut etiam tempore publicę lætitiæ honeſtè inſtituta, magis eſſe in ſacris commendata quàm reprehenſa: quandoquidem ſanctiſſimi Patriarchæ eadem frequenter cum laude amicis ac peregrinis inſtruxiſſe & paraſſe legantur. Melchiſedec Abraham redeuntem è bello victorem, peracto Euchariſtico ſacrificio, lauto excepit cõuiuio. Idem angelis tanquam peregrinis menſam appoſuit. In ablactatione Iſaac amicos ſuos excepit conuiuio. Ioſeph cum fratribus, filij Iob cum ſororibus, Raguel & Tobias in liberorum ſuorũ nuptijs, etiam aſſidente Angelo Raphaele, aliquandiu ſunt epulati. Chriſtus deniq; perfectum ſobrietatis & moderationis exemplar, nuptijs, atq; Matthęi, Zachęi, Simonis, Marthæ, & piorum aliorum conuiuijs interesse non detrectauit. Tertul. priſcorum Chriſtianorũ agapas, id eſt, religioſa conuiuia, his verbis deſcribit. Non prius diſcumbitur, quàm oratio pręguſtetur: editur, quantum eſurientes capiunt: bibitur, quantũ pudicis eſt vtile: ita fabulantur, vt qui ſciant Deum audire. Oratio conuiuium dirimit. Chryſoſt. ex conuiuijs cupit procul ablegari luxum, ebrietates, ſaltationes, obſcœna verba, contemptum pauperum. Auguſtinus addit detractiones. Refert enim Poſſidonius menſæ ac vitæ illius particeps, hos verſus menſæ eius fuiſſe ſuperſcriptos.

Geneſ.14. *Gen. 18.* *Geneſ.21.* *Tertul. Apolog. cap. 39.* *Li. de vita Augu. ca. 22.*

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Verùm, cur Regina fœmina, ſi quæ alia, pietatis ſtudioſiſſima, Hamanem hominem planè barbarum, truculentum, gentis ſuæ hoſtem, ac impijſſimum, ſemel & iterum in domum menſamque accerſit? Primò, inquit R. Salomon, vt ea ſingularis honoris & fauoris ſpecie, illũ alijs principibus & aulicis magis inuiſum reddat; indeq; ruinam illius potius adiuuent, quàm impediant. Nouerat ſagax fęmina, inuidiam in aulis præſertim regnare: aulicorũ igitur morbo in rẽ ſuã, imò totius Eccleſiæ vtitur. Moſes, Dauid, Daniel, inuidorũ aulicorũ telis frequenter ſunt petiti. Adeò veriſſimũ eſt illud Poëtę: Fraus ſublimi regnat in aula.

Et licet, inquit Lyranus, in hoc forſitan non bene fecerit, tamen commendatur de facti intentione: quia faciebat hoc ad deiectionem ſuperbi, & liberationem innocentis populi. Sicut & Iudith de mendacijs quæ dixit Holoferni, non commendatur: ſed de intentione liberationis populi ſui.

Secundò, potuit & iſtud eximia charitate & humanitate facere, nimirum, vt ferocem ac ſuperbum animum eius ſua patientia & beneuolentia mitigaret atque molliret: quandoquidem feræ crudeliſſimæ beneficijs nõnunquam cicurantur & manſueſcunt. Sic ante Euangelium, illud adimplet euangelicum: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus &c. vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum* &c. Item & hoc Apoſtolicum præceptum: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*. Id eſt, aut talibus officijs humanitatis emollietur: aut certè aduretur æſtuabitque teſtimonio conſcientiæ benignitate noſtra obrutæ. Sic quondam & Ioſeph fratrum ſuorum inuidentiam, & Dauid Saulis malitiam, ſummis obſequijs & beneficijs ſtuduerunt lenire atq; placare. Chriſtus quoq; omni beneuolẽtia conatus eſt crudelem ingratumque proditorem à concepto immani ſcelere auertere. Ita ergo diſciplina iubemur (ſcribit Tertullianus) diligere inimicos, & orare pro eis qui nos perſequuntur: vt hæc ſit perfecta & propria bonitas noſtra, non communis. Amicos enim diligere omnium eſt: inimicos autem ſolorum Chriſtianorum.

Matth.5. *Rom.12.* *Tertul li. ad Scapulam.*

Tertiò, vt vel in malo peruicacem & induratum, non clam, ſed præſentem apud Regem accuſaret. Nã ſi abſentem in iudicium capitis arceſſiſſet, potuiſſet Aſſuerus ſuſpicari eam erga Hamanem aliàs eſſe malè affectam. Quod ſi illum accerſi iuſſiſſet, vel conſcius ſe in pedes conieciſſet, vel ad nouas artes ſe conuertiſſet. Tam enim vafris iſtiuſmodi hominibus aſtus & thecnæ deſunt, quàm vulpibus annoſis. Ab hac porrò Eſtheris virtute longiſſimè abſunt ſycophãtæ & calumniatores, ſoliti homines clam accuſare,

ne accuſato relinquatur expurgationis & defenſionis locus: quod planè Satanicum eſt. Nam & Satan habet nomen διαβόλου, hoc eſt, calumniatoris, quòd pios calumnietur in conſpectu Dei die ac nocte. Hinc Hieronymus: Serpens & detractor æquales ſunt; quo modo enim ille mordens venenum infert, ſic & iſte. Et Sixtus tertius optimo iure decreuit, Vt qui alteri crimen obiecerit, ſcribat ſe probaturum: & qui non probauerit, ſimilem pœnam ſuſtineat. Et Damaſus: Calumniator, ſi in accuſatione defecerit, talionem recipiat. Qui non probauerit quod obiecerit, pœnam quam ipſe intulerit, patiatur. Si quis Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus impetierit vel accuſauerit, & probare non poterit, nec in fine dandam ei communionem cenſemus. Calixtus autem conſtituit, vt accuſatorum perſonæ nunquam recipiantur ſine ſcripto: nec abſente eo quem accuſare voluerint. Eutychianus ſimiliter, Quiſquis ille eſt, inquit, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem patiatur, nec impunitam ſibi nouerit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij. Denique Stephanus ſanciuit, vt per ſcripta nullius accuſatio ſuſcipiatur: ſed propria voce, præſente eo quem accuſare deſiderat. Quia nullus abſens accuſare poteſt, nec ab aliquo accuſari, &c. His legibus delatorum, obtrectatorum, & calumniatorum diabolicam impudentiam & malitiam pij Pontifices omnino coercere ſtuduerunt.

Iob. 1. *Apoc. 12.* *Com. in 10. c. Eccleſ.* *2. q. 8. can. qui crimen.* *2. q. 3. ca. Calumniator: c. qui non: ca. ſi quis.* *2. q. 8. c. accuſatorum: ca. quiſquis, ca. per ſcripta.*

6. *Dixitq; ei Rex, poſtquam vinum biberat abundanter: Quid petis vt detur tibi? et pro qua re poſtulas? Etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.*

7. *Cui reſpondit Eſther: Petitio mea, & preces meæ ſunt iſtæ:*

8. *Si inueni in conſpectu Regis gratiam, & ſi Regi placet, vt det mihi quod poſtulo, & meam im-*

pleat petitionem: veniat Rex & Haman ad conuiuium quod paraui eis, & cras aperiam Regi voluntatem meam.

HAbes hic in primis Regem egregium potatorē & bibacem, quiq; inter pocula mero incaleſcēs, illa facilè promittit, & admittit, quę forſan non feciſſet ſobrius. Hæc intemperies, & ſi omnibus turpis & periculoſa ſit, Regibus tamen Pontificibus & Magiſtratibus turpiſſima & periculoſiſſima eſt: quandoquidem Dei viuentis loco rebus hominum tā ſacris quàm profanis præſunt, quas non niſi magno conſilio & prudentia tractari oportet. Idcirco Sacerdotibus diuino cultui occupatis vſum vini omnino prohibet Dominus, dicens per Moyſen ad principem

Leuit. 10. eorum Aaronem; *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculū teſtimonij, ne moriamini. Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatiſq; filios Iſrael omnia legitima mea.* Nemo enim vino mēte emotus, his ſacris pro dignitate operari poteſt.

Prouerb. 31. De Regibus autem ſcribitur: *Noli Regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas. Ne fortè bibāt, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.* Duplici ergo incommodo deterret Reges ab immoderato vſu vini, priore, quòd negotia regnorū, quæ ſecreta eſſe oportet, ab intemperantibus euulgentur: poſteriore, quòd vino ſepulti malè pronuncient in cauſa pauperum, pro quibus tamen ex officio de-

Eccle. 10. bent eſſe ſoliciti. Vnde Eccleſiaſtes dicit. *Væ terræ cu-*

Oſe. 4. *ius principes manè comedunt.* Et Propheta. *Fornicatio &*

Plat. lib. 2. de *vinum & ebrietas auferunt cor.* Hoc vidit etiam Plato,

legibus. quando Carthaginenſes commendauit, quòd Magiſtratibus ſuis vſum vini lege interdixiſſent.

Sed quid? Decet ne prudentes vxores Eſtheris exemplo, maritos ſuos egregiè potos de rebus ſerijs conuenire? Nequaquam id conſuluerim. Plurima enim facta veterū miranda ſunt, non imitanda. Ergo ſi quid à maritis impetrare velint, cum illis non agant quando vel ebrios, vel ira accenſos, vel de mentis ſtatu deiectos

ictos viderint:ſed commonitiones eo vſq; differant, quò eos crapulam edormiuiſſe, iramq; poſuiſſe intellexerint. Imitentur Abigailis prudentiam, quę Nabali marito ebrio nihil rerum quæ contigerant, indicauit; ſed poſtridie cùm vinum digeſſiſſet. Ebrij enim nihil rectè vident, ſed omnia peruersè iudicant, adeo vt quæ ſimplicia ſunt, dupla eis videantur; & recta, incurua: bona, mala: alba, rubra frequentius exiſtiment. Perpendant autem in Eſtheris exemplo veram & legitimam rationem, qua poſſint non iniuſtam dominationem in maritos ſuos conſequi. Idē enim Rex Aſſuerus, qui Vaſthis reginæ faſtum ac imperium tam acerbè tulerat, nunc Eſtheri tãtam dominationē in ſe permittit, vt quaſi captiuus eius, promittat ei dimidiã partem regni ſui. Qua verò arte hoc à tanto Rege extorſit? Non conuitijs, non faſtu, non rixis, non contētione, non improbitate. His enim moribus mulieres magis pugnos & plagas, quàm imperia & dominationes reportare ſolent. Sed conſequuta eſt ſua in Deum pietate, erga virum reuerentia, pudicitia, patientia, & alijs virtutibus. Sicq; mulieres ſeruiendo & obediendo dominantur, qua vna ratione dominatio mulierum fit legitima. De qua & Petrus ſcribit: *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram.* 1. Reg. 25. 1. Petr. 3.

Perſpicis etiam planè mirabilem, & in ſexu præſertim muliebri, raram patientiam, longanimitatem, & compotem animi virtutem, qua differre poteſt inæſtimabile deſideriũ, tam certè impetrandum? Intelligit enim Regem ſeriò gratificaturũ ſibi, qui iam ſecundò nihil ſe negaturum promiſerat. Tamen non ſtatim vrget negotium, ſed in ſequentem diem differt, vt & noctu precibus à Deo obtineat, quid dicendum, quomodoq; inſtitutum aggrediendum: & certius conſiſterent impetrata, quæ non circa pocula vinoſus cõceſſiſſet veſperi, ſed quæ manè. In primo hoc cõuiuio rem non aperuit, adijcit Rupertus, dimiſitq; hoſtem morti deſtinatum mala ſecuritate perfrui, & de magnitudine diuitiarum gloriari. Illum vtiq; malè ſecu- Lib. 8. de victoria verbi, cap. 18.

rum,Regem autem magis beneuolum, magiſq; fecit attentum. *Dixit enim,ſi inueni gratiam in conſpectu Regis, & ſi Regi placet, &c.* Feram immanem, vrſum ferocem, vt tradat ad ſupplicium, allicit ad edulium, ne prius audiat famam,quàm ſubeat pœnam:ne prius videat foueam,quàm incidat in eam: prudens & ſciens commodius eſſe feram comprehenſam intus opprimi,quàm exterritam & per ſaltus fugientem cum canibus dubio euentu perſequi. Hæc planè non ſolùm eximiæ prudentiæ Eſtheris;verùm,multo magis diuinæ prouidentiæ,quæ Reginæ direxit prudentiam,accepto ferenda ſunt.Hactenus ille.

Quæritur autem, An non Eſther hoſpitalia iura violauerit, ſemel & iterum accerſendo Hamanem in domum & menſam ſuam, vt eum proderet & coargueret?Reſpondeo.Ille hoſtis cruentus & apertus erat totius Eccleſiæ ac populi diuini: crudelia edicta ab eo impetrata,vt deleretur totum ſemen Abrahę,ex quo Prophetæ,denique Chriſtus orbis Seruator & iudex venturus erat,vndique pendebant; vbique parati carnifices ſanctorum inhiabant ſanguini. Itaq; vt hoſtem non tantùm Iſraelis, ſed & ipſius Dei manifeſtum & certum, iure potuit eum Eſther circumuenire,imparatum accuſare,& omni qua valuit prudentia & arte à legitimo magiſtratu ad necem poſtulare. Accedit, quòd res non tam humana prudentia, quàm diuina prouidentia gerebatur, qua comprehenduntur aſtuti in aſtutia ſua,& cadunt impij in foueā, quam pijs Dei ſeruis fecerunt. Sic & Iudith hoſtem *Iudith.*10.11. 12,13.& 16. manifeſtum reipublicæ ac pietatis ſuæ Holofernem, magno artificio fefellit,& neci non ſine laude, & totius populi diuini commodo, propria manu tradidit: quod diuinæ manui fert acceptum in Cantico ſuo dicens. *Dominus omnipotens tradidit eum in manu fœminæ, &* *Iudic.*4.et 5. *confodit eum.* Iahel quoque fortiſſima virago Siſaram patriæ ac Religionis manifeſtum hoſtem induxit,decepit,deſtituit,& clauo tabernaculi in tempora fortiter infixo morti tradidit: indeque commendatur à Spiritu Sancto his Cantici verbis: *Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinei, & benedicatur in tabernaculo ſuo.*

lo ſuo. Dolus enim ac inſidiæ,(modò fides, ſi data eſt, non violetur) contra hoſtes apertos non prohibentur, cùm ſint inſtar armorum, quibus omni iure aduerſus illos inſurgere, eoſdemque opprimere liceat, vti ex Abrahami, Ioſue, Dauidis, & Iudæ Machabæi præclaris geſtis comprobatur. Tunc enim verum efficitur quod Poëta ſcribit. Dolus an virtus quis in hoſte requirat? Nullæ verò ſunt occultiores inſidiæ, vt ex Tullio docet Auguſtinus, quàm hæ quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine Itaq; non peccati aut mali doli eſt inſimulanda Beata Eſther, ſed potius cōmendanda; quæ ſecreto diuino conſilio, ſuaq; ſagacitate, tam immanem & ſæuū hoſtē ſuum, populi ſui, Deiq; ſuſtulerit de medio. *Lib. 19. de ciuit. cap. 5.*

Cæterùm, perfidia, grauiſſimoque ſcelere non vacabit, qui fide communi data, domo menſaque exceptum, aliove malo dolo, hominem inopinatò trucidauerit, ſicut Abſalom fratrem ſuum Amnonē, Iſmael Godoliam, Ptolomæus Abobi filius Simonem Machabæum cum filijs ſceleſta proditione incautos interfecerunt. Ait enim Auguſtinus: Fides, quando promittitur, etiam hoſti ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur. Et Ambroſius, multis laudatis infert: Liquet igitur, etiam in bello, fidem & iuſtitiam ſeruari oportere: nec vllum decorum eſſe poſſe, ſi violetur fides. Ergo multo ſyncerius & firmius ſeruanda eſt, quando placidè amiceque promiſſa eſt. *Aug. epiſt. 205.* *Amb. 1. offic. cap. 29.*

9. *Egreſſus eſt itaque illo die Haman lætus & alacer. Cumq; vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeſſionis ſuæ, indignatus eſt valde.*

10. *Et diſſimulata ira, reuerſus in domum ſuam, conuocauit ad ſe amicos ſuos, et Zares vxorem ſuā.*

11. *Et expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumq; turbā, & quanta eū gloria ſuper omnes principes & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet.*

12. *Et poſt hæc ait. Regina quoq; Eſther nullum alium vocauit ad conuiuiũ cum Rege, præter me: apud quam etiam cras cũ Rege pranſurus ſum.*
13. *Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.*

TErtia iſta parte capituli Haman plenis buccis efflat ſuas opes & glorias, quibus vnus obſiſtit ſeruus Dei Mardochæus. Non ſolùm ergo eo nomine mirè ſibi placet, quòd apud Regem in magno ſit numero ac pretio: ſed & quod à Regina prę omnibus alijs regni proceribus, vocatus eſſet ad epulas, vtriuſq; intereſſet priuatis & familiaribus colloquijs, vtriuſq; aurem animumq; poſſideret. Ecquis, aiebat, vnquam me felicior, beatior, glorioſior? Nullus hominũ, nullus Angelorum, imò nec Deus ipſe, ſiquis tamen, vt putant, regnet in cęlis. Omnia ſiquidem mihi pro votis ſuccedunt, omnia rident, &c. vnius tantũ Mardochæi mihi non aſſurgentis contemptus, omni ſupplicio grauius animum meũ conficit ac excruciat.

Ex his autem primùm aduerte extremam dementiam, cæcitatemq; huiuſmodi Thraſonum, & impiorum huius ſeculi filiorum. Non vident, excęcati philautia & malitia propria, ſe tum in maioribus verſari periculis & caſibus, cùm ſe magis ſecuros putant: nec mortem ac iudicium Dei capitibus ſuis propius imminere, quàm cùm de his minus recogitant. Hic putat conuiuium Eſtheris ſibi glorioſum, quod tamen decipula eſt, qua non multo poſt capietur. Exiſtimat Reginam ſibi bene velle, quæ tamen parat illi accuſationem grauiſſimam, & horrendum exitium. *Tenent* (*Iob.21.*) *tympanum & citharam, gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Balthaſar (*Dan.5.*) cum aulicis epulatur, luxuriatur, & prophanatis ſacris vaſis, velut de Deo Hebræorum à ſe victo triumphat: ſed mox manus in pariete ſcribentis forma incredibili terrore cõtremiſcit, malaq; morte ad tartara rapitur. Holofernes (*Iudith. 2. & 13.*) multis victorijs & ſpolijs clarus, dum vino veneriq; indulget, viuere deſinit. In diebus Noe, edebãt, bibebãt, vxores ducebant; venit diluuiũ,

& perdidit omnes. Similiter factum eſt in diebus Lot, *Gen 7. & 19.*
edebant & bibebant, emebant & vendebant, planta- *Luc. 17.*
bant & ædificabant, & pluit ignē & ſulphur de cælo.
Et cùm occiſis Dei præconibus & ſeruis Antichriſtus
ac ſatellites eius dixerint, *pax & ſecuritas, tunc repentinus* *1. Theſſ. 5.*
eis ſuperueniet interitus. Alexander orbis domitor & vi-
ctor, Babylone voluptatibus indulgēs, veneno repen-
te tollitur. Cæſar arrepto multo ſanguine imperio, in
ſenatu confoditur, &c. Hæc ſors impiorum, hoc Dei
omnipotentis aduerſus illos iudicium. Ecquid ergo
æmulamur in malignantibus, aut zelamus facientes
iniquitatē? Quin cogitamus, quod *tanquam fœnum velo-* *Pſalm. 36.*
citer areſcent, & tanquam olera herbarum citò decident? An
non præſtat cum Lazaro ad tempus mendicare, vlce- *Luc. 16.*
ribus repleri, fame etiamnum tabeſcere, vt tandē ab
angelis in locū perpetuæ conſolationis perducamur:
quàm cum Epulone aliquandiu epulari ſplendidè, in-
dui purpura & byſſo, vt in æternū cruciaris in flāma?

Aduerte deinde, ſingularis planeq; diuinæ conſtan
tiæ exemplum in Mardochæo. Tametſi enim præce-
ptum eſſet à Rege, vt omnes Hamanem adorarent, ſa-
tisq; intelligeretur, ſi eum inhonoratū prętermitteret
Mardochæus, quod aduerſus eū fremeret, vniuerſæq;
genti Iudæorum extremum exitium pararet: contra
verò, illud forſitan ſperandū fuerit, ſi ei aſſurrexiſſet,
exulceratūm aulici animum mitigatum iri, ad quod
officiū cùm eſſet exul & captiuus, teneri videbatur: de-
niq; Perſę omnes indigenę illū demiſsè venerabātur:
nihilominus nec illi aſſurgere, nec tantillum de loco
ſeſſionis ſuæ propter eum mouere ſe dignatur. O con
ſtantiam! O inuictum & inſuperabilē animum! Secū
enim recogitat. Paruum ac leue quidem ab alijs puta-
tur, quod Haman à me poſtulat, nimirū externā aſſur
rectionem, genu flexionem, aut capitis inclinationē:
ſed maximum ego credo eſſe, quod Deus omnipotēs *Exod. 20.*
prohibuit honorem ſibi vni debitū in hominē impu- *Deu. 6. et 10.*
rum transferre. Hamā inſuper Amalechites eſt: gentē *Iſa. 42.*
porrò Amalechiten Deus execratus eſt, iuſſitq; nobis *Exod. 17.*
execrationi eam habere. Hamanē ergo nunquam ve- *Deut. 25.*
nerabor, nunquā vel minimo colā obſequiolo. Rur- *1. Reg. 15.*
ſum; Idolū quod de collo ſuo appenſum geſtat, adorabo?

ſub lege tua. Nos & filij noſtri ſerui tui ſumus. Veni, & vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi, &c. Horũ exẽpla extant in Pharaone ac Herode ſæuientibus in paruulos Hebræorũ, præter omnẽ iuris aut naturę rationem. Alexander ira concitatus multos præclaros equites, duces, & in his conſanguineos; & horum quoſdam veneno, quoſdam gladio, alios lapidib. crudeliter interemit. Clytum fortiſſimum virum haſta ſua trãsfodit, à quo hoſtium liberatus inſidijs ſæpius conſeruatus fuerat. Calliſthenem pręceptorem optimum, nec accuſatum nec auditum iuſſit torqueri & occidi. Auguſtus confecto Philippenſi bello, in ſplendidiſſimum quemque captiuum ſæuijt: vni ſuppliciter ſepulturam petenti, reſpondit, illam in poteſtate vulturum fore. Deinde, patrem & filium pro vita rogantes, ſortiri, vel dimicare iuſſit, vt alterutri concederetur. Poſt bellum Peruſinũ trecentos deditios ad Iulio Cæſari extructam aram vice hoſtiarum mactauit. Tyberius nurum relegauit, tres nepotes ex Germanico natos fame necauit, in præceptores ſæuijt; interdixit ne capite damnatos propinqui lugerent: immaturas puellas (quia nefas erat virgines ſtrangulari) prius iubebat à carnifice violari; damnatas poſt exquiſita tormenta, præcipitari coram ſe in mare præcipiebat, excipiente claſſiariorum manu, & contis atque remis elidente cadauera, ne cui reſidui ſpiritus quicquã ineſſet. Caius, cùm ad ſaginam ferarum pecudes carius compararentur, ex noxijs laniandos adnotauit: multos honeſti ordinis ad metalla, multos ad beſtias condemnauit, multos ſerra medios diſſecuit: parenteſque filiorum ſupplicijs intereſſe cogebat, &c.

Exod. 1. *Matth 2.* *Curt. lib. 6.* *Idem lib. 8.* *Suet. in Aug.* *Idẽ in Tyb.* *Idẽ in Caio.*

De regum Perſicorum ſæuitia furoreq; aliqua ſubijciamus. Cambyſes fratrem ſuum Smerdim, liuore commotus necari curauit; in ſororem, eandemq; vxorem, & prægnantem, calcibus inſilijt, & abortu edito eandẽ neci dedit: præpoſitos, & ſacerdotes vrbis Memphęos vera referentes mulctauit: Prexaſpis filium, pocillatorem ſuum, ſagitta aduerſo transfixit: Perſarum primores nullius momenti de cauſa necauit, viuos in caput defodiens. Cræſum regem ſalutaria monentem

Herod. li. 3.

tem transfodiſſet, ni maturo curſu ſe foras proripuiſſet. Siſamni iudici ob acceptam pecuniam, pellem viuo detraxit, & ſellæ intendit, in qua filium eius iudicaturum conſidere fecit. Darius Sandocem nummarium iudicem, in crucem agi iuſſit, quòd pecunia corruptus male iudicaſſet. *Herod. li. 5* *Vale l. 6. c. 3.* *Herod. li 7.*

Qui Regi Perſico obtemperare detrectabat, ait Strabo, dextra manus cum capite illi abſcindebatur. Heliodorus exemplo Chariclíæ ſignificat apud Perſas etiam noxios innoxioſque aliquando viuos exuſtos fuiſſe. Alijs quandoque cutem ipſam detrahebant, vt Siſamni, de quo ſupra. Item Meſabati, vt Plutarchus in Artaxerxe, teſtatur. Poſtea cuidam Baſilio, vt refert Procopius lib. 1. de bello Perſico: deinde Nachoragi, authore Agathia li. 3. denique Mani ceu Maneti, Manichæorum hæreticorum principi: cuius rei teſtes ſunt Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 7. Theodor. & Socrates in hiſtorijs. Receptum quoq; fuit in Perſarum moribus facinorum conuictos viuentes in terram defodere, vt de Apollonide medico refertur: & Herodotus iſtud vocat, ſupplicium Perſicum. Quoſdam Macedonum more, obruebãt ſaxis, vt eſt apud Curtium: alios interdum & viuos ſecabant medios, vt Cteſias refert: adeoque rectè ſcripſit Ammianus Marcellinus, Perſarum nationem, ſuppliciorum varietates, ſemper exercuiſſe crudam. *Strabo li. 15.* *Lib. 8. hiſt. Aethiop.* *Plutarchus.* *Herod. lib. 3. & 8.* *Curt. lib. 6.* *Cteſ. in Perſ.* *Ammi. li 30.*

Hæc porrò aliquanto copioſius retulimus, tum vt iuſtiſſimã conſternationis ſuæ cauſam habuiſſe Eſtherem doceremus: tum etiam vt ex grauiſsimis & antiquiſſimis hiſtorijs oſtenderemus, quanta in eiuſdem naturæ conſortes barbarie, & pluſquã ferina aut diabolica rabie ac ſæuitia vſi ſint aliquando Tyranni, ne iſtos crabrones leuiter imprudenterque irritemus. Ad hiſtoriam reuertimur.

Attende etiam ex hoc hiſtoriæ loco, quantã ſit omnium eorum qui in aulis Regum verſantur, inconſtantia & miſeria. Quis enim ex cũctis aulicis ſuauius & minori cum periculo Regum delitijs perfui debere videtur, quã Regina ipſa, Regi marito chariſſima, tot prouinciarum imperatrix? Vides tamen (ô rerum huma-

mana-

manarum inſignem mutationẽ,)in publica cæterorũ lætitia, lugentem:cæteris in vtramque aurem dormientibus, inſomnes in orationibus & vigilijs ducere noctes:præ timore & mœrore deficientem,prope exanimem corruere. Et quod maius eſt, Rex etiam ipſe, ad cuius conſpectum omnes trepidabant, timens dilectæ coniugi, contriſtatur, de ſolio deſilit, mulierculæ blanditur, & cum tota aula conturbatur. Addit Ioſephus Gorionis: Rex vehementer conturbatus, coram Eſthere regina lacrymauit: ideoque omnes Regis miniſtri precabantur Reginam, vt loqueretur Regi domino ſuo, quem videbant ſatis anxiũ eſſe, &c. Ergo ſuos quiſque patitur manes, & vt Chriſtianè loquar, ſuas etiam Aulici perferunt cruces, eaſq; grauiores, quo à ſuis delitijs & voluptatibus, quas ſibi repromittunt,
Geneſ.41. longius abeſſe ſentiunt. Pharao rex Aegypti nunc viſis nocturnis terretur, mox in pincernam & piſtorem ſuum iraſcitur, & hunc læſę maieſtatis reum, è medio
Dan 3 6.14. conuiuio ad ſupplicium rapit. Daniel in aula Chaldęorum mox ſummis honoribus colitur, continuò leo-
Geneſ.16. nibus diſcerpendus traditur. Nec tutior fuit conditio Abrahæ in domo Abimelechi, Ananię & Miſaelis in
Geneſ 40 aula Nabuchodonoſoris, Ioſephi in ædibus Putipha-
Marc.6. ris, Dauidis cum Saule, Ioannis cum Herode: quando quidem in his varijs machinis ſunt pulſati, & periculis expoſiti. Nemo igitur aulicam vitam appetat, nemo ea delectetur, qui paci & ſaluti ſuæ bene conſultum eſſe volet.

Sed vnde tam repentina tamq; mirabilis rerum cõmutatio, vt Rex omni furore terroreque compreſſo, Eſtherem tam ſubito amore complecteretur, ſuſtentaret, cõſolaretur, ac etiam eidem collacrymaret? Alius dicet, muliebris formæ excellentia, ornatuque ſumptuoſiore illum repentè captum. Forma enim modici temporis tyrãnus eſt; immaneq; quantum Principes externis his ornamentis delectentur. At Vaſthis oppidò pulcra, delicata, & ornata fuit: quæ tamen leuiore de cauſa repudiata eſt. Fuit ergo mutatio dexteræ excelſi, cuius ratio non in ornatu aut forma Eſtheris eſt collocanda: ſed in Dei miſericordia, bonitate, &

gratia

gratia, qua mentem huius barbari cicurauit, emolliit & in omnem beneuolentiã & dilectionẽ erga famulam ſuã conuertit. Id eſt, ferociſſimum cor leonis illicò in manſuetudinẽ permutauit, vt ouiculam ſuã ſeruaret, lege mortis eximeret, vniuerſa quæ vellet polliceretur. Rectè ergo ſanctèq; ſcribitur à Salomone: *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.* Nam vt olitor ſuis canalibus findit, & in quam vult partẽ aquas per hortum dirigit, ſic Deus corda Regum quo vult facilè impellit. Et idem rurſum. *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoq; eius conuertet ad pacẽ.* Et Pſaltes, de captiuis in Babylone, *Dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium eorum qui ceperant eos* Et ne de veritate promiſſorum quis ambigeret, multis exemplis ea confirmauit, quando corda Laban & Eſau conuertit in Iacob: Nabuchodonoſoris in tres pueros; Darij in Danielẽ, Salmanaſaris in Tobiam, Cyri in populum Iſraelis, Alexandri in Iaddum ſacerdotem, Pauli perſecutoris ad aſſertionem ei⁹ quod prius expugnabat. Ita poteſt auferre cor lapideum, & dare carneum, id eſt, molle & tractabile: atque de lapidibus facere filios Abrahæ. Gainæ ferociſſimi tyranni minas furoreſq; idem Dominus coram Chryſoſtomo ſic facilè coercuit, vt longo itinere occurreret ipſi in legationẽ miſſo, manus ſuis oculis applicaret, & liberos ſuos beati Epiſcopi genibus benedicendos admoueret. Attilæ, qui flagelli Dei cognomine gloriabatur, crudelem & barbarũ animũ non ſemel ad verba Leonis papę, & Lupi Trecenſ. liquefecit & mitigauit. Ecquid mirum, quando etiam efferatiſſimas belluas in gratiã ſeruorum ſuorũ non ſemel manſuefecerit? Vide hiſtorias Danielis, tertij libri Machabęorũ, & Euſebij. Nunq̃ igitur diffidendum de illius potentia & virtute: nulla pericula pro eius cultu ac religione detrectanda: quandoquidẽ poteſt hoſtes noſtros aut conuertere, aut conterere ſub pedibus noſtris, etiam ſi cunctis belluis eſſent ferociores.

Prouerb. 21. *Prouerb. 16.* *Pſalm. 105.* *Ioſeph. 11. ant. cap. 8.* *Acto 8. & 9.* *Ezech. 36.* *Luca 3.* *Theodor. li. 5 hiſt. ca. 32. & 33.* *Sigeb.*

Debent etiam Aſſueri regis exemplo, & mariti, vxores ſuas afflictas conſolari ac erigere: & principes, magiſtratusque, ſubditis ſuæ poteſtati populis oppreſ-

oppreſſis humaniter ſubuenire. Illis enim Paulus præcipit, vt diligant vxores ſuas, ſicut Chriſtus Eccleſiam. Iterumque ait: *Viri diligite vxores veſtras, & nolite eſſe amari ad illas*. Petrus quoque ſcribit: *Viri coniugibus cohabitent ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ: vt non impediantur orationes veſtræ*. Sunt enim plurima, in quibus ille ſexus infirmior indiget viri, id eſt, robuſtioris confirmatione & conſolatione. Magiſtratui verò à Deo præcipitur, vt ſit nutricius Eccleſiæ, nimirum, vt inſtar nutricis, infirmos foueat, debiles erigat, oppreſſos liberet, omnes pro viribus in honeſtam libertatem aſſerat & conſeruet Ita iubentur ſeruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore. Ait enim ad Dauid: Tu paſces populum meum Iſrael: quod equidem nõ minus fortiter quàm fideliter præſtitit, dum ſuos à Philiſtæorum & reliquorũ hoſtium, cum quibus continuò pugnandum fuit, incurſione liberauit.

Epheſ. 6. *Coloſſ. 3.* *1. Petr. 3.* *Iſaiæ 49.* *Pſalm. 2.* *2. Reg. 7.*

Eſther denique magna demiſſione animi *oſculans ſummitatem virgæ regiæ*, exemplo ſuo docuit legitimos magiſtratus timendos & honorãdos eſſe, vtpote, qui in terris nomine authoritateque diuina cęteris hominibus præſint, & ipſam Dei nobis in terris referant imaginem, quin & venerando Dei nomine nuncupentur. Ait enim in Lege: *Dijs* (id eſt, iudicibus) *non detrahes, & principi populi tui non maledices*. Et Pſaltes: *Deus ſtetit in ſynagoga deorum*, id eſt, iudicum congregatione, tanquam primarius iudex, contemplans eorum actiones, & qualiter eius vice alijs ius dicant; rationem ab eis diſtrictè aliquando requiſiturus. Ea ratione beata Ruth cecidit prona ante Booz ſupremum iudicem Iſraelis, Nathan propheta & Bethſabee proni Dauidem regem ciuili adoratione coluerunt, &c.

Exod. 22. *Pſalm. 81.* *Ruth. 2.* *3. Reg. 1.*

3. Dixitq;

3. *Dixitqúe ad eam Rex. Quid vis Eſther regina? Etiam ſi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

4. *At illa reſpondit: Si Regi placet, obſecro vt venias ad me hodie, & Haman tecum ad conuiuium, quod paraui.*

5. *Statimq́ Rex: Vocate, inquit, citò Haman, vt Eſther obediat voluntati. Venerunt itaq́ Rex & Haman ad conuiuium, quod eis Regina parauerat.*

DESCRIPTA profectione Eſtheris in aulam Perſicam, nunc refertur quid primo loco à Rege poſtulauerit. Vide autem beatæ huius feminę prudentiam. Non ſtatim reuelat affectũ animi ſui: ſed quærit opportunam occaſionem in conuiuio, cùm Rex alacer fuerit & lætus. Nouerat quippe illum conuiuijs, delicatis cibis, & blanditijs muliebribus facilè capi & expugnari: rurſum, Hamanis compotationibus plurimùm delectari; idcirco vtrunq; inuitat ad conuiuium, vt & animum Regis ſibi conciliet ac deuinciat, Hamanem verò magis ingenuè coarguat & damnet Ergo interrogata quid vellet: Hodiernus, inquit, dies, mihi perpetuò inſignis & memorabilis erit, ſi Regia maieſtas non dedignetur venire cum Hamane ad conuiuium, quod ei paraui. Nequaquam igitur ô Rex, theſaurorum tuorũ partem pro me exhauriri, nec regnum tuum ex parte imminui optem: ſola quam dixi, humanitate & beneuolentia nunc mihi ſatis ſuperq́ue factum exiſtimabo.

Huius autem mulieris exemplo diſce, in cunctis, pręſertim grauioris momenti, negotijs, vti ea prudentiæ ſpecie, quam Philoſophi vocant, Rectam rationẽ rerum agendarum, expetendarum, vel fugiendarum; idq; cum magno delectu circunſtantiarum temporis, loci, perſonarum, atq; finis. Ab hac virtute Dauid laudatur, quòd in domo Saulis, & belli paciſq; tempore *in cunctis prudenter ſeipſum gerebat*: id eſt, magna ſagaci- *Ariſtot. 6. Ethic.* *1. Reg. 18.*

tate & proſperitate omnia negotia ſua conficiebat. De
3. Reg. 4. Salomone quoq; ſcriptura teſtatur: *Dedit Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis*: nimirum tam ciuilem, quæ ad ampliſſimi regni adminiſtrationem ſpectabat; quàm domeſticam & œconomicàm, qua in rebus domus ſuæ feliciter verſaretur. Chriſtus vult
Matth 10. ſuos eſſe *prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Serpentes autem (ait Auguſtinus) vniuerſum corpus vulnerandum & lacerandum obijciunt, vt caput ſeruent incolume. Ita & nos rerum omnium iacturã, potiuſquam fidei & religionis facere oportet. Seruum
Matth. 24. ſalutis ſuæ ac bonorum operum ſtudioſum, appellat
& 25. fidelem & prudentem: virgineſq; lampadibus paratis
1. Tim. 3. ſponſo pergentes obuiàm, prudẽtes. Paulus optat E-
Tit. 2, piſcopum eſſe ſobrium, prudentem, ornatum: Senes etiam ſobrios, pudicos, prudentes, ſanos in fide: Anus ſimiliter vt prudentiam doceant adoleſcentulas. &c.

Ex his autem verbis Regis, *Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis*, obſerua queſo, pręcipitem, temerariam, & imprudentem (commune Regibus vitium) ſine conſilio promiſſionem, quæ etiam tertiò in hac hiſtoria repetitur. Senſus ergo eſt: Tam liberalem Regem, tam magnificum thori conſortem, tamq́ue tui amantem coniugem habes, vt nihil tibi ſit denegaturus, etiam ſi dimidiam latiſſimi imperij partẽ
Matth. 14. poſtulaueris. Tantundem promittebat Herodes im-
Marc. 6. puræ ſaltatrici. Adeo nimij ac prodigi ſunt Principes circa mulieres, nebulones, ganeones, adulatores, proditores, & id genus: circa pauperes verò & afflictos parciſſimi & ſordidiſſimi. Genimina Iudæorum, qui
Exod. 32. ad conflandum vituli execrabile idolũ, etiam filiorũ, filiarum, & vxorũ ſuarum ornamentis aureis non pepercerunt: ad conſtruendum diuinum tabernaculum vix pelles caprarum præbuerunt. Horum ſimiliter po
Matth. 27. ſteris præſto fuit pecunia multa ad ineſcandum Pro-
& 28. ditorem, comparandaq; mendacia militũ excubitorũ ſepulcri, aduerſus verã manifeſtamq; Chriſti reſurrectionem: egenorum verò omnem curam abiecerant.

Inſuper oſtendit hic locus conuiuia, modò ſint moderata, & ad conciliandos, vel in officio retinendos

animos,

animos, aut etiam tempore publicę lætitiæ honeſtè inſtituta, magis eſſe in ſacris commendata quàm reprehenſa: quandoquidem ſanctiſſimi Patriarchæ eadem frequenter cum laude amicis ac peregrinis inſtruxiſſe & paraſſe legantur. Melchiſedec Abraham redeuntem è bello victorem, peracto Euchariſtico ſacrificio, lauto excepit cōuiuio. Idem angelis tanquam peregrinis menſam appoſuit. In ablactatione Iſaac amicos ſuos excepit conuiuio. Ioſeph cum fratribus, filij Iob cum ſororibus, Raguel & Tobias in liberorum ſuorū nuptijs, etiam aſſidente Angelo Raphaele, aliquandiu ſunt epulati. Chriſtus deniq; perfectum ſobrietatis & moderationis exemplar, nuptijs, atq; Matthęi, Zachęi, Simonis, Marthæ, & piorum aliorum conuiuijs inter eſſe non detrectauit. Tertul. priſcorum Chriſtianorū agapas, id eſt, religioſa conuiuia, his verbis deſcribit. Non prius diſcumbitur, quàm oratio prægustetur: editur, quantum eſurientes capiunt: bibitur, quantū pudicis eſt vtile: ita fabulantur, vt qui ſciant Deum audire. Oratio conuiuium dirimit. Chryſoſt. ex conuiuijs cupit procul ablegari luxum, ebrietates, ſaltationes, obſcœna verba, contemptum pauperum. Auguſtinus addit detractiones. Refert enim Poſſidonius menſæ ac vitæ illius particeps, hos verſus menſæ eius fuiſſe ſuperſcriptos.

Geneſ. 14. Gen. 18. Geneſ. 21. Tertul. Apolog. cap. 39. Li. de vita Augu. ca. 22.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Verùm, cur Regina fœmina, ſi quæ alia, pietatis ſtudioſiſſima, Hamanem hominem planè barbarum, truculentum, gentis ſuæ hoſtem, ac impijſſimum, ſemel & iterum in domum menſamque accerſit? Primò, inquit R. Salomon, vt ea ſingularis honoris & fauoris ſpecie, illū alijs principibus & aulicis magis inuiſum reddat; indeq; ruinam illius potius adiuuent, quam impediant. Nouerat ſagax fęmina, inuidiam in aulis præſertim regnare: aulicorū igitur morbo in rē ſuā, imò totius Eccleſiæ vtitur. Moſes, Dauid, Daniel, inuidorū aulicorū telis frequenter ſunt petiti. Adeò veriſſimū eſt illud Poëtę: Fraus ſublimi regnat in aula.

Et licet, inquit Lyranus, in hoc forſitan non bene fecerit, tamen commendatur de facti intentione: quia faciebat hoc ad deiectionem ſuperbi, & liberationem innocentis populi. Sicut & Iudith de mendacijs quæ dixit Holoferni, non commendatur: ſed de intentione liberationis populi ſui.

Secundò, potuit & iſtud eximia charitate & humanitate facere, nimirum, vt ferocem ac ſuperbum animum eius ſua patientia & beneuolentia mitigaret atque molliret: quandoquidem feræ crudeliſſimæ beneficijs nõnunquam cicurantur & manſueſcunt. Sic ante Euangelium, illud adimplet euangelicum: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus &c. vt ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum* &c. Item & hoc Apoſtolicum præceptum: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*. Id eſt, aut talibus officijs humanitatis emollietur: aut certè aduretur æſtuabitque teſtimonio conſcientiæ benignitate noſtra obrutæ. Sic quondam & Ioſeph fratrum ſuorum inuidentiam, & Dauid Saulis malitiam, ſummis obſequijs & beneficijs ſtuduerunt lenire atq; placare. Chriſtus quoq; omni beneuolẽtia conatus eſt crudelem ingratumque proditorem à concepto immani ſcelere auertere. Ita ergo diſciplina iubemur (ſcribit Tertullianus) diligere inimicos, & orare pro eis qui nos perſequuntur: vt hæc ſit perfecta & propria bonitas noſtra, non communis. Amicos enim diligere omnium eſt: inimicos autem ſolorum Chriſtianorum.

Matth.5. *Rom.12.* *Tertul li. ad Scapulam.*

Tertiò, vt vel in malo peruicacem & induratum, non clam, ſed præſentem apud Regem accuſaret. Nã ſi abſentem in iudicium capitis arceſſiſſet, potuiſſet Aſſuerus ſuſpicari eam erga Hamanem aliàs eſſe malè affectam. Quod ſi illum accerſi iuſſiſſet, vel conſcius ſe in pedes conieciſſet, vel ad nouas artes ſe conuertiſſet. Tam enim vafris iſtiuſmodi hominibus aſtus & thecnæ deſunt, quàm vulpibus annoſis. Ab hac porrò Eſtheris virtute longiſſimè abſunt ſycophãtæ & calumniatores, ſoliti homines clam accuſare,

ne accuſato relinquatur expurgationis & defenſionis locus: quod planè Satanicum eſt. Nam & Satan habet nomen διαβόλου, hoc eſt, calumniatoris, quòd *Iob. 1.* pios calumnietur in conſpectu Dei die ac nocte. Hinc *Apoc. 12.* Hieronymus: Serpens & detractor æquales ſunt; quo *Com. in 10. c.* modo enim ille mordens venenum infert, ſic & iſte. *Eccleſ.* Et Sixtus tertius optimo iure decreuit, Vt qui alteri *2. q. 8. can.* crimen obiecerit, ſcribat ſe probaturum: & qui non *qui crimen.* probauerit, ſimilem pœnam ſuſtineat Et Damaſus: *2. q. 3. ca. Ca-* Calumniator, ſi in accuſatione defecerit, talionem *lumniator: c.* recipiat. Qui non probauerit quod obiecerit, pœnam *qui non: ca.* quam ipſe intulerit, patiatur. Si quis Epiſcopum, aut *ſi quis.* Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus impetierit vel accuſauerit, & probare non poterit, nec in fine dandam ei communionem cenſemus. Calixtus autem conſtituit, vt accuſatorum perſonæ nunquam *2. q. 8. c. accu-* recipiantur ſine ſcripto: nec abſente eo quem accuſa- *ſatorum: ca.* re voluerint. Eutychianus ſimiliter, Quiſquis ille *quiſquis, ca.* eſt, inquit, qui crimen intendit, in iudicium veniat, *per ſcripta.* nomen rei indicet, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem patiatur, nec impunitam ſibi nouerit licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij. Denique Stephanus ſanciuit, vt per ſcripta nullius accuſatio ſuſcipiatur: ſed propria voce, præſente eo quem accuſare deſiderat. Quia nullus abſens accuſare poteſt, nec ab aliquo accuſari, &c. His legibus delatorum, obtrectatorum, & calumniatorum diabolicam impudentiam & malitiam pij Pontifices omnino coercere ſtuduerunt.

6. *Dixitq́ue ei Rex, poſtquam vinum biberat abundanter: Quid petis vt detur tibi? et pro qua re poſtulas? Etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.*

7. *Cui reſpondit Eſther: Petitio mea, & preces meæ ſunt iſtæ:*

8. *Si inueni in conſpectu Regis gratiam, & ſi Regi placet, vt det mihi quod poſtulo, & meam im-*

pleat petitionem: veniat Rex & Haman ad conuiuium quod parau i eis, & cras aperiam Regi voluntatem meam.

HAbes hic in primis Regem egregium potatorẽ & bibacem, quiq; inter pocula mero incaleſcẽs, illa facilè promittit, & admittit, quę forſan non feciſſet ſobrius. Hæc intemperies, & ſi omnibus turpis & periculoſa ſit, Regibus tamen Pontificibus & Magiſtratibus turpiſſima & periculoſiſſima eſt: quandoquidem Dei viuentis loco rebus hominum tã ſacris quàm profanis præſunt, quas non niſi magno conſilio & prudentia tractari oportet. Idcirco Sacerdotibus diuino cultui occupatis vſum vini omnino prohibet Dominus, dicens per Moyſen ad principem eorum Aaronem: *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculũ teſtimonij, ne moriamini. Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatiſq; filios Iſrael omnia legitima mea.* Nemo enim vino mẽte emotus, his ſacris pro dignitate operari poteſt. De Regibus autem ſcribitur: *Noli Regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt vbi regnat ebrietas. Ne fortè bibãt, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.* Duplici ergo incommodo deterret Reges ab immoderato vſu vini, priore, quòd negotia regnorũ, quæ ſecreta eſſe oportet, ab intemperantibus euulgentur: poſteriore, quòd vino ſepulti malè pronuncient in cauſa pauperum, pro quibus tamen ex officio debent eſſe ſoliciti. Vnde Eccleſiaſtes dicit. *Væ terræ cuius principes manè comedunt.* Et Propheta. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.* Hoc vidit etiam Plato, quando Carthaginenſes commendauit, quòd Magiſtratibus ſuis vſum vini lege interdixiſſent.

Leuit. 10.

Prouerb. 31.

Eccle. 10.

Oſe. 4.

Plat. lib. 2. de legibus.

Sed quid? Decet ne prudentes vxores Eſtheris exemplo, maritos ſuos egregiè potos de rebus ſerijs conuenire? Nequaquam id conſuluerim. Plurima enim facta veterũ miranda ſunt, non imitanda. Ergo ſi quid à maritis impetrare velint, cum illis non agant quando vel ebrios, vel ira accenſos, vel de mentis ſtatu de-

iectos viderint:ſed commonitiones eo vſq; differant, quò eos crapulam edormiuiſſe, iramq; poſuiſſe intellexerint. Imitentur Abigailis prudentiam, quę Nabali marito ebrio nihil rerumquæ contigerant, indicauit; ſed poſtridie cùm vinum digeſſiſſet. Ebrij enim nihil rectè vident, ſed omnia peruersè iudicant, adeo vt quæ ſimplicia ſunt, dupla eis videantur; & recta, incurua: bona, mala: alba, rubra frequentius exiſtiment. Perpendant autem in Eſtheris exemplo veram & legitimam rationem, qua poſſint non iniuſtam dominationem in maritos ſuos conſequi. Idē enim Rex Aſſuerus, qui Vaſthis reginæ faſtum ac imperium tam acerbè tulerat, nunc Eſtheri tātam dominationē in ſe permittit, vt quaſi captiuus eius, promittat ei dimidiā partem regni ſui. Qua verò arte hoc à tanto Rege extorſit? Non conuitijs, non faſtu, non rixis, non contētione, non improbitate. His enim moribus mulieres magis pugnos & plagas, quàm imperia & dominationes reportare ſolent. Sed conſequuta eſt ſua in Deum pietate, erga virum reuerentia, pudicitia, patientia, & alijs virtutibus. Sicq; mulieres ſeruiendo & obediendo dominantur, qua vna ratione dominatio mulierum fit legitima. De qua & Petrus ſcribit: *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtram.*

1. Reg. 25.

1. Petr. 3.

Perſpicis etiam planè mirabilem, & in ſexu præſertim muliebri, raram patientiam, longanimitatem, & compotem animi virtutem, qua differre poteſt inæſtimabile deſideriū, tam certè impetrandum? Intelligit enim Regem ſeriò gratificaturū ſibi, qui iam ſecundò nihil ſe negaturum promiſerat. Tamen non ſtatim vrget negotium, ſed in ſequentem diem differt, vt & noctu precibus à Deo obtineat, quid dicendum, quomodoq; inſtitutum aggrediendum: & certius conſiſterent impetrata, quæ non circa pocula vinoſus cōceſſiſſet veſperi, ſed quæ manè. In primo hoc cōuiuio rem non aperuit, adijcit Rupertus, dimiſitq; hoſtem morti deſtinatum mala ſecuritate perſrui, & de magnitudine diuitiarum gloriari. Illum vtiq; malè ſecu-

Lib. 8. de victoria verbi, cap. 18.

rum,Regem autem magis beneuolum, magiſq; fecit attentum. *Dixit enim,ſi inueni gratiam in conſpectu Regis, & ſi Regi placet, &c.* Feram immanem, vrſum ferocem, vt tradat ad ſupplicium, allicit ad edulium, ne prius audiat famam,quàm ſubeat pœnam:ne prius videat foueam,quàm incidat in eam: prudens & ſciens commodius eſſe feram comprehenſam intus opprimi,quàm exterritam & per ſaltus fugientem cum canibus dubio euentu perſequi. Hæc planè non ſolùm eximiæ prudentiæ Eſtheris;verùm,multo magis diuinæ prouidentiæ,quæ Reginæ direxit prudentiam,accepto ferenda ſunt.Hactenus ille.

Quæritur autem, An non Eſther hoſpitalia iura violauerit, ſemel & iterum accerſendo Hamanem in domum & menſam ſuam, vt eum proderet & coargueret?Reſpondeo.Ille hoſtis cruentus & apertus erat totius Eccleſiæ ac populi diuini: crudelia edicta ab eo impetrata,vt deleretur totum ſemen Abrahę,ex quo Prophetæ,denique Chriſtus orbis Seruator & iudex venturus erat,vndique pendebant; vbique parati carnifices ſanctorum inhiabant ſanguini. Itaq; vt hoſtem non tantùm Iſraelis, ſed & ipſius Dei manifeſtum & certum, iure potuit eum Eſther circumuenire,imparatum accuſare,& omni qua valuit prudentia & arte à legitimo magiſtratu ad necem poſtulare. Accedit,quòd res non tam humana prudentia, quàm diuina prouidentia gerebatur, qua comprehenduntur aſtuti in aſtutia ſua,& cadunt impij in foueā, quam pijs Dei ſeruis fecerunt. Sic & Iudith hoſtem *Iudith.10.11. 12,13.& 16.* manifeſtum reipublicæ ac pietatis ſuæ Holofernem, magno artificio fefellit,& neci non ſine laude, & totius populi diuini commodo, propria manu tradidit: quod diuinæ manui fert acceptum in Cantico ſuo dicens. *Dominus omnipotens tradidit eum in manu fœminæ, &* *Iudic.4.et 5.* *confodit eum.* Iahel quoque fortiſſima virago Siſaram patriæ ac Religionis manifeſtum hoſtem induxit,decepit,deſtituit,& clauo tabernaculi in tempora fortiter infixo morti tradidit: indeque commendatur à Spiritu Sancto his Cantici verbis: *Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinei, & benedicatur in tabernaculo ſuo.*

lo ſuo. Dolus enim ac inſidiæ,(modò fides, ſi data eſt, non violetur) contra hoſtes apertos non prohibentur, cùm ſint inſtar armorum, quibus omni iure aduerſus illos inſurgere, eoſdemque opprimere liceat, vti ex Abrahami, Ioſue, Dauidis, & Iudæ Machabæi præclaris geſtis comprobatur. Tunc enim verum efficitur quod Poëta ſcribit. Dolus an virtus quis in hoſte requirat? Nullæ verò ſunt occultiores inſidiæ, vt ex Tullio docet Auguſtinus, quàm hæ quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine Itaq; non peccati aut mali doli eſt inſimulanda Beata Eſther, ſed potius cōmendanda; quæ ſecreto diuino conſilio, ſuaq; ſagacitate, tam immanem & ſæuū hoſtē ſuum, populi ſui, Deiq; ſuſtulerit de medio. *Lib.19.de ciuit.cap.5.*

Cæterùm, perfidia, grauiſſimoque ſcelere non vacabit, qui fide communi data, domo menſaque exceptum, aliove malo dolo, hominem inopinatò trucidauerit, ſicut Abſalom fratrem ſuum Amnonē, Iſmael Godoliam, Ptolomæus Abobi filius Simonem Machabæum cum filijs ſceleſta proditione incautos interfecerunt. Ait enim Auguſtinus: Fides, quando promittitur, etiam hoſti ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur. Et Ambroſius, multis laudatis infert: Liquet igitur, etiam in bello, fidem & iuſtitiam ſeruari oportere: nec vllum decorum eſſe poſſe, ſi violetur fides. Ergo multo ſyncerius & firmius ſeruanda eſt, quando placidè amiceque promiſſa eſt. *Aug. epiſt. 205.* *Amb.1. offic. cap.29.*

9. *Egreſſus eſt itaque illo die Haman lætus & alacer. Cumq; vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & non ſolùm non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſeßionis ſuæ, indignatus eſt valde.*

10. *Et dißimulata ira, reuerſus in domum ſuam, conuocauit ad ſe amicos ſuos, et Zares vxorem ſuā.*

11. *Et expoſuit illis magnitudinem diuitiarum ſuarum, filiorumq; turbā, & quanta eū gloria ſuper omnes principes & ſeruos ſuos Rex eleuaſſet.*

12. *Et poſt hæc ait. Regina quoq; Eſther nullum alium vocauit ad conuiuiũ cum Rege, præter me: apud quam etiam cras cũ Rege pranſurus ſum.*

13. *Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.*

TErtia iſta parte capituli Haman plenis buccis efflat ſuas opes & glorias, quibus vnus obſiſtit, ſeruus Dei Mardochæus. Non ſolùm ergo eo nomine mirè ſibi placet, quòd apud Regem in magno ſit numero ac pretio: ſed & quod à Regina præ omnibus alijs regni proceribus, vocatus eſſet ad epulas, vtriuſq; intereſſet priuatis & familiaribus colloquijs, vtriuſq; aurem animumq; poſſideret. Ecquis, aiebat, vnquam me felicior, beatior, glorioſior? Nullus hominũ, nullus Angelorum, imò nec Deus ipſe, ſiquis tamen, vt putant, regnet in cęlis. Omnia ſiquidem mihi pro votis ſuccedunt, omnia rident, &c. vnius tantũ Mardochæi mihi non aſſurgentis contemptus, omni ſupplicio grauius animum meũ conficit ac excruciat.

Ex his autem primùm aduerte extremam dementiam, cæcitatemq; huiuſmodi Thraſonum, & impiorum huius ſeculi filiorum. Non vident, excęcati philautia & malitia propria, ſe tum in maioribus verſari periculis & caſibus, cùm ſe magis ſecuros putant: nec mortem ac iudicium Dei capitibus ſuis propius imminere, quàm cùm de his minus recogitant. Hic putat conuiuium Eſtheris ſibi glorioſum, quod tamen decipula eſt, qua non multo poſt capietur. Exiſtimat Reginam ſibi bene velle, quæ tamen parat illi accuſationem grauiſſimam, & horrendum exitium. *Tenent* *Iob.21.* *tympanum & citharam, gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in punctò ad inferna deſcendunt.* Balthaſar cum aulicis epulatur, luxuriatur, & prophanatis ſa- *Dan.5.* cris vaſis, velut de Deo Hebræorum à ſe victo triumphat: ſed mox manus in pariete ſcribentis forma incredibili terrore cõtremiſcit, malaq; morte ad tartara rapitur. Holofernes multis victorijs & ſpolijs clarus, *Iudith. 2. & 13.* dum vino veneriq; indulget, viuere deſinit. In diebus Noe, edebãt, bibebãt, vxores ducebant; venit diluuiũ,

& perdidit omnes. Similiter factum eſt in diebus Lot, *Gen. 7. & 19.*
edebant & bibebant, emebant & vendebant, planta- *Luc. 17.*
bant & ædificabant, & pluit ignẽ & ſulphur de cælo.
Et cùm occiſis Dei præconibus & ſeruis Antichriſtus
ac ſatellites eius dixerint, *pax & ſecuritas, tunc repentinus* *1. Theſſ. 5.*
eis ſuperueniet interitus. Alexander orbis domitor & vi-
ctor, Babylone voluptatibus indulgẽs, veneno repen-
te tollitur. Cæſar arrepto multo ſanguine imperio, in
ſenatu confoditur, &c. Hæc ſors impiorum, hoc Dei
omnipotentis aduerſus illos iudicium. Ecquid ergo
æmulamur in malignantibus, aut zelamus facientes
iniquitatẽ? Quin cogitamus, quod *tanquam fœnum vele-* *Pſalm. 36.*
citer areſcent, & tanquam olera herbarum citò decident? An
non præſtat cum Lazaro ad tempus mendicare, vlce- *Luc. 16.*
ribus repleri, fame etiamnum tabeſcere, vt tandẽ ab
angelis in locũ perpetuæ conſolationis perducamur:
quàm cum Epulone aliquandiu epulari ſplendidè, in-
dui purpura & byſſo, vt in æternũ cruciaris in flãma?

Aduerte deinde, ſingularis planeq; diuinæ conſtan
tiæ exemplum in Mardochæo. Tametſi enim præce-
ptum eſſet à Rege, vt omnes Hamanem adorarent, ſa-
tisq; intelligeretur, ſi eum inhonoratũ prętermitteret
Mardochæus, quod aduerſus eũ fremeret, vniuerſæq;
genti Iudæorum extremum exitium pararet: contra
verò, illud forſitan ſperandũ fuerit, ſi ei aſſurrexiſſet,
exulceratũm aulici animum mitigatum iri, ad quod
officiũ cùm eſſet exul & captiuus, teneri videbatur: de-
niq; Perſę omnes indigenę illũ demiſsè venerabãtur:
nihilominus nec illi aſſurgere, nec tantillum de loco
ſeſſionis ſuæ propter eum mouere ſe dignatur. O con
ſtantiam! O inuictum & inſuperabilẽ animum! Secũ
enim recogitat. Paruum ac leue quidem ab alijs puta-
tur, quod Haman à me poſtulat, nimirũ externã aſſur
rectionem, genu flexionem, aut capitis inclinationẽ:
ſed maximum ego credo eſſe, quod Deus omnipotẽs *Exod. 22.*
prohibuit honorem ſibi vni debitũ in hominẽ impu- *Deu. 6. et 10.*
rum transferre. Hamã inſuper Amalechites eſt: gentẽ *Iſa. 42.*
porrò Amalechiten Deus execratus eſt, iuſſitq; nobis *Exod. 17.*
execrationi eam habere. Hamanẽ ergo nunquam ve- *Deut. 25.*
nerabor, nunquã vel minimo colã obſequiolo. Rur- *1. Reg. 15.*
ſum: Idolũ quod de collo ſuo appenſum geſtat, adorabo?

Legem Moſis, fidemq; Patriarcharum, pietatem veterum, Religionem maiorum meorum, in vnius homunculi gratiam deferens abnegabo? Certè pericula imminentia impietate accerſuntur, non propulſantur. Impij cùm palpantur & obſeruantur, exiſtimant ſtudia ſua nobis placere, indeque magis ferociunt & inſaniunt Sic in ſummo periculo non nutat, non deficit corde, ſed immotus perſeuerat. Quis hanc conſtantiam, firmitatemque animi ſatis commendaret?

Cæterùm, non eſt dubitandum hoc exemplum à Spiritu Sancto hîc omnibus pijs ad imitandum propoſitum fuiſſe: quatenus à vera pietate, diuinaque religione ſemel agnita & ſuſcepta nunquam vel latum vnguem diſcedamus; & ſi pro eius profeſſione omnia huius mundi odia ſubeunda, poſtremaque vitæ pericula immineant. Quia hoc omni conſtantia ſeruauerunt Sancti, tot prodierunt omnis ætatis, ordinis, & ſexus martyres. Tres pueri maluèrunt conijci in horribilem fornacem, quàm cum diuini cultus iniùria, ſtatuam auream adorare. Daniel pabulum fieri leonum, quàm ſtatis horis verum Deum palam non inuocare. Septem fratres omnibus tormentis excarnificari, quàm contra paternas leges ſuillis veſci carnibus. Et Chriſtus ad hanc animi firmitatem omnes hortatur eximia promiſſione, & à defectione commi natione graui deterret dicens. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eũ coram Patre meo, qui in cælis eſt. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* Et Spiritus Sanctus ad Aſianum Epiſcopum: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Dan.3 & 6. *2.Mach.7.* *Heb.11.* *Matth.10.* *Luce 12.* *Apoc. 3.*

Abundat primum Eccleſiæ tempus memorabilibus & nobiliſſimis huius conſtantiæ & grauitatis exemplis, quæ ex ſuperioribus diligenter & grauiter collegerunt Euſebius & Nicephorus. Iacobus frater Ioannis conſtanter & liberè pergens ad martyrium, Phariſæum delatorem ſuum ad Chriſtum conuertit, & ſecum ad mortem fortiter tolerandam perduxit. Simeon Cleophæ filius, & Domini conſobrinus,

Euſeb.lib.2. hiſt. ca.9.

poſt

poſt multa genera tormentorum ſtrenuè ſuperata, tā-
dem ſupplicio crucis interemptus eſt tanta alacritate,
vt miraretur Præſes virum centum viginti annorum *Euſeb. lib. 3.*
tanto adhuc animi robore munitum eſſe. Polycarpus *cap. 32.*
aduenientibus carnificibus ſuis perrexit obuiā, men- *Euſeb. lib. 4.*
ſamq; appoſuit & miniſtrauit, & cum eis perrexit in *cap. 15.*
theatrum. Proconſuli autem comminanti ſibi beſtia-
rum aut ignis ſupplicium, ni Chriſtum negaret, re-
ſpondit. Adhibe vtrum voles. Germanicus paratam
ſibi beſtiam prouocauit, tardantes increpans pœnas,
& iniquæ huius vitæ velocem expetens diſceſſum.
Tres alij propter nomen Chriſti ad mortem damna *Iuſt. Apol. 1.*
ti, Iudici tantùm dixerunt: Gratias agimus, quòd ne- *Euſeb. lib. 4.*
quiſſimis dominis abſolutos nos ad optimum patrē, *hiſt. cap. 17.*
& regem omnium Deum remittitis. Sanctus canden- *Euſeb lib. 5.*
tes æris & ferri laminas tenerioribus corporis parti- *cap. 1. 2. 3.*
bus aliquoties adhibitas pertulit immobilis. Blandi-
na tenerrima virgo à mane ad veſperam torta, ſemi-
uiua ad ſtipitem in modum crucis demum alligatur,
vt leonum eſca fiat, quæ vultu læto orans, ſibi ſuppli-
ciorumque conſocijs donum conſtantię perſeueran-
tiæq; precatur & obtinet. Ponticus quindecim anno-
rum puer nullis blanditijs, nullisve tormentis potuit
à Chriſtiana pietate reuocari. Origenes adhuc pueru- *Euſeb. lib. 6.*
lus tanto martyrij amore flagrabat, vt ſponte pręſen- *cap. 2.*
tibus ſe periculis ingereret, & vix matris aſtutia re-
tineretur. Apollonia virgo in rogum ſibi accenſum *Euſeb lib. 6.*
ſponte proſilijt: ſicque ad mortem pro Chriſto ſub- *cap. 31.*
eundam promptior erat fœminea iuuentus, quàm
tortor ad pœnam.

In perſecutione Diocletiani ingens Chriſtiano-
rū turba nec interrogari ſe patiebatur, ſed pars vltrò *Euſeb. lib. 8.*
flammis irruebat, pars cædentibus gladijs certatim *cap. 9.*
obijciebat ceruices. Cùm & nos (ait Euſebius) per Ae-
gyptum iter ageremus, vidimus innumeram ſimul
multitudinem damnari. Sponte & alacres tunc om-
nes ad campum ibant, ceruices ferro obiectabant: de-
fecerunt carnificum manus, hebetata eſt acies gladij:
videbam feſſos reſidere carnifices, mutare gladios, a-
nimos reparare, nec diem ſufficere ad pœnam. Nul-

lus ex

lus ex omnibus, nec paruulus quidem infans, deterreri potuit à morte: ſed hoc ſolùm ſinguli paueſcebant, ne fortè dum properum ſol vergens claudat diem, ſeparatus à conſortio martyrum remaneret. Confidentia fidei præſentem mortem velut æternæ vitæ principium rapiebant. Dum priores iugulabantur, reliqui pſallentes locum quiſque martyrij ſui expectabat. Hanc turbam præibat ductor illuſtrior Phileas Epiſcopus: qui cùm à parentibus reuocaretur, reſpondit, parentes & propinquos ſuos eſſe Sanctos Apoſtolos

Euſeb. lib. 8. cap. 11. & Martyres, &c. Duo iuuenes ob Chriſtianã pietatem comprehenſi & interrogati, reſponderũt Ducite nos ad aras, perducti, manus ardentibus flammis ſuperponunt, dicentes. Si eas ſubſtraxerimus, ſacrificaſſe nos credite: & donec omnis caro deflueret, immobiliter perdurauerunt. Hæc quidem ille de priſcorum Chriſtianorum conſtãtia & animi robore in ſupplicijs ac mortibus pro aſſerenda & retinẽdą Chriſti pietate & religione: quæ ſi cum præſentis temporis multorum omnis ordinis apoſtaſia & propudioſa defectione comparentur, apparebit quantum diſtet miſera poſteritas à maiorum ſuorum inſtitutis. Sed quid? Adim-

Matth. 24. plentur (eheu!) hæc Domini noſtri prædictiones: *Veniẽt*

Luc. 18. *pſeudopropheta, & ſeducẽt multos. Cũ venerit filius hominis, putas fidẽ inueniet ſuper terrã? etc.* Ad Hamanẽ redeamus.

Recedens ab aula videt Mardochæum ſibi nec aſſurgere, nec loco moueri, nec minimam honoris aut cultus ſignificationem exhibere. Hinc totus commouetur furore, accẽditur ira, & ferè crepat medius. Quis tu, intra ſe cogitat, qui cũ ſcias Regem ipſum potentiſſimum orbis monarcham, & Reginam præſtantiſſimã fœminarũ me omni honoris genere proſequi; omnes aulæ proceres me ſuſpicere & mirari; ſolus mihi omnẽ obſeruantię ſpeciẽ peruicaciter denegas? Vilis Iudæus, captiuus, exul, ſeruus tantum principẽ non colis? Eũ non times, qui in te tuoſq; omnes poteſtatẽ habet vitæ & necis? Hæc tibi maximo pretio vendã. Tuum contemptũ quãta potero vindicta in caput tuum, vniuerſæq; tuæ gentis exitium breui conuertã.

Vtitur attamen prudentia ſeculi, quando nec ipſe

illum

illum gladio illicò transfuerberat:nec cuiquam ſatelli tum ſuorum mādat,vt irruens in eum egregiè cædat, doceatq; quo honore nobiles ac principes ſint ab ignobilibus afficiendi. Fortè non licebat alicui,alterum quouis prætextu ſine Regis ac magiſtratus ſententia interficere:vel fœdiori ſupplicio illum reſeruans,noluit tunc manus ſuas eius ſanguine maculare. Aut certè,quod verius eſt, Deus occulto iudicio immanitatem tyranni repreſſit, ne quando vim inferret optimo & fideliſſimo ſeruo ſuo,cuius miniſterio ad conſolationem populi ſui captiui adhuc vti decreuerat.

Hinc autem primò videmus,virorum potentum ac principum eſſe,multa prudenter diſſimulare:quæ etiā ipſi viderint & audierint, tanquam nec vidiſſent nec audiuiſſent:eadēq; vel omnino obliuiſci,vel in aliud commodiuſq; tempus referre. Narranti Ioſepho ſomnia quæ futurā eius gloriam præſagiebant,apertè inuidebant & detrahebant fratres: pater autē prudenter diſſimulās tacitus rē conſiderabat. Filijs Belial diuinę inſtitutioni de Saule rege,obtrectantibus,& dicētibus, *Nū ſaluare nos poterit iſte*: Ille,ac ſi ſurdus fuiſſet,in tantū diſſimulauit,vt ei poſtea in memoriā nunquā venerint. Dauid impias & proditorias Ioab vicarij exercitus ſui actiones ad finem vſq; vitæ ſuæ diſſimulauit cum dolore,& Salomoni filio ac ſucceſſori præcepit,vt tandem aliquando vindicaret.

Gen. 37. — *1. Reg. 10.* — *3. Reg. 2.*

Secundò,cernimus Deum ſecreto prouidentiæ ſuę conſilio ita tyrannorum ac violentorum hominum furores impetuſq; compeſcere,vt quod volunt & audent,in ſeruos ſuos perficere nequeant pro libidine ſua:adeo vt mors Sanctorum non ſit in poteſtate hoſtium, ſed duntaxat in manu Dei. *Iuſtorum etenim animæ in manu Dei ſunt.* Ita ſæuientē Pharaonem coercuit, ne Moyſem interimeret;Achabi manus alligauit, ne Eliam interficeret;Saulis tela iacta detorſit,ne Dauidē ſeruū ſuū transfoderet;leonū dētes & vngues retudit, ne Danielem laniatū deuorarent:Herodē repreſſit,ne S.Petrū occideret:Neronē deniq; ſemel impediuit,ne Paulo doctori gentiū man⁹ violētas adferret Aurelius imperator volēs ſubſcribere mādatis de perſecutione

Sap. 3.

Chriſtia-

Euſeb. lib. 7. hiſt. ca. 26. Chriſtianis inferenda, ſtatim mortuus eſt: vt oſtenderet Deus, ait Euſebius, quia non cùm voluerit tyrannus cruciamur, ſed cùm probauerit ipſe corripimur.

Tertiò, docemur iram quidem fortiſſimè reprimere; ſed non eo aſtu, quo commodiorem expetendæ & exercendæ vltionis noſtræ occaſionem inueniamus. Verùm, vt crudeliſſima & vaſtifica fera vel omnino perimatur, vel ſaltem ſtrictis vinculis ſic coerceatur, vt in peccatum lethale, aut proximorum iniuriam nõ progrediatur. Nam fortior eſt qui ſic ſeipſum vicit, quàm qui plurima regna. *Pſal. 4.* Si iraſcimini, nolite peccare. *Epheſ. 4.* *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* *Iacob. 2.* *Ira viri iuſtitiam Dei non operatur.* Sed quid tandem Haman?

Diſſimulata, inquit textus, *ira, reuerſus in domum ſuam, conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam, &c.* Tanquam in re graui amicorum conſiliariorum, ac etiam præcipuæ vxoris ſuæ Zares, habet comitia, in quibus primò glorias ſuas, deinde anguſtias prædicat, poſtea irę ſolatium ab amicis & vxore petit, à quibus iudicio Dei exitiale conſilium ſuſcipit: conſilij euentus cadit ex diuina prouidentia.

Ex his autem in primis, conſpice impudentiſſimi Thraſonis exemplum. Iactat opes, quas ſanè plurimas ex regijs tributis & theſauris iure vel iniuria corraſerat. Liberorum multitudinem, formam, vireſque domeſticas commendat. Decem autem filij eius poſtea recenſentur: certumque eſt inter Hebræos, Perſas, Græcos, Romanoſque pluralitatem liberorum, proletarioſque honori fuiſſe. Commemorat etiam quantis honoribus à Rege auctus, quanto fauore à Regina cohoneſtatus eſſet. Addit verò, quod iure omnes mirari poſſunt, *Hæc omnia* (vtcunque mundus ea ſuſpiciat) *ſe pro nihilo ducere, quandiu Mardochæum Iudæũ ante fores regias ſedentem videret.* Peccat profectò, & grauiſſimè, iſta iactantia: quando nec Deum tot bonorum authorem & largitorem agnoſcit, nec ſine contumelia & ingratiſſimi animi nota, de his eidem gratias agit. *Lib. 23 Moral.* Iſtiuſmodi iactantiam refert Gregorius ad tertiam ſuperbiæ ſpeciem: quam Deus ſummopere deteſtatur, tandemque iuſtis ſupplicijs confundit & deij-

& deijcit. Nabuchodonoſorem de ſuis victorijs, & au- *Daniel. 4.*
cta, locupletata, munitaque Babylone ſua plus æquo
inſoleſcentem, ſubitò ad ritū vitamq; belluarum de-
iecit. Ezechiæ retroceſſionē Solis meritis ſuis tribuen-
ti, & de theſauris corā legatis Babylonicis gloriāri, di-
xit per Prophetā: *Venient dies, in quibus auferentur omnia, &c.* *4. Reg. 20.*
Iactitantem Petrum ſuas vires humanas Chriſtus
repreſſit, dicens: *Antequā gallus bis cantet, ter me negabis.* *Matth. 26.*
Dauid in abundantia proſperitatis, dixit. *Non mouebor* *Pſalm 29.*
in æternum: ſed auerſa facie Domini, illicò factus eſt
conturbatus. *Non glorietur ergo ſapiens in ſapientia ſua, non* *Ierem. 9.*
fortis in fortitudine ſua, non diues in diuitijs: ſed in hoc glorie- *1. Cor. 1.*
tur (ait Dominus) *ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus* *2. Cor. 10.*
qui facio miſericordiā, & iudiciū, & iuſtitiā in terra. Non
in ſuperbiam intumeſcamus, inquit Chryſoſt. ſed di- *Chryſ. hom.*
camus noſipſos inutiles, vt in partē vtilium transfea- *3. in Matth.*
mus. Si n. te laudandum eſſe dixeris, reprobus effectus
es, etiam ſi fueras ante laudabilis. Caueamus de no-
biſmetipſis dicere glorioſa: hoc enim nos & homini-
bus inuiſos, & Deo abominabiles facit. Cēturio, Pau- *Matth. 8.*
lus, Ioannes, indignos ſe dicentes, digni facti ſunt. Sic *1. Cor. 15.*
etiam Petrus dicens, *Exi à me Domine, quia homo peccator* *Matth. 3.*
ſum, factus eſt Eccleſiæ fundamentum. Nihil. n. ſic eſt *Ioan. 1.*
amicum Deo, quā ſi quis ſe minimis annumeret, &c. *Lucæ 5.*

Obſerua interim hunc impium Hamanem nobis
exemplo eſſe, ſceleratiſſimos & perditiſſimos homi-
nes, religionis hoſtes, ac Dei ſuperbiſſimos contemp-
tores, interdum in hoc ſeculo florere, & rerū omnium
abundantia affluere; quandiu boni, pij, & iuſti viri e-
geſtate premuntur, tribulationibus & anguſtijs exer-
centur, & fame frequentius conficiuntur. Enimuerò
tot bonis naturæ fortunęque clarus erat in aula Perſi-
ca glorioſus hic Thraſo, quot in comitijs iſtis prædi-
cat: cùm pij Iudæi eſſent in ſqualore, ſacco, & lacry-
mis. Rectè ergo Nazianzen. Maiorem opum partem *Orat. 1. in*
poſſidēt improbi & ſerui principis mundi huius. Chri- *Paſch.*
ſtus eſurit & ſitit, Paulus degit in frigore & nuditate,
Lazarus fame ac morbo tabeſcit. Herodes verò conui
uia celebrat, & diues reprobus epulatur quotidie ſplē- *Chryſoſt. in*
didè. Verū, vt ait Chryſ. opes malis dantur, vt de Deo *Pſalm.*

 non

non cõqueſtantur: non dantur bonis, vt æternas diuitias à Deo ſperent. Et Auguſt. Diuitiæ, inquit, felices quemquam facere non poſſunt, quoniam amittendæ ſunt, vel ſaltem relinquendæ quibus vel neſcimus, vel nolimus.

Aug lib. 3. de Ciuit. ca. 18.

Diſce rurſum eiuſdem exemplo, quã miſera & infelix ſit huiuſmodi diuitũ, pręſertim aulicorũ, conditio. Qui tot opibus, honorib⁹, liberisq; in imperio Perſico abundabat, non poteſt patienter ferre vnius Iudæi contemptũ. Ambitu ac inuidentia velut duab. inferorũ furijs diu noctuq; torquebatur, ac medius prope rumpebatur. Nihil me delectant opes, inquit, nihil vxor, nihil liberi, nihil conuiuia regia, nihil ſumma poſt Imperatorẽ dignitas: *nam nihil me habere puto, quan diu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.* Quid hoc animo effœminatius ac miſerius? An non alter tibi Tantalus videtur, à labris fugientia captans flumina? Quid rides? Mutato nomine de hoc & ſimilibus fabula narratur. *Omnia habens*, inquit, *nihil me habere puto.* Acrius me torquet ac cõficit vnius exulis Iudæi deſpectus, quàm omnia cætera iuuent. Eo ſuperſtite, nulla poſſum trãquillitate frui. Ita qui cum Deo pacem, & cum proximo charitatem non habent, nec ſecum habere poſſunt. *Pacem his qui longè, & his qui prope, dicit Dominus: impij aũt quaſi mare feruẽs, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt pax impijs.* Antiochus vaſtatis ſacris Ieroſolymis, conqueritur: *Receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi. & corrui corde præ ſolicitudine. In quantam tribulationem deueni, in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum? &c.* Et Dauid poſt peccata ſua confitetur: *Non eſt ſanitas in carne mea, non eſt pax oſſibus meis. Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, &c.* Legis quoque præuaricatoribus dicitur: *Dabo vobis cor pauidum, terrebit vos ſonitus folij volantis, &c.* Viderunt etiam iſtud malè ſibi conſcij animi ſupplicium Ethnici, cùm ſcripſerunt:

Iſaiæ 57. *1. Mach. 6.* *Pſalm. 37.* *Leuit. 26.*

Sunt domeſticæ furiæ, quæ pœnas ab improbis die noctéque repetunt. Sua quemq; fraus vexat, &c.

14. *Re-*

14. *Reſponderuntq́; ei Zares vxor eius, & cæteri amici. Iube parari excelſam trabem, habentē altitudinis quinquaginta cubitos: & dic manè Regi vt appendatur ſuper eam Mardochæus, & ſic ibis cum Rege lætus ad conuiuium. Placuitq́; ei conſilium, & iuſsit excelſam præparari crucem.*

SOlatium feruentis iræ ſuæ ab vxore & amicis requirens Haman, pernicioſiſſimū conſilium, quale hoc loco deſcribitur, ab eiſdem accepit. Intuentes igitur eum animo tam commotum, iraq́; inflammatum eam potius debuiſſent extinguere, quàm accendere, dicendo. Cur ſine cauſa cruciatis de homine, qui nec viuus nec mortuus tibi prodeſſe aut nocere poteſt? Quid tanti facis hominem miſerrimum, breui cum tota ſua gente excindendum? An verò in eo fortunæ & opes tuæ ſitæ ſunt, aut dignitas tua in illius manu verſatur? Quin potius viuis beatus in fruitione tuæ poteſtatis & gloriæ? An nō tibi ſatis eſſe debet, quod inter omnes aulicos, & ſi ſunt innumeri, te vnum amat Rex cum Regina, quòd ſolus conſilij particeps, quòd te incōſulto nihil agit, nihil molitur, nihil ſuſcipit? O te ter quaterq́; beatum, ſi felicitatē tuam noueris! Indignus profectò eſt Mardochæus, cui ſuccenſeas, ſi tibi prætereunti non aſſurrexit. Quid mirum, à quo ſibi pereundum eſſe non dubitat? Tu ſi nobis credis, iram depones, nec grauius in eum afficieris. Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia. Multi etiam læſi, de vindicta ne cogitârunt quidem: potius ducentes, inimicos beneficijs vincereq́; quàm vlciſci, &cæt. Contrà verò, quod prouerbio dicitur, oleum addunt camino, & maiorem iracundiæ flammam accendunt, quando ei adulantur, & placentia ſuadent. Nihil eſt ô Haman, quo te propter vnius miſeri Iudæi contemptum diſcruties. Tanti facis iſtius vilis exulis necem? Tanti canos, ſanguinem, & vitam? Age, cùm tam gratioſus & potens ſis apud Regem, craſtina die manè dic ei, vt iſte pereat. Dictum, factum. Nihil dubitans de eius in-

teritu, iube iam crucem parari altiſſimam, vnde infelix pendeat, vniuerſi videant ignominiam eius, & potentiam authoritatemq́; tuam reformident. Idque fiat coram ædibus tuis, vt & ipſe, & amici tui hoc ſpectaculo delectentur, & ſuum in Iudæos odium paſcant & exſatient.

Quod in animi perturbatione anxietateq́; conſilium ab amicis requirat, ex ſe laudabile & commodum eſt. Nam vis conſilij expers mole ruit ſua. Et prius quàm quid incipias, conſulto opus eſt: non re demum perdita atque amiſſa, deliberandum. Quinetiam in ſecundiſſimis rebus, maximè vtendum eſt conſilio amicorum: ſed cauendũ, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, & his qui prauis affectibus noſtris inſeruiũt acquieſcamus. Hinc ſenex Tobias ait ad filium: *Conſilium à ſapiente require.* Et Sapiens: *Ibi ſalus, vbi multa conſilia. Aſtutus omnia agit cum conſilio.* Ambroſius quoque referens quantum profuerit Pharaoni conſilium Ioſeph, Iſraelitis conſilium Moſis, Regibus Chaldæorum & Perſarum Danielis, ſubijcit, cuiuſmodi viros in conſilium adhibere oporteat. Aduertimus, inquit, quod in acquirendis conſilijs plurimum adiungat vitę probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? An idoneum eum putabo qui mihi det conſilium, quod non dat ſibi: & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet: cuius animum voluptates occupēt, libido deuinciat, auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? &c.

Tob. 4.
Pro. 11. et 12.
Ambr. lib. 2. offic. ca. 11. 12, &c.

Sed quàm præpoſterum perniciosumq́; fuerit primùm Hamani, deinde liberis, & omnibus amicis eius datum ab his conſilium, euentus docuit. Quem enim aſſentando & palpando ſibi deuincere & honorare ſtudent, ſummo dedecore ac ignominia afficiũt. Nam craſtina die ex illo ipſo patibulo pependit, quod ſuaſu vxoris & propinquorum Mardochæo parauerat: & idem ipſi paulò poſt malè perierunt à Iudæis ad vnum omnes trucidati. Sic verum effectum eſt prouerbium: Malum conſilium conſultori peſſimum. Ionadab frater Dauidis cernens Amnonē nepotē, deperire Tha-
mar,

mar, ex patre ſororem, conſuluit iuueni vt ficta infir- *2.Reg.13.*
mitate, eam accerſeret, & violaret: quod & ei exitio, &
in familia Dauidis magnarum cladium cauſam de-
dit. Achitophelis ſuaſione, Abſalon decem vxorum *2.Reg.17.*
patris ſui inceſtu ſe commaculauit, toto ſpectante Iſ-
raele: ſed mox nefarij conſilij author proprio laqueo
ſponte perijt, & impurus perduelliſq; filius de infeli-
ci arbore pependit. Ieſabel ad innocentis Naboth cæ- *3.Reg.21.*
dem præcipiendam Achabum maritum ſuum indu-
xit: hinc autem & ipſa de turri præcipitata, equorum
pedibus conculcatur, & à canibus deuoratur: Acha-
bus autem bello peremptus eſt. Cayphas Iudæis au- *Ioan.11.*
thor fuit vt Chriſtum cruci affigendum curarent, ſi
locum & gentem ſibi ſeruare vellent. At, ob hanc
rem & Iudæa omnino vaſtata, & Ieruſalem funditus
euerſa, & tota gens exciſa eſt. Adeo huiuſmodi praua
pernicioſaque conſilia tragicos planeque lamenta-
biles exitus ſemper habuerunt.

Verùm, quis præeſt comitijs conſilijſq; coactis in
domo Hamanis? Quis ſententiam iudiciumque pro-
tulit? Impura, infidelis, ſuperba, crudelis, & vt vno
verbo cuncta ſcelera complectat, aulica mulier. Ari- *Ariſt.lib.1.*
ſtoteles quidem ſcribit, Conſilium mulieris eſſe in- *Polit.*
ualidum, pueri autem imperfectum: ſed hoc loco
pernicioſiſſimum & peruerſiſſimum fuit. Sed quid?
Satanas ſanctis Dei ſeruis bellum illaturus, ad antiqua
malitiæ ſuæ organa confugit. Nam Euæ ſuaſionibus *Geneſ.3.*
primum hominem, totamque poſteritatem in erro-
rem, iram Dei, & vtramque mortem induxit. Hinc
ſapiens Syrach: *Mulieris ira, & irreuerentia & confu-* *Eccli.25.*
ſio magna. Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo.
A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes
morimur. Ieſabel Heliæ, ac Herodias Ioanni, plus at- *3.Reg.19.*
tulerunt moleſtiarum & anguſtiarum, quàm leones *Marc.6.*
& dracones deſertorum quæ incoluerunt. Ideoque *Matth.14.*
idem Syracides ſcribit. *Non eſt caput nequius ſuper ca-* *Eccli.25.*
put colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leo-
ni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.
Quantis dolis & machinis imperatrix Iuſtina Am-
broſium, Eudoxiaque beatum Chryſoſtomum cir-

 cum-

Hier. epi. ad Cteſiphont. adu. Pelag.

cumuenire ac expugnare tentauerunt? Hieronymus copioſè eleganterque ſcribit, præcipuas hæreſes, quibus Eccleſia grauiter oppugnata & lacerata fuit, impiarum mulierculärum ope inualuiſſe. Nam Simon magus hæreſim condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam premiſit mulierem, quæ decipiendos animos præpararet. Apelles Philomenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, primū auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arius vt orbē deciperet, ſororē principis ante decepit Donat⁹ per Africā, vt infelices quoſque fœtentib. pollueret aquis, Lucilię opibus adiutus eſt. In Hiſpania, Agape Elpidiū, mulier virum, cęcum cæca duxit in foueā, ſucceſſoremq́; ſui Priſcillianum habuit, &c. Altius rurſum perpende Zaris muliercule, & reliquorum Hamaniſtarū decretum. *Iube*, inquiunt, *parari excelſam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos: & dic manè Regi, vt appēdatur ſuper eam Mardochæus: & ſic ibis cum Rege lætus ad conuiuiū.* Sed cur tam alta, cùm in humiliore vel affixus, vel ſuffocat⁹, ęquè fuiſſet? Vt contumelia omnium oculis obuerſaretur, eſſetque conſpectior. Quare tam feſtinanter? Ne quid periculi in mora & procraſtinatione ſubſit. Quam ob rem ante ædes ſuas? Vt ipſe, ſuiq; ingredientes, & egredientes, illum videntes penſilem, triumphos agerent, illuderent, & oculos animosq́; crudeles tam miſerabili fędoq; paſcerent ſpectaculo. Quorſum Regis authoritate, cum vnius ſicarij ac ſatellitis ſui opera, id ſcelus patrare compendioſius potuiſſet? Vt non iniuria, ſed iuſtè, (nimirum læſę maieſtatis reus) ſupplicium id paſſus habeatur: ſicque ſui omnes terreantur, vt ne hiſcere quidem audeant, ni pari ignominia, dedecore, morteque affici velint. Sed quod crimen admiſit pius Mardochæus, vt cum tanto probro pereat? Supplicium audis, crimen nullum audis. Ita nihili faciunt Tyranni & Principes huius ſeculi, ruſticorum oppreſſiones, & cædes innocentum. Magis ṇ

eos ſæuiunt, quàm in bruta animalia. Non miſerentur conditionis ſuæ, id eſt humanę Adeo per aſſentatores excæcat eos Satanas, vt putent omnia ſibi licere; & Deum neque attendere, neque aliquando iudicaturum eſſe tam atrocia ſcelera. Falluntur autem turpiſſimè, quoniam is diſtrictè prohibuit, Inſontem *Exod* 23. occidere, aut vi opprimere. Et grauiter cōminatus eſt: *Num* 25. *Qui fuderit ſanguinem humanum, fundetur ſanguis eius. Qui* *Levit.* 19. *gladio percuſſerit, gladio peribit* Et ne putent inanes, & ad *Geneſ* 9. terrendum tantùm confictas comminationes eſſe attendant *Matth.* 26. diligenter ſanguinem Abelis de terra vociferantem *Geneſ.* 4. ad Dominum, vltoremq; cæleſtem: ſimulq; animas *Hebr.* 12. interfectorum propter verbum Dei clamantes *Apoc.* 6. in cælum, & Deum vltionum eas exaudientem.

Expende etiam, quomodo nihil vereātur abuti Regia poteſtate ac dignitate, ad tam nefarium ſcelus cōmittēdum: nihil timent thronū & cōſcientiam illius, ſanctiſſimi ſerui Dei cæde ſanguineq; commaculare. *Dic manè Regi, vt appendatur*, inquiunt. Rex tuæ noſtræque cupiditatis ſatelles tantū erit & miniſter. Caueāt ergo ſibi Reges, principes & magiſtratus à tam profanis, cruentis, & perditis conſiliarijs, ſi ſuæ famæ & ſaluti bene conſultum cupiunt. Dauidem optimum Regē potius audiant ac imitētur iſtiuſmodi aulicos procul à domo ſua ablegantē *Faciētes præuaricationes odiui.* *Pſalm.* 100. *Non adhæſit mihi cor prauū, declinantem à me malignum non cognoſcebam Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar. Superbo & inſatiabili corde cum hoc non edebā. Oculi mei ad fideles terræ, &c.* In homicidas Saulis & Isboſethi iuſſit ſæuerè animaduerti. Ioabo proditoriæ duorum principum necis authori tandē aliquando non pepercit, &c. Sed quid Haman ad tam peſtiferum cōſilium?

Placuit ei conſilium, inquit, à quo tamen ſummopere abhorrere debebat: *& iuſſit præparari excelſam crucē*, quē ab altero erectā, ſua authoritate deijcere oportuiſſet. *Placuit ei conſiliū*, eo q affectibus & votis ſuis cōſentaneū eſſet. Ita hodie non repugnanter illi audiuntur & admittuntur in intimā potentū familiaritatē, qui grata & placētia loquūtur: non qui iuſta, à Deo pręcepta, & reipublicæ neceſſaria. Nempe, quòd obſequiū a-

3.Reg.12. micos, veritas odium pariat. Roboam proborum & ſapientum ſenum conſilium deſpexit, & iuuenum ſuis votis gratum ſequutus, decem regni ſui partes infeliciter amiſit.

Vides etiam, quàm certis, euidentibus, & magnis periculis ſerui Dei omnipotentis nonnunquam obijciuntur? Mardochæus etenim non ſolùm generali edicto cum popularibus ſuis, eſt morti adiudicatus; verùm, vt etiam citius, & alijs ignominioſius pereat, en crux excelſa paratur, erigitur, præſto ſunt carnifices, & hoſtis ſecurus de Regis ſententia. Quid患 ſupereſſe poterat, niſi mors præſentiſſima & ignominioſiſſima? Ita Dominus *deducit ad inferos, & reducit; humiliat, & ſubleuat.* Dauid quoque ait, *Impulſus, euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Ezechiæ dictum eſt, *Morieris, & non viues.* Illicò autem vt fleuit, *Adijciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Quid ſuperfuit tribus pueris in camino, Danieli in lacu leonum, Suſannæ in loco ſupplicij, Ionæ præcipitato in mari, Petro in carcere Herodis, niſi extremus hui⁹ vitæ dies? Mortis ergo frequentib. periculis ſuos Dominus obijcit, vt diſcant mortẽ non timere, cui reipſa aliquando ſuccumbendum eſt. Deinde, omnem fidem, omnem ſpem vitæ in Deo collocare; qui vitam iſtam ſeruabit quamdiu ei opportunum viſum fuerit: eandem aliquando commutaturus in aliam longè feliciorem.

1.Reg.2.
Pſalm.117.
Iſaiæ 37.

Conſidera poſtremò, fallaciſſimam & vaniſſimam eſſe impiorum & crudelium hominum confidentiam, qua ſeruos Dei opprimere & funditus perdere conantur & ſperant. Tunc enim iuſto Dei iudicio ipſimet pereunt, & frequentius iiſdem ſuis laqueis irretiuntur: ſeruos autem ſuos Dominus eripit & vindicat magnificentiſſimè. Haman ſecurus ſibi videtur de augenda dignitate & gloria ſua, item de interitu Mardochæi, quem habet odio. Contrà verò idem Haman rapitur ad malam crucem, quam alteri parauerat: Mardochæus autem nihil tale cogitans ad dignitatem maximamque gloriam euehitur. Goliat & Holofernes proprio ferro confodiuntur, & capitibus

1.Reg.17.
Iudith.13.

eorum ſanĉti triumphant. Babylonici ſatrapæ ſecuri *Daniel. 8.*
ſibi videbantur, quòd ignes & leones Danielem & *6.14.*
ſocios eius perderent: verùm iſti gloriosè ſeruantur,
& illi turpiter ſuis artificijs & tormētis pereunt. Pharao gloriabatur, *euaginabo gladium meũ, interficiet Hebræos manus mea, diuidam ſpolia, &c.* continuò autem fit eſca piſcium, & præda ſeruis Domini. *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt Qui habitat in cælis, irridet & ſubſannat eos.* Hi ſunt effectus diuini illius iudicij, de quo Spiritus ſanctus per Prophetas loquitur, *Qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram. Non viæ meæ, viæ veſtræ: nec cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: &c.* Abijciamus ergo impiam ſecuritatem, contemptum Dei, inhumanitatem in proximos: ambulemus autem in lege & timore Domini, vt tandem in regnum eius cæleſte perueniamus.

Exod. 14. & 15. *Pſalm. 91.* *Pſalm. 2.* *Pſalm. 36.* *Iſaiæ 55.*

 LIBRI

LIBRI ESTHERIS
CAPVT SEXTVM.

1. *Noctem illam duxit Rex inſomnem, iuſſitq́; ſibi afferri hiſtorias & annales priorum temporum.*
2. *Quæ cùm illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum, vbi ſcriptum erat, quomodo nunciaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares Eunuchorum, regem Aſſuerum iugulare cupientium.*

EXPLICATA profectione Eſtheris ad Regem pro ſalute populi ſui, atq; prudentia qua viam ſibi ad id præparauerat: ſubijcitur nunc mirabilis planeq́; ſtupenda rerum in aula Perſica viciſſitudo atque inuerſio, per quam Mardochæus caput & rector exulum Iudæorum, pro veteri in Regem officio ſublimè exaltatur & honoratur: Haman vero barbar⁹ hoſtis incipit excidere gradu & gloria, qua turpiter pernicioſeque abutebatur. Ac primò quidem refertur occaſio, qua virtus Mardochæi Regi in mentem redierit. Secundò, conſultatio Regis cum Hamane de honorando Mardochæo, tametſi ſuppreſſo adhuc nomine. Tertiò, quomodo Haman coactus fuit ſtratoris & præconis officio fungi in exaltatione Mardochæi, quem extinctum cupiebat. Quartò recitantur Hamanis gemitus, ſuſpiria, & cõqueſtiones coram vxore & amicis de his, quę illi contra mentem & vota contigerant.

In primis autem occurrunt duo ſuſpiciendi ac mirandi diuinę prouidentię erga Mardochæum, adeoq́; pios omnes, effectus: videlicet, quando Deus pluſquã paterna ſollicitudine excubat pro illis aſſerendis & ſaluandis ab inſidijs impiorum; cum etiam de his cauendis nihil cogitent. Deinde, cæleſti planè induſtria tyran-

tyrannorum conſilia ita inuertit, vt neceſſe habeant iuuare ac honorificare ſeruos ſuos. Contemplemur autem initio, quo in ſtatu res Mardochæi ſeſe haberent. Omnia comparata & ordinata erant in eius exitium: quando decreto ac conſilio Hamaniſtarum ignominioſæ morti erat adiudicatus, crux quinquaginta cubitorum eidem parata & erecta, preſto carnifices, Haman nihil dubitans de Regis aduerſus illum ſententia. Nox aderat, importuna, qua Reginæ non licebat ad Regem accedere, etiam ſi maximè voluiſſet pro Mardochæo intercedere, Haman deniq; ſummo mane intrat aulam vt id poſtulet. Certum erat Regē nihil Hamani denegaturū, cui conceſſerat vt omnes Iudæi delerentur. Ergo ſecundum carnis & mūdi iudicium certo certius erat Mardochæū mox penſilem futurū. Verùm, eſt Deus in cælo, qui vidit conatus impiorū, ſategit rerum pij viri, tantoq́ue magis de eo curam habuit, quā propior erat exitio. Is tandem effecit, vt non tantùm liberaretur, ſed & magnificentiſſimè glorificaretur corā mundo, huicq́ue glorię inſeruiret hoſtis ferox & immanis. Ecce igitur *nō dormitat, neq; dormiet* Pſalm. 120.
qui cuſtodit Iſrael. Nunq̄ ſuorū curam abijcit *cuſtos hominum.* In Zacharia dicitur habere 7. *oculos*: & Angeli ad Zach. 3.
cuſtodiā hominum ab eodē deputati, à Daniele vocantur *Vigiles.* Iactemus ergo in illum omnē fidem, ſpem Danie. 4.
& cogitatum noſtrum, ab eius prouidentia toti pendeamus, *quoniam ipſi cura eſt de nobis.* Quilibet diu no- 1. Petr. 5.
ctuq́ue in animū ſuum inducat iſtud Auguſtini pium Aug. lib. 3.
de Dei ſollicitudine propoſitum. Sic diu noctuq́ue ſu- Conf. ca. 11.
per cuſtodiam meam vigilas, veluti ſi totius creatu- Et lib. Soli-
ræ tuæ, cæli & terræ oblitus, tantùm me ſolum conſi- loq. cap. 14.
deres, & nil ſit tibi curæ de alijs.

Quomodo autem, quibuſque modis pro Mardochæo vigilauerit, docent iſta verba. *Noctem illam duxit Rex inſomnem. Iuſſitq́; afferri ſibi hiſtorias, &c.* Harum. n. lectione effecit Deus, vt Mardochæus ſeruaretur, Haman deniq; periret. Rationes porrò vigiliarū & perturbationū Regiarū varij varias deſignant. Primam, qđ ex ſuperioris diei crapula & ebrietate, fumis craſſioribus caput agitantibus, omnis ſomnus receſſerit ab eo.

Ideo

Prouerb. 20. Ideo ſapiētiſſimus Hebræorū: *Luxurioſa res vinū, & tumultuoſa ebrietas.* Et rursū: *Cui rixæ, cui foueæ, cui vulnera? Nōne his qui ſtudent calicib. epotandis?* Et alius: *Vinum multum potatum irritationē, & iram, & ruinas multas facit.* Ebrietatis incommoda deſcripſerunt etiam Ethnici, vt Seneca dicens: Ebrietates continuæ animos in furorem adducunt. Plinius, ebrietas, inquit, habet præſentes pœnas. Furiales ſomnos, & inquietudinem nocturnam. Ebrietas, ſententia Catonis, eſt voluntaria furoris ſpecies: nam per eam & ſenſu & mente exciditur. Auicenna etiam ſcribit, frequenti ebrietate hepatis & cerebri conſtitutionem vitiari, neruos fieri imbecilliores, vnde tremor & conuerſio oritur, & paralyſis. Sed & apoplexia, obſtipatis ſpirituum animalium meatibus, humecta cerebri poteſtate auctius redundante. Et Xenophon in Pædia Cyri ait, Ebrios neque mentis eſſe, neque corporis compotes. Ob id Cyro puero, cùm hoſpites inuitati ab Aſtyage auo in natali die, vino ſe ingurgitaſſent, viſum eſſe, venenum à Sacca pocillatore infuſum fuiſſe, &c.

Prou. 23. *Eccli.* 32. *Sene. epi.* 84. *Plinius.* *Cato.* *Auicen.* *Xenoph.* *Cyrus.*

Secundam cauſam inſomnis regiæ noctis alij adſcribunt curæ ac ſolicitudini publicorū regni ſui negotiorum. Plutarchus enim author eſt Perſarum reges in ſtipendijs Nuntiū habuiſſe, qui quolibet manè cubiculum regium ingreſſus, ei clara voce diceret: Surge, ô Rex, & ea negotia cura, quæ te curare voluit Meſoromaſdes. Homerus quoque fingit Iouem tum de rebus mundi cogitare, cùm cæteri & dij & homines alto ſomno quieſcerent. Et nuntium Agamemnoni dixiſſe: Non decet principem ſolidam noctem dormire. Virgilius quoque ſuum Aeneam facit peruigilem, & de futuris rebus cogitantem. O vtinam principes ac Magiſtratus ſeriò cogitarent ſe Regi regum rationem aliquando reddituros eſſe de ſubditorū ſuorum delictis! Ad hos enim etiam attinent hæ comminationes cæleſtes, *Sanguinem pereuntium de manu veſtra requiram. Ipſi peruigilant, quaſi rationem de animabus reddituri, & cæt.*

Lib. adu. ducem imperit. *Ezech.* 3. & 34. *Hebr.* 13.

Tertia & præcipua regis Aſſueri vigiliarum cauſa, Deo præſertim aſcribenda eſt, qui prouidentia ſua omnem

mnem ſomnum abſtulit ab eo, & animum eius conuertit ad Annalium regni ſui lectionem: ex qua diſceret Mardochæum ſeruum ſuum non ſolū præſenti exitio liberare, verùm, & omni gloria afficere, & populum Hebręum à crudeli Hamaniſtarum cæde eripere. Docent quidem Philoſophi ac Medici aliquot eſſe humanæ dormitionis & quietis cauſas: nimirum, ab vtili humore cerebrum madefaciente prouenire, & in omnes ſenſus deſcendere, eoſdemque ſopire. Verùm, de ſecundis tantùm cauſis loquuntur, primam & potiſſimam neſciuerunt, Deum præpotentem, qui hoc animalibus viribus reparandis beneficiū homini conceſſerit. Scribit etenim Dauid: *Ego dormiui & ſomnum cepi, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me. In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Ille idem ſoporem miſit in Adam. Et pijs legis ſuæ cultoribus repromittit: *Dormietis, & nō erit qui exterreat. Dormire eos faciam fiducialiter.* De diuino igitur iſto beneficio, velut de cæleſti quadam medicina huic animali vitæ noſtræ conceſſa, grates Deo parenti optimo ſunt habendæ, &cæt.

Ariſt. lib de ſomno & vigilia.
Pſal. 3. & 4.
Geneſ. 2.
Leuit. 26.
Oſeæ 2.

His autem videmus pios omnes ſic curæ ac ſolicitudini Deo eſſe, vt pro his ne quidem ſummis Regibus ac Imperatoribus indulgeat: ſed eos miris modis excitet, ac vigilare dies noctéſque compellat; inſuper, terrificis viſionibus, varijſque pœnis afficiat, vt ſanctorum commodis inſeruiant. *Non reliquit* (ait Pſaltes) *hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges.* Abimelecho regi Geraris apparuit noctu, eumque de raptu Saræ increpans dixit: *Quid feciſti? Redde vxorem viro ſuo, aliâs morieris.* Eadem de cauſa & antea flagellauerat domum Pharaonis magnis plagis. Alteri Pharaoni immiſit viſiones ſpicarum & boum, vt harū occaſione Ioſeph de vinculis eriperetur, & familia patris Iacob tempore famis aleretur. Nabuchodonozorem terruerunt nocturna lapidis, & arboris magnæ ſpectra. Darius nec cœnam ſumpſit, nec ſomnum, propter ſeruum Dei Danielem. Alexandrum coercuit, ne Iaddo, aut Ieroſolymis noceret. Attilæ extrema quęque minatus eſt per Apoſtolum, ſi Leoni papæ non acquieſce-

Pſalm. 104.
Geneſ. 20.
Geneſ. 12.
Geneſ. 37.
Danie. 2. 4. & 6.
Ioſephus.
Sigeb.
Nicephor.

eſceret. Valentem, Aurelianum, Gaiñam compeſcuit; ne contra ſeruos ſuos pro concepta rabie inſoleſcerent, &c. Ipſi igitur toto pectore inſeruiamus, noſque totos committamus, & ſuo tempore rebus noſtris quantumuis afflictis & deſperatis ille tandem aliquando aderit.

Laudabile autem in Aſſuero, quod noctem non triuerit in voluptatib⁹, in fabulis, in ludis, in choreis, aut lectione fabularum anilium; vt multi nunc potius delectãtur, falluntq; tempus in legendis Amadiſi Gallici, Rolãdi furioſi, Decameronis Bocacij, Rabeleſij impoſturis atq; impuritatibus, quàm ſacris ac diuinis oraculis, ex quibus & doctiores & meliores euaderent. Velim in mentem eis venire, quantis plagis & doloribus affectus ſit D. Hieronymus, quòd Ciceronis libros ſacris codicibus præferret.

Hiero. epiſt. ad Euſtoch.

Hic ergo Rex non ſolùm gemmas, aurum, odores, quibus ad ſplendorem & luxum vteretur, habebat in theſauris: verùm etiã rerũ tum à ſe, tum à ſuperiorib. Regibus geſtarũ codices; quibus cùm per otium liceret, operam dabat. Nec id ſine magna vtilitate. In horũ namque lectione diſcere poterat, magna imperia non niſi ab omnipotenti Deo conſtitui & ſeruari: *transferri autem* (vt Sapiens loquitur) *de gente in gentem propter iniuſtitias*. In his rurſus occurrebant bonorum principum virtutes, malorum ſcelera: quorum exemplis plurimum ad inſectandam virtutem, fugiendam verò iniquitatem permouebatur. Rurſum, in eiſdem multa legere poterat, quæ fortaſſe nec ab amicis audire voluiſſet. Scitè etenim ſcribit Diodorus, Hiſtorias legentibus citra periculum oſtendere præteritorum exemplis, quid nobis appetendum ſit, quidve fugiendum. Idem rurſum: Sola hiſtoria, inquit, verbis res geſtas repræſentans, omnem complectitur vtilitatem. Nam conſentientes ad honeſtum impellit, deteſtatur vitia, probos extollit, deprimit improbos, &c.

Eccli. 10.

Proœm. in Biblioth.

Eſt igitur omnibus, Regibus præſertim verò ac principibus viris, quorum authoritate regitur orbis, hiſtoriarum lectio & cognitio apprimè neceſſaria & vtilis.

Hoc

Hoc non ignorans Alexander, Homeri Iliada ſecum in caſtris ferebat, ſupponebatq; noctu ceruicali cum pugione. Scipio Africanus pædiam Cyri vix deponebat è manibus. Cato Vticenſis authores Græcos etiã-num in ſenatu legebat. Sic in ſacris iubetur Ioſue, & *Ioſue 1.* quiuis Hebræorum Rex, prope ſe habere Deuterono- *Deut. 17.* mium legis, in eoq; meditari die ac nocte. Eunuchus *Actor. 8.* Aethiops etiam in curru viam faciens, Iſaiæ legebat oracula. Theodoſius ſecundus libros noui teſtamen- *Nicephor.* ti ſua manu ſcripſit, quorum partem quotidie, etiam noctu legit, lampademque ipſe accendit, ne cui ſeruorum negotium faceſſeret. Carolus Magnus, Rober *Sigebert.* tus, S. Ludouicus Francorum reges, vnà cum ſacerdo *Naucler.* tibus in Eccleſijs canebant, & filijs ac principibus au- *AEmil.* læ ſuæ lectiones canendas diſtribuebant. Alphonſus *Gaguin.* Hiſpaniæ & Neapolis rex, gloriatus eſt ſe ſacra Biblia *Panorm.* quater decies ordine perlegiſſe, adiunctis etiam doctoris Lyrani poſtillis, & Burgenſis additionibus. At nunc in horum locum ſucceſſit cæca libido, inſanum aleæ ſtudium, Sybaritica menſa, venatio immodica, ſacrorum contemptus, efferа bellandi rabies, & cæt. Quid ergo mirum ſi Reſpublicæ Chriſtianæ tam perditè adminiſtrentur, & turpiter labefactentur ac euertantur?

Aduerte deniq; & alium diuinæ prouidentiæ effectum. Rex accepti à Mardochæo beneficij erat immemor: idem Mardochæus nullam amplius gratiam pro eo expectabat: ac fortuna quidem videtur Rex incidiſſe in eius memoriã. Reipſa tamen à Deo præpotente factum eſt, vt & nobile beneficiũ, & author illius ſubijceretur regijs oculis, ſimulque mercedem acciperet. Pari prouidentia Eunuchus tum Iſaiæ locum de Chriſti perpeſſione voluebat, cum raptus ad eũ delatus eſt *Actor. 8.* Philippus interpres optimus & deſideratiſſimus. Bene facientes ergo non defatigemur propter hominũ obliuionem vel ingratitudinem. Etſi enim homines ſint beneficiorum immemores, & vetus gratia, vt Pindarus ait, dormit: tamen Dominus Deus noſter nunquam eſt obliuioſus: ſed reponit benefacta hominum tanta fidelitate, vt ea ſemper opportuno tempore

com-

Hebr.6. compenſet. *Non eſt iniuſtus Deus*, ſcribit Apoſtolus, *vt*
Galat.6. *obliuiſcatur operis veſtri. Bonum ergo facientes non deficiamus, ſuo etenim tempore metemus non deficientes.* Tellus ſemine conſperſa non illicò fructum profert: nihilominus plus tandem adfert, quàm acceperit.

3. *Quod cùm audiſſet Rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſequutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius ac miniſtri. Nihil omninò mercedis accepit.*

4. *Statimq́; Rex, Quis eſt, inquit, in atrio? Haman quippe interius atrium domus regiæ intrauerat, vt ſuggereret Regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.*

5. *Reſponderunt pueri, Haman ſtat in atrio. Dixitque Rex, Ingrediatur.*

HABES hîc Regem in primis ſollicitum de compēſandis fidelium ſeruorum ſuorum honeſtis laboribus, obſequijs, & benefactis. Agnoſcit enim ęquiſſimum eſſe Mardochęo non ſolùm gratiā habendam, ſed & referendam. Itaq; ſi collati in nos beneficij ad tempus obliuiſcamur, aut parem nō poſſimus referre gratiam: noſtrum tamen eſt, vt cùm eius recordamur, illud ingenuè agnoſcamus & prædicemus; inſuper erga benefactores ipſos ſi ſuperfuerint, aut eorundē liberos gratos nos pro viribus oſtendamus. Hoc autem Reges, principes, magiſtratus, & dominos erga ſubditos, & ſeruos omnium maximè præſtare decet, quorum conſilijs in ſuſcipiendis arduis, & laboribus in exequendis difficillimis rebus vtuntur. Narrant hiſtorici Alexandrum Seuerum in ſcriptis habuiſſe, quid cuique præſtitiſſet. Qui nihil aut minimum petebant, eos appellabat dicens, Quid eſt quod nihil petis? An me tibi vis fieri debitorē? Pete, ne priuatus de me queraris. Agnoſcebat principem debere rectè ſuo fungentibus officio, nec æquū iudicabat bonū, tametſi priuatū, egere. Et Dauid do-
Pſalm. 122. mū rectè inſtitutā commemorās, ait. *Oculos ſeruorū eſſe*

in ma-

in manibus dominorum ſuorum: & oculos ancillarum in manibus dominarum, videlicet vt pro duris continuiſque laboribus victum, veſtitum, præſidium, iuſtamque mercedem recipiant. Merces namque retenta laborum, ex his ſceleribus dicitur eſſe, quæ propter ſui grauitatem vociferantur in cælum, & velut à diuino tribunali vltionem poſtulant, ac diu noctuque requirunt. *Iacob.5. Deut.24. Leuit.19. Eccli.34.*

Quod reſpondent miniſtri regij, *Mardochæum nihil omnino mercedis accepiſſe*, quidam putant ei repugnare, quod ſcribitur in Additionibus cap.12. *Præcepit Rex vt in aula moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Hocq; poſtremum ingeminant falſum eſſe, proindeq; vniuerſas additiones illas vt apocryphas, reijciendas eſſe ex ſanctarum literarum canone. Cõtra verò, ſuperius euicimus grauiſſimorum & Apoſtolicorum virorum teſtimonijs, eaſdem omnino pro canonicis & ſanctis habendas eſſe: ex quo conſequitur nihil in his pugnans aut ſibi ipſi contradicens inueniri. Docet enim Rikelius, quod munera illa prius ſuſcepta reſpectu beneficij tãti tantoq; Regi exhibiti, quaſi nullius momenti fuerunt: ideoq; regios ſeruos nihil falſi reſpondere, dicentes, cum Mardochæo non eſſe factum quicquam, nimirum, pro dignitate beneficij, atque regia liberalitate.

Diligenter etiam expende candorem animi horum aulicorum, tametſi infidelium atque barbarorum. Interrogati de Mardochæo, nihil ei inuident, non extenuant beneficium eius, non calumniantur eum. Non reſponſant, Iudæus, captiuus, alienus à nobis eſt. Sufficere debet ei quòd viuit, quod fores regias attingit, quodque inter aulicos locum & nomen obtinet. Sed ingenuè ſincereque reſpondent: *Nihil mercedis accepit.* Mira certè vis eſt omnia vincentis veritatis & virtutis, cùm etiam à barbaris laudem & confeſſionem accipiat. Vbi verò nunc in aulis Principum, qui de Chriſtianâ religione gloriantur, tantam probitatem & ingenuitatem inuenires? An non illic omnia diabolica planè inuidẽtia corrupta & deprauata ſunt? Rarus ibi, qui non proximorũ macreſcat rebus opimis. Plurima huius peſtis exempla ſuppeditant Saulis, Pharaonis,

Herodis, & ſimilium aulę inuidorum impoſtorum, & proditorum hominum officinæ.

Conſpice rurſum in vno Hamane, quale ſit omnium impiorum, ac hoſtium Eccleſiæ ingenium. Mirè ſunt vigiles & induſtrij, nihil non mouent, omnia tẽtant, incredibili ardore cuncta verſant, vt quod aduerſus ſeruos Dei conceperunt, tandem pariant. Hic ſub veſperam conſultârat cum amicis de perdendo Mardochæo, noctu excelſam crucem erigi curauerat, nũc ſummo diluculo venit in aulã, vt de Regis ſententia
Matth.26. illum tollat de medio. Sic Iudæi Chriſtum occiſuri
Luc.22. frequentia concilia congregant, diſcipuli proditionẽ
Io. 18 et 19. grandi pecunia redimunt; hic milites ſtudioſè colligit, præcedit, dato ſigno concitat, aduentant, capiunt, ligant, à iudice ad iudicem tranſmittunt, nihilq; prætermittunt, quod ad accelerandam eius mortem pertineret: pijs Apoſtolis interea ſtertentibus, aut fugien-
Luca 16. tibus. *Ita filij huius ſeculi prudentiores & aſtutiores ſunt filijs lucis in generatione ſua.*

6. Cumq; eſſet ingreſſus, ait illi Rex. Quid debet fieri viro, quem Rex honorare deſiderat?

7. Cogitans autem in corde ſuo Haman, & reputãs quod nullum alium Rex, niſi ſe vellet honorare, reſpondit.

8. Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui veſtibus regijs, & imponi ſuper equum qui de ſella Regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum:

9. Et primus de regijs principibus ac tyrannis teneat equum eius; et per plateam ciuitatis incedens, clamet, & dicat: Sic honorabitur quemcunq; voluerit Rex honorare.

Dialogiſmus Regis & Hamanis eſt, quo ſuppreſſo prudenter nomine, de Mardochęo honorãdo inter ſe conſultant. Rex ergo profitetur, quendam ſe virum ob inſignem virtutem & gratiam velle honorare, poſtulatq; quibus modis hoc ipſum fieri poſſit atque debeat. Ali-

Aliquantulum ergo velut de re magni momenti ſe cum maturè deliberās, ſic apud ſe tacitus Haman me ditabatur. Rex amicum & familiarem ſuum honorare quantum poteſt deſiderat. Me inter amicos omnes & familiares Regis primas tenere partes iure meo gloriari poſſum, cui hactenus à cōſilijs & delitijs fui, cui sēper adhæſi, nunquam contrarius extiti, voluntatis & cupiditatis illius paratiſſimus & obſequētiſſimus miniſter; qui me vnum ſuorum arcanorum participem effecit; dignitatibus, opibus, profuſis largitionibus decorauit; ac per omnes honorum gradus euexit. Cogitat tamen Rex, & ſuſpenſus dubitat, quid fieri debeat ei, quem maximè honorare cupit. Poſt tot & tantos acceptos honores, ſi magis amicum honorare velit, quid aliud ſupereſt ad cumulum meæ gloriæ, præter ſtolam regiam corpori coaptatam, diadema regiū capiti, & ſceptrum manui impoſitum, quid amplius cōſulam, niſi vt me equum phaleratum, & frenis aureis inſignem, conſcendere iubeāt, quem ex ſuis proceribus & primatibus aliquis per totam vrbē triumphantem apprehenſis habenis educat, qui in hanc vocē totam ciuitatem curſitans erumpat, *Sic honorabitur, quem cunque Rex voluerit honorare*? Age igitur hominum fortunatorum fortunatiſſime, tu ne per mentis inopiam, aut propter ſubruſticum pudorem, oblatum tibi ſummum honorem turpiter repudiabis? Stultus es ſi tam amplam, tam præclaram honoris opportunitatē prætermittas. Calua occaſio à tergo non repetitur, niſi fronte capillata apprehendatur. In animo eſt igitur gloriam meam oſtentare, amicis noſtris gratiſſimam, Iudæis ipſis formidoloſam & ſuſpectam: mihiq; placet admodum Mardochæo antequam probroſè moriatur ſuſpenſus patibulo, inuidię materiam præbere, vt liuore rūpatur, cùm me à tota regia ciuitate tanquā alterum à rege venerari & ſuſpici ſentiet. Hanc igitur gloriam certa iam ſpe deuōrās impius Thraſo, primò regias veſtes, deinde inſignem equum, præterea coronam regni maximum inſigne, poſtulat; & à præſtantiori Satrapa per Suſorum plateas magnificentiſſimè circumduci, cum iam dicta proclamatione, &c.

DE REGIIS PERSARVM *ornamentis.*

1. POſtulat autem præſens hiſtoriæ locus, vt ex veterum hiſtorijs curſim repetamus, qualia fuerint olim Perſicorum regum inſignia & ornamenta: quibuſq; donis viros bene de ſe meritos honorabant. *Xenoph. li. 8. Inſtit. Cyri:* Ac primò quidem ſolis Perſarũ regibus fas erat Tiaram rectam, erectamque capite geſtare; cęteris ſatrapis eam implicatam, inuolutam, & in frontem reiectam portantibus, vti non vno tantum loco ſcripſit Xenophon: conſentiuntque Plutarchus, Lucianus, & Dion Chryſoſtomus. *Plutarch. li. 11. de fortuna Alex. Luc. de Nauigio. Dion orat. de ſeruit. & libert. Seneca.* Idem probat Seneca lib. 6. de beneficijs cap. 31. his verbis: Xerxes Demarato permiſit petere quod vellet. Petit ille vt Sardis, maximam Aſiæ ciuitatem, curru vectus intraret, rectam capite Tiaram geſtans, quod ſolis datum regibus. Hinc Beſſum, qui Dario rege proditoriè cæſo, imperium occupare niſus eſt, Tiaram rectam, & Perſicam ſtolam ſumpſiſſe, *Arrian. li 3. & 6. de vita Alex.* refert Arrianus. Idemque ſcribit Bariaxen Medum ab Atrobate vinctum, ad Alexandrum ductum, tanquam affectati regni reum: quòd erectam Tiaram geſtaſſet. *Hier. in 3. cap. Daniel.* Tiaram autem cenſet diuus Hieronymus fuiſſe, genus pileoli, quo Perſarum Chaldæorumque gens vtebatur.

2. Ferebant rurſum in capite Diadema, quod Citarim ſeu Cidarim appellant: cuius formam ex his Curtij verbis facilè eſt colligere. Cidarim Perſæ regium *Curt l. 3. et 6.* capitis vocabant inſigne. Et iterum idem de Alexandro: Purpureum Diadema, diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit. In reliquis autem gentibus, Diadema nihil aliud fuit, quàm Faſcia candida, qua Regum frons præcingebatur. Etenim *Ammiã. l. 12.* Ammianus, Diadema, Faſciolam candidam regiæ *Sueton. in Cæſ. ca. 79.* maieſtatis inſigne appellat. Suetonius quoque inter ſigna affectati regij nominis à Iulio Cæſare, ponit, Coronam lauream candida faſcia præligatam. Valerius etiam refert, Fauorinum Pompeio faſcia crus *Val. lib. 6. cap. 11.* alligatum habenti, Regias vires exigui panni cauillatione exprobrantem, dixiſſe: Non refert qua in parte

parte corporis ſit Diadema. Hoc ipſum rex Antiochus pannum appellat, exclamans de ſibi oblato, priuſquam capiti imponeret. O nobilem magis quàm felicem pannum, vt eſt apud eundem Valerium, deinde & Stobæum. Regum frontem eo reuinctam fuiſſe, docet Seneca in Thieſte. Florus denique ſcribit, Veſte purpurea, argenteoq; baculo, & regium in morem fronte redimita. *Lib.8.cap.11.* *Stob.ſer.47.* *Senec.* *Flor.lib.3.*

3. Conſtat etiam Perſicos Reges ſtolatos fuiſſe, & vſque ad talos demiſſam veſtem purpuream geſtaſſe. Iuſtinus etenim referr Alexandrum ſuos in luxus Perſici ſocietatē conuocaſſe, his verbis: Amicos quoque ſuos longam veſtem auream, purpureamque ſumere iubet, vt luxum quoque, ſicut cultum imitaretur Perſarum. Hanc Curtius vocat, pallam veſtemq; Perſicam: Plutarchus, ſtolam barbaricam. Xenophon notat Cyrum ad ſacra pergentem prodijſſe cum tiara recta, & Tunica purpurea ſemialba. Alij verò, ſubijcit, ſemialbam habere non licet. Diodorus Siculus putat Semiramidem hoc genus veſtis primam excogitaſſe, cùm iret illi inſtaret ſubitum ac longum. Aſtipulatur his verbis Iuſtinus: Semiramis brachia & crura velamentis, caput tiara tegit & ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum veſtiri iubet: quem morem veſtis, exindegens vniuerſa tenet. Pretioſiſſimam verò illam Regum longam veſtem fuiſſe, multo auro, multiſque gemmis diſtinctam ex ſuperioribus conijcere licet, cùm dicitur, *Aſſuerus reſidebat ſuper ſolium regni ſui, indutus veſtibus regijs, auroque fulgens, & pretioſis lapidibus, &c.* Quin & varijs animalium, auiumque figuris diſtinctam eã fuiſſe Curtius oſtendit, veſtitum Xerxis ita deſcribens: Pallam auro diſtinctam, aurei accipitres, velut roſtris, inter ſe corruerent, adornabant. His addit Philoſtratus, καὶ θηρίων μορφὰς, etiam ferarum animalium figuras. *Iuſtin.lib.12.* *Curt. li.3. & 6.* *Plu in Alex.* *Xenoph li 8. de inſtit. Cyri.* *Diodor. l.11.* *Iuſt.lib.1.*

4. Tunicam præterea, quam patrio ſermone Κάνδυν appellabāt, Reges induiſſe, ex Plutarchi libris, quibus Alexandri vitam & fortunam literis mandauit, ſatis liquet: atq; vt Tiara capitis, ita & Candis corporis cō- *Plutarch.*

mune Perſarum tegmẽ erat. Candys aũt Regum hoc eximiũ ſupra reliquos habuit, quòd murice & conchilio, id eſt, marina purpura tinctus eſſet. Candyn porrò amiculum fuiſſe manicatum, & ex humeris ſuſpenſum, Pollux libro ſeptimo Onomaſticum do-
Diodor.l.17. cet. Diodorus teſtatur Alexandrum è cultu quidem Perſarum veſtem ſumpſiſſe, Candyn autẽ reſpuiſſe.

5. Perſicos reges etiam inaures geſtaſſe, quòd Cyri ſepulcro illatas fuiſſe refert Arrianus. Procopius Cæ-
Arrian.l.7. ſarienſis quoque ſcribit, Peroſam Perſarum regem
Procop.l.1 de bello Perſico. dum moreretur, vnionem candore ac magnitudine conſpicuum, qui ex aure ei dextra pendebat, celeriter proieciſſe, ne quis mortalium eum poſtea ferret.

6. Zona quoque præcinctos Perſarum Reges docet
Curt.lib.3. Curtius, cùm de Dario ſcribit. Cultus regis inter omnia, luxuria notabatur: purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro diſtinctam aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant: & zona aurea muliebriter cinctus, acinacem ſuſpenderat, cui ex gemma erat vagina. Conſentit & Dio-
Diod.lib.17. dorus, ſcribens Alexandrum victo Dario, Diadema Perſicum capiti induxiſſe, & alba tunica cum cingulo Perſarum more, vſum eſſe.

7. Braccis quoque ac feminalibus eoſdem crura ſua velaſſe, teſtis eſt Xenophon, his Cyri ad ſacra facien-
Xenoph.li.8. inſtit.Cyri. da prodeuntis habitum deſcribens: Cyrus prodibat in conſpectum è portis in curru, cum tiara recta, & tunica purpurea, ſemialba, & femoralibus circum cru-
Plin lib. 25. cap. 7. ra, colore hyſgini (plantæ genus eſt, quo color tingitur coccineo ſimilis) tinctis, & toto purpureo candye. Huiuſmodi autem feminalia ſeu braccas ad ge-
Hieron. nua vſque pertigiſſe, ideoque à Græcis περισκελῆ vocatas fuiſſe, docet beatus Hieronymus Epiſtola ad Fabiolam. Idemque refert ex Danielis libro, tres pueros
Dan.3. coniectos fuiſſe in fornacem Babylonicam, cum braccis ſuis, tiaris, calceamentis & veſtimentis, &c. quibus ſatis perſpicitur braccarum vſum etiam Chaldæis & Aſſyrijs vulgatum fuiſſe.

8. Illos etiam ſceptrum aureum geſtaſſe, non modò

hæc

hæc hiſtoria ſacra ſatis indicat, verùm & Cyrus ipſe *Eſther. 3. &*
apertè declarat, his apud Xenophontem, ad Camby- *8.*
ſen, quem imperij ſucceſſorē deſignabat, verbis. Te *Xenoph. li. 8.*
mi Cambyſe, ſcire volo, nō aureum hoc ſceptrum eſ- *de inſtit. Cy-*
ſe, quod regnum tibi conſeruet: ſed amici fideles Re- *ri.*
gibus & veriſſimum & tutiſſimum ſceptrum ſunt.
Atque hæc de inſignibus & veſtibus regum Perſico-
rum: nunc quibus donis ac honoribus bene de ſe me-
ritos augerent, perſequendum.

9. Perſarum Reges eos qui fortiter quid ac præclarè
geſſerant, ac de ſe, aut republica bene meriti erant, lar
giter prolixeque remunerabantur. Illos patria lingua
OROSANGAS appellatos Herodotus tradit. Et
ne cuiuſquam eorum meriti memoria intercideret,
ſolebant OROSANGARVM nomina in com-
mentarios publicos referre, vti de Mardochæo ſupra *Eſther 3. &*
commemoratum eſt. Conſentit Herodotus, hæc de *6.*
quodam Phylaco, qui pro Perſis aduerſus Græcos e- *Herot lib. 8.*
gregiè pugnauerat, ſcribens. Phylacus inter bene de
Rege meritos aſſcriptus eſt, & multo tractu ſoli dona
tus. Bene meriti autem de Rege, Perſica lingua ORO-
SANGAE vocantur.

10. In primis autē pro ſummi amoris & honoris teſſe
ra quoſdam eorū Rex magnus oſculabatur. Nam ita
Darium oſculo excepiſſe Zorobabelem, qui de verita *3. Eſd. 4.*
tis vi præſtantiaq; diſſeruerat, ſcribitur in tertio libro *Li. 11. cap. 4.*
Eſdræ, cui etiā Ioſephus conſentit in antiquitatibus. *Orat. de Age*
Xenophon quoq; teſtatur more inter Perſas receptū, *ſilao.*
oſculari eos, quos in honore habebant. Ob idq; Cy- *Idem li 5. de*
rus Cyaxari auunculo & Regi occurrens, de equo de- *inſtit. Cyri.*
ſcendit, vt de more oſcularetur eum, quamquam præ *Lib. 1. de in-*
quadam inuidentia Cyaxares tum recuſauerit, poſtea *ſtit.*
tamen placatus oſculum admiſit. Ex eodem rurſum *Herod. lib. 1.*
Xenophōte ſimul & Herodoto apertè colligitur, Per-
ſas abeuntes cognatos & amicos oſculo dimiſiſſe, e-
oſdemque redeuntes oſculo excepiſſe pro vniuerſæ
gentis more.

11. Quoſdam auri & argenti magna copia, inſuper
præclaris ædibus ad inhabitandum donabant, deni-
que & propriæ regiæ menſæ participes reddebant.

Herodot.l.3. Refert enim Herodotus, Darium regem Democedi Croroniati medico, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, magnam gratiam retuliſſe. Siquidem vinculis, quibus ab Oroore ſatrapa onuſtus fuerat, liberatum, duobus aurearum compedum paribus donauit: deinde per Eunuchos ad ſuas coniuges eũ deduci iuſſit, eiſdem ingerentes: Hunc eſſe, qui reſtituit animam Regi. Tunc earum ſingulæ auream phialæ thecam ſuffringentes, Democedem donauerunt tam amplo munere, vt excidentes ex percuſſione phialarum ſtáteres, famulus qui ſequebatur, nomine Scitoba, inde non paruam auri ſummam collegerit. Deinde Súſis (inquit Herodotus) maximas ædes obtinebat, & cum Rege ad menſam ſedebat, omnibus rebus affluens, præter hanc vnam, quod in Græciam redire nón poterat. Syloſontem quoque idem Darius immenſo auro argenroq; remuneraturum ſe offert, pro amiculo rutilo, quod ante regnum adeptum, ab illo gratis acceperat.

Aelian.lib.1. de varia hiſt. 12. Arraxerxes, qui Mnemon cognominabatur, Sinetæ ruſtico, qui ei ſitienti aquam ex Cyro flumine manibus obtulerat, miſit ſtolam Perſicam, phialam auream, atque mille Daricos, ſimulque hæc dona ferentem dicere iuſſit: Viſum eſt Regi, vt hoc auro animum tuum oblectes & exhilares. Vult etiam, vt hac phiala aquam ex illo fluuio hauſtam bibas. Alium rurſus ob malum punicum ſibi oblatum, miſſis regijs muneribus ornauit. *Plutar. in vita Themiſtoclis.* Hippocratem ſummum medicum, miſſis literis ad ſe euocans, pollicebatur iiſdẽ cum honoribus ſe affecturum, quibus præſtantiſſimi quique Perſarum: futurumq; eum ex præcipuis, honoratis, & optimis amicis.

13. Aelianus rurſum ſcribit Munera quæ rex Perſarum dono dabat venientibus ad ſe legatis, ſiue ex Græcia, ſiue aliunde aduenſſent, hæc erant. *Lib.1. de varia hiſtoria.* Vnicuique talentum Babylonicum argenti præſtantiſſimi. Item armillas, & acinacem dabat, & torquem: vniuerſa hæc mille Daricis æſtimata. Ad hæc, ſtolam Medicam, quam Dorophoricam appellant. *Herodot.l.3.* Herodotus author eſt, communi principum Perſicorum con-

rum conſilio, Othani primo ex magicîdis, præmium decretum eſſe, vt poſteri Medica quotannis veſte de publico, donarentur. Xenophon quoque tradit, Cyrum amicis & ſatrapis ſecum ad ſacra pergentibus, Medicas veſtes largitum. Xerxes etiam Acanthios Medica veſte donauit, quòd ipſi in bello ſtrenuam operam, vt eſt apud Herodotum, manaſſent. *Lib.8. de inſtit.* *Herod.lib.7.*

14. Fuiſſe & apud Perſas ſummum honorem, Regis authoritate torquem aureum de collo geſtare; item, vti aureis armillis, & acinaci aureo, alioque eximio cultu ornari, docet hic Estheris hiſtoriæ locus, quo imprudentis Hamanis conſilio, Aſſuerus his honoribus Mardochæum affeciſſe dicitur. Comprobat Eſdras, ſcribens tres regios ſtipatores de his muneribus à Rege capiendis conueniſſe: *Dicamus vnuſquiſque noſtrum ſermonem qui præcellat; & cuiuſcunque apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi rex Darius dona magna: purpura cooperiri, in auro bibere, ſuper aurum dormire, currum aureo freno, cidarim byßinam, torquem circa collum, & ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapientiam ſuam, & cognatus Darij vocabitur.* Xenophon Cyrum & alios reges Perſicos à liberalitate celebrans, ſcribit: Cui palã ſunt opulentiores amici, quàm Perſarum regi? Quis illo Rege ſuos pulchrius ornare ſtolis videtur? Cuius munera eiuſmodi eſſe cognoſcuntur, qualia ſunt Regis illius nonnulla, armillæ, torques, equi frenis aureis inſignes? Non enim apud Perſas hæc habere cuiquam licet, cui ea Rex non donarit. Idem rurſus libro primo de expeditione Cyri, ſcribit quendam Artapatam Cyro fidiſſimum & chariſſimum, aureum acinacem, torquem, armillas, & alia Perſarum præſtantiſſimis conceſſa ornamenta geſtaſſe. Plutarchus quoq; ſcribit Mithridatem præclara veſte, auro multo, torque, armillis, & acinace aureo ab Artaxerxe donatum fuiſſe, ob egregiè nauatam in bello aduerſus Cyrum iuniorem, operam. *Eſther.6. & 7.* *3.Eſdræ 3.* *Xenoph.li.8. de inſtit. Cyri.* *Xen.lib.1. de expedit. Cyri.* *Plutar.in Artaxerxe.*

15. Quinetiam, eis quos amore & beneuolentia cõplectebantur Reges Perſici, oppida ciuitateſq; opulentas dono concedebant, ex quorum reditibus alerentur &

tur & ornarentur. Themiſtocli namque ſupra ducenta talenta, à Xerxe datæ ſunt tres ciuitates, quarum è reditibus panem, vinum, & obſonia pararet, videlicet, Magneſia, Lampſacus, & Myuntis. Duæ additæ ad veſtem ſtragulam & amictum, nimirum Percos & Palæſcepſis, vt author eſt Plutarchus. Magnus Cyrus, inquit Athenæus, Pytharco ſuo familiari ſeptem vrbes largitus eſt, Pedaſum, Olympium, Camantium, Sceptra, Artypſum, Tortyram. Demaratum Lacedæmoniorum regem ad ſe confugientem, Darius excepit magnificè, ait Herodotus, territorioq; ac vrbibus donauit. Idem Syloſonti Samio, ipſam vrbem, & inſulam Samiorum fruendam conceſſit, vti referunt Valerius lib. 5 Strabo lib. 14. ac Herodotus libro tertio. Artaxerxes Antalcidæ Laconi coronam capiti detractam, dein vnguento pretioſiſſimo delibutam & perfuſam miſiſſe; inſuper, & lectum argenteis pedibus, & vaſa, & veſtimenta, & multa alia ornamenta aurea contuliſſe, adfirmant Athenæus & Plutarchus. Xerxes præter alia multa, molam auream, ſex talenta pendentem, dono dedit Megabyzo, cuius opera Babylonem ceperat, &c. Et de his iam ſatis: ad colloquium Aſſueri & Hamanis redeamus

Plut. in Themiſtocle.

Athen. lib. 1. cap. 27.

Herod li. 6.

Haman ergo ambitu faſtuque incredibili tumidus, interrogatus quibus honoribus afficiendus eſſet is, quem Rex impenſius amaret, ſuperiora omnia ornamenta iam ſpe deuorans, ſibique pro certo etiam dignitatem regiam repromittens, honores omnium maximos & præſtantiſſimos ei, quem ſic Rex condecorare vellet, deferendos & conferendos conſulit. In quo perſpicis quàm cæcum & prauum ſit cuiuſlibet hominis ambitioſi ingenium. Seipſum ſolum miratur & ſuſpicit, ſeipſum duntaxat omni honore ac reuerentia dignum exiſtimat, ſibi omnia deberi putat: reliquos omnes velut obſcuros, abiectos, & viles aſpernatur. Sed bene habet, quod eſt Deus in cælo, qui ſuperbos irridet, contemnit, iudicat, deturbatque de ſedibus ſuis: humiles autem glorificat: vt diſcant omnes moderatè de ſeipſis ſapere, ac me-

ac mediocribus contenti eſſe. *Superbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent, Vbi eſt?* Superbiſſimo Babyloniorum regi, & in corde ſuo dicenti, *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum:* econtrario dicitur, *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Ad inferum detraheris in profundum laci.* Sennacherib, Holofernes, Cambyſes, Pharao, vnus & alter Herodes, Antiochus, Alexander, Caius, plerique alij, qui diuinos etiam ſibi honores vſurpare conati ſunt, horrendis cladibus afflicti, ſublatique de medio, vniuerſo huic mundo oſtenderunt ſuperiores Dei aduerſus ſuperbos comminationes, haudquaquam eſſe falſas aut vanas. *Iacob. 4. 1. Pet. 5. Iob. 20. Iſa. 14.*

HAERESIARCHARUM ambitus.

QVanta etiam honorum ac ſublimium dignitatum cupiditate exarſerint omnium ætatum ac ſeculorum hæreſiarchæ, quantoque primatus amore flagrauerint, palam recitant hiſtorici. Certè, vnam omnium ſectarum matrem eſſe Superbiam, appoſitè docuit eſſe Auguſtinus: ſicut vna mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos genuit. Idemq; omnium hæreſeon fontem velut digito demonſtrans, ait: Hæreticus eſt, qui pro alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia, falſas ac nouas opiniones gignit vel ſequitur: Hieronymus quoq; docens Arrogantiam eſſe matrem hæreſeon, ſcribit. Quis hæreticorum, non in ſuperbiam extollitur, Eccleſiæ ſimplicitatem paruipendens; & fidem, imperitiam reputans? Enimuerò ſatanica planè ſuperbia Simon Magus (vt eſt apud Iuſtinum & Irenæum) inter Iudæos voluit haberi vt Filius Dei; inter Samaritanos, vt Pater: in reliquis verò gentibus, quaſi Spiritus *Aug. l. 2. cõt. ep. Parm. c. 3. Li. de vtilit. credendi, c. 1. Hier. comm in Abdiam. Iuſtin. Apolog. 2. Iren. lib 1. c. 20. & 21.*

Tertull. l. de præſcript. Spiritus Sanctus. Menander huius ſucceſſor, pro Saluatore hominum ſeſe venditauit; immortalitatem eis promittens, qui in ſe crederent. Valentinus Tertulliano teſte, ſperauerat Epiſcopatum. Sed alium ex martyrij prærogatiua loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit, vt ſolent animi pro prioratu exciti, præſumptione vltionis accendi, &c. Theobutes, inquit Euſebius, quia repulſam meruit Epiſcopatus, cœpit perturbare omnia. Tatianus (ſcriptore Hieronymo) inflatus eloquentiæ tumore, nouã condidit hæreſim, quę Encratitarum dicitur. Nouatianus quoque Romanæ vrbis presbyter, aduerſus Cornelium cathedram ſacerdotalem conatus inuadere, Nouatianorum dogma conſtituit. Manichæis exprobrat Auguſtinus, quòd Manes, eorum princeps nunc ſeſe Apoſtolum, mox etiam Spiritum Sanctum confinxerit: ipſi quoque diem mortis illius celebrarent; denique, per dominum ſuum Manichæum, velut per aliquod numen iurarent. Idem rurſus ſcribit, Aërium ambiuiſſe Epiſcopatum, quem cùm obtinere non potuit, vt par nihilominus Epiſcopis videretur, aſſeruiſſe ſacerdotes pares eſſe Epiſcopis, & alias hæreſes. Arius videns Alexandrum ſibi in Epiſcopatu Alexandrino prælatum, inuidiæ ac ſuperbię flammis accenſus, aduerſus Chriſti deitatẽ inſurrexit. Et de Arrianis ſcribit Athanaſius: Pro Chriſto, apud illos Arrius eſt: vt apud Manichæos, Manichæus. Patres concilij Antiocheni intolerandam ſibi fuiſſe Pauli Samoſateni ſuperbiam, arrogantiam, & iactantiam tam priuatam quàm publicam, Epiſtola ad Dionyſium Papam in ore atque oculis omnium profitentur. Neſtorius (an Socrates) veterum interpretum libros verſare noluit: ſed ſeipſum omnibus præſtantiorem & doctiorem exiſtimauit, &c.

Lib. adu Valent. cap. 4.

Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 22.

Hieronym in Catalog.

Idem ibidẽ.

Aug. li cont. Epiſt. Manich. & l. 19. cont. Fauſt. c. 22.

Li. de hæreſ.

Theodoret. l. 1, hiſt. cap. 2.

Athan. orat. 2. adu. Arrian.

Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 26.

Socr. l. 7. hiſt. cap. 32.

Verùm, cæteris veteribus hæreſiarchis prætermiſſis, quàm grauis & intolerabilis ſit poſteriorum arrogantia & inſolentia, ex vno eorum principe, paucis oſtendamus. Lutherus ſuperbiam ſuam planè Satanicam his verbis efflat: *Ego aduerſus dicta Patrum, & Angelorum*

gelorum pono Euangelium. Hoc enim ſpecioſo pallio hę-reſeon ſuarum fœditatem & turpitudinem operit. *Hîc ſto, hîc ſedeo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc inſulto Papiſtis, & omnibus dictis hominum quantumlibet ſanctorum. Nihil curo ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ cõtra me ſtarent. Doctrinam meam nolo iudicari à quocunq;, nec ab Epiſcopis, nec ab Angelis omnibus, &c.* Quæ impudentia, quis faſtus, quę inſolentia, huic poteſt comparari? Quis vnquam dæmonum, omnibus Sanctis, toti Eccleſiæ, vniuerſis beatis Angelis, tam arroganter & contumelioſè ſeipſum antepoſuit, atque hic impurus & furioſus apoſtata. Nec prudentius aut moderatius ſenſerunt illius diſcipuli, quando eundem, nec ſine grauibus blaſphemijs, cunctis Prophetis, Euangeliſtis, diſcipulis, imò & Apoſtolis, ſi vnum vix Paulum exceperis, præferentes, canunt:

Lut. l. contra Régem Angl. & Prologo libri adu. Eccleſiæ ſtatũ.

Cyriac. Spangenbergius.

Chriſtus habet primas, habeas tibi, Paule, ſecundas:
Aſt loca poſt illos proxima Luther habet.

An non hæc arrogantia & ſuperbia, omnem Hamanis faſtum ambitumque ſuperat? Hic quidem veſtem, equum, & diadema regium ſibi poſtulat; inſuper ab eximio quodam principe per Suſorum plateas circunduci & prædicari: ille verò mille Auguſtinis, mille Cyprianis, mille Eccleſijs ſemetipſum anteponit, ſuper Apoſtolos ac Euangeliſtas extollitur, omnibus ſanctis inſultat, neque ſeipſos beatiſſimos Dei Angelos ſuperiores aut maiores eſſe cupit. Quid ſupereſt, niſi vt cum ipſo Satana dicat, *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſsimo?* Sed aderit, aderit citò Chriſtus, qui æquiſſimo iudicio ſuo illatas Sanctis ſuis contumelias iſtas vindicabit; & tantam inſolentiam, ſuperbiam, & contumaciam detrudet ad inferos. *Iſa. 14.*

Hîc etiam conſpicimus diuinæ ſolicitudinis ac prouidentiæ erga Sanctos mirabiles effectus. Regum corda inflectit, vt de his tũ honorandis cogitent, cùm magis ſunt abiecti: hos ſeruent, cùm alij perdere feſtinant: & qui ſummo odio illos proſequuntur, inſcij ac imprudentes in fauorem & gloriam eorum pronuncient,

nuncient, vt hoc loco Haman pro Mardochæo. Erigant ergo animos omnes pij, nec vnquam propter rabiē, ſummamq́; Tyrānorum potentiam ac violentiā, deficiant, aut de auxilio diuino deſperent. Enimuerò, Viuit adhuc Chriſtus, regnat, & regnabit in æternum, atq; hoſtes omnes ſub ditione premet. Qui Neronis, Domitiani, Decij, Diocletianiq́; conatus impetuſq́; in familiam ſuam olim repreſſit, poterit & nouiſſimorum Eccleſiæ Catholicæ perſecutorum ferocitatem
Iſa. 11. comprimere. Et qui ipſum caput omnium impiorum
2.*Theſſ.*2. Antichriſtum interfecturus eſt ſpiritu oris ſui, præcurſorum eius dolos fraudeſq́ue facilè ſubuertet atque diſſipabit. Quod ſi ad tempus permiſerit ſeruos ſuos ſub cruce exerceri, aliquando etiam trucidari: tamen Eccleſiam & Religionem ſuam inuiolatam conſeruat, & pro his conſtanter dimicantes in cæ-
Ioan. 12. leſti vita gloriaque coronat. *Qui perdiderit animam ſuam propter me*, ait ille, *in vitam æternam cuſtodit eam*: Sed quid ad conſilium Hamanis Rex Aſſuerus.

10. *Dixitq́; ei Rex: Feſtina, & ſumpta ſtola & equo, fac vt locutus es Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij. Caue ne quicquam de his quæ locutus es, prætermittas.*

11. *Tulit itaque Haman ſtolam & equum, indutumq́ue Mardochæum, in platea ciuitatis, & impoſitum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus eſt, quemcunque Rex voluerit honorare.*

PRIMVM hîc animaduerte diuinum conſilium, quo certè omnia iſta reguntur. Feſtinare iubetur Haman, & illicò cuncta quæ dixerat, & ſibi ſperauerat, deferre Mardochæo; tantaq́ue celeritate ac promptitudine, vt reſpirandi, aut cum ſuis conſultandi, aut excuſationes confingendi & adferendi nullus ei locus concederetur. *Fac*, inquit, *vt locutus es, & ne cadere facias quicquam ex omnibus quæ locutus es.* Nam

Nam ſi vel leuiter ſuboluiſſet agi de Mardochæo, longè aliud dediſſet conſilium: vel ſaltem morbum finxiſſet, ne tanto honore hoſtem ſuum afficere cogeretur. Quo loco diſcant principes & magiſtratus, ſibi magna diligentia curandum eſſe, vt quæ iuſtè & piè conſtituta ſunt, promptè ac ſtudioſè exequantur. Nam protractæ diutius moræ rebus multis negligentiam, mutationemque frequenter adferunt. *Tolle moras*, inquit Poeta, *nocuit differre paratis. Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.* Si celeritate vſi eſſent Principes Catholici, iam nullum bellum aduerſus hæreſes haberet Europa, &c.

Diligenter autem expende mutationem dexteræ Excelſi. Haman in aulam venerat, vt Regis authoritate Mardochæum ignominioſa morte tolleret: hunc autem in regia magnificentia omnibus oſtentare & prædicare compellitur. Venerat vt in altiſſimam crucem affixum eum cum omni probro in ſublime leuaret: contrà verò ſplendore regio eundem exornare, equo regio imponere, & regi chariſſimum ſpectatiſſimumque palam prædicare compellitur. Venerat, vt diſcrimen capitis eidem adferret; & regio diademate caput eius redimire atque decorare neceſſe habuit. Grauiter ferebat eum ad portas regias ſedere: nunc eius in Regem præclara beneficia vel inuitus prædicat: Putabat ſuſpenſo Mardochæo, læto ſe animo conuiuium initurum: ſed mœrens dolenſque domum ſuam repetit, ac præ pudore hominum oculos lucemque ipſam fugitat. Ergo nec omnia, nec ſemper, negotia impijs ſuccedunt ex animi ſententia: ſed Deus eſt in cælo, qui fluxum voluptatum & felicitatum eorum frequenter retardat, nec continuò ex deſtinato fluere ſinit. *Noli ergo æmulari in malignantibus, &c. Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & tanquam olera herbarum citò decident.* Pſalm. 36. *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.* Pſal. 48. *Lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio, & Dominus diuidet dolores furoris ſui.* Erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit. Iob. 21.

Ob cre-

Ob crebras de cunctis aliis gentibus victor[illegible]
Iſa 47. leſcenti Babyloni dicitur: *Veniet ſuper te malum, [illegible] ſcies ortum eius: & irruet ſuper te calamitas, quam non pot[e]ris expiare: veniet ſuper te repente miſeria, quam neſcies.*

Contemplare rurſum, quàm longè abſunt frequenter impij ab eo quod animis ſuis conceperint & deſignauerant, ſpeque ſua fruſtrentur. Pharao dicebat, He-
Exod. 15. bræos perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Sed flauit Spiritus Domi-
Gen. 4. ni, & operuit eum mare, &c. Cain totius mundi hæredem ſe ſolum futurum iudicabat, ſi fratri necem intuliſſet: eo verò trucidato, in eodem profugus & va-
Gen. 37. gus eſt effectus. Fratres Ioſeph ipſum necare, denique alienis venundare ſtuduerunt, ne aliquando coma doraret, vt ſomnia præſagiebant: ſed his medijs co-
Ioan. 11. acti illum ipſum coluerunt. Annas & Cayphas loci & gentem ſeruaturos ſe putabant, ſi Chriſtum mor-
Pſalm. 93. te affeciſſent: contrà verò cuncta euenerunt. *Non Do-*
Pſal. 32. *minus* [illegible]
Ioh. 5. [illegible]

[illegible]

[illegible] Mardochæum [illegible] [illegible] Thraſoni [illegible] [illegible] Sic Deus [illegible]

1 Reg. 20. [illegible]
Matth. 20. [illegible]
Ioan. 11. [illegible] Chriſti [illegible]
[illegible] [illegible]
Act. 10. [illegible]

[illegible]

ſtificari,eiſdemq; in multis obaudire cõpulſi fuerũt.

Diſcant interea ſubditi; Hamanis huius exemplo, quàm diligenter legitimis principibus ac magiſtratibus in rebus honeſtis ac licitis obedire debeant. Qui ſi duri ſeueriq; nonnunquam videantur, & mandata eorum grauia & difficilia; memoria tamen repetendum eſt,illos à Deo conſtitutos eſſe:& qui his reſiſtit; *Rom.13.* Dei ordinationi reſiſtere,atque damnationem ſibi acquirere.Quod ergo Haman præſtat, ne odium Regis Perſici incurrat,& excidat aula:id nos præſtare oportet,ne iram Dei omnipotentis in capita noſtra accerſamus,& regno cælorum excludamur.

Diligentiſſimè denique perpende,quàm in agendo ſunt afri,ſunt veteratores,ſunt ficti ac ſimulati, planèqu. Prothei,viri aulici,ſimileſque filij huius ſeculi.Ita ſe in omnes formas vertunt, callideq; ſimulant & diſſimulant omnia,vt etiam prudentes alioqui ac pios viros non rarò decipiant & fallant. Cùm prodeſſe volunt, tum omne obſequium præſtare velle videntur,ac veluti traditoris Iudæ diſcipuli oſcula chariſſima & arctiores cõplexus offerunt. Vtuntur verbis *Matth.26.* *Pſalm 54.* oleo mollioribus, melleq; dulciorib⁹ ad homines inescandos & fallendos; ipſi aũt ſunt ſpiculis & iaculis nocentiores. *Loquuntur pacem cũ proximo ſuò,mala autem* *Pſalm.27.* *in cordibus eorum.* Illos amplectuntur & honorãt,quos extinguere conantur; ſicut Ioab excipiens Abnerum *2.Reg. 3.* & Amaſan,hos turpi proditione ſuſtulit. Quis neſcit *& 20.* Hamanem pluſquam Cainico odio Mardochæum proſequutũ fuiſſe, cùm & crucem excelſam ei paraſſet,in eumque finem veniſſet in aulam,vt eum perderet?Quin & in eius odium,totam Hebræorum gẽtem deleturum ſe conſtituiſſet? Nunc tamen, quia Rex præceperat, vt eiuſdem Regis gratiam ſeruaret, iram altè premit,odium diſſimulat,contra morem ſe humiliat,& obſequentiſſimũ Mardochęo Iudęo ſe præſtat; cuius viſcera libens dilaceraſſet.Prophanis itaq; nobilicaſtris & aulicis non eſt temerè fidendũ: quos ad omnem fraudẽ videmus eſſe comparatos,& vni perfidiſſimo impijſſimoq; Machiauello plus habere fidei,quàm Chriſto vel Apoſtolis eius.

12. *Reuerſusq́ eſt Mardochæus ad ianuam palatij: & Haman feſtinauit ire in domum ſuam, lugens & operto capite.*

13. *Narrauitq́ Zares vxori ſuæ, & amicis omnia quæ eueniſſent ſibi. Cui reſponderunt ſapientes quos habebat in conſilio, & vxor eius. Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere; ſed cades in conſpectu eius.*

VIDES, impijs tandem mala, pijs autem bona & felicia diuino conſilio repoſita eſſe? Mardochæus pro ſua fide & pietate tandem aliquando etiam in hoc ſeculo multiplici augetur honore & gloria: Hamanis ſuperbia & impietas confunditur tanta ignominia & dedecore, vt cum luctu & confuſione in penetralia domus ſuę laciturus ſeſe nunc proripiat. Stude ergo pietati ac virtuti, & de illarum iuſto præmio ac mercede nunquam dubites: ſin verò malum feceris, time. *Nam ſtatim in foribus peccatum tuum* (i. peccatis tuis debita pœna) *aderit. Vtique eſt fructus iuſto, vtique eſt Deus iudicans homines in terra.* Quod ſi ad tempus videatur cum vtriſque diſſimulare, & omnia ęquè eueniant iuſto & impio, ſacrificanti & ſacrificia contemnenti, non propterea tamen deſpondeas: ſupereſt enim iudicium illius tam ſingulare vnicuique, quàm commune & vniuerſale cunctis, in quo *reddet vnicuique iuxta opera ſua.*

Geneſ. 4. Pſalm. 57. Pſalm. 61. Rom. 2. 1. Cor. 3.

Intuere verò quàm diuerſi, quamq́; diſſiti à ſeipſis fuerint Mardochæi & Hamanis mores. Mardochæus exutis veſtibus regijs, reſtitutoque diademate & equo, ſepoſita omni pompa; pro conſueta moderatione proprias veſtes reſumpſit, *reuerſuſque eſt ad ianuam palatij*, ad omne officium obſequiumque paratus, nihilo ſuperbior aut elatior propter nouos honores delatos & aſſumptos. Deinde, hac ſorte ſua contentus ad maiores non aſpirat ardentius, non petit importunè, potioribus non inuidet, inferioribus non

in-

inſultat, æqualibus non faceſſit negotium, hoſti ſuo Hamani non minatur: ſed ſeipſum, ſuaque omnia diuinæ prouidentiæ committit. Sic ſolent pij Deumque timentes in ſummis honoribus non ſuperbire, non ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper ſe: ſed humiliter ſentire, conſuetamque modeſtiam conſeruare. Ioſeph ſecundus à Pharaone ærumnoſos ac pannoſos fratres non eſt aſpernatus: ſed agnouit & fouit humaniſſimè: ſenioq; confecto patri pergens obuiam, baſia obtulit, omnem veneratione̅ exhibuit, & Regi AEgyptiaco commendauit. Daniel cunctis Babyloniorum & Perſarum ſatrapis præfectus, nullum ſuperbiæ vel arrogantiæ ſignum præbuit. Dauid deuictis omnibus hoſtibus, & regnu̅ adeptus clamat: *Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Chriſtus rediuiuus, mortis & inferorum triumphator, pauperculos piſcatores Apoſtolos ſuos no̅ deſpexit: ſed & loco fratrum habuit, & donis multó amplioribus quàm antea cumulauit. Hinc Sapiens: *Rectorem te conſtituerunt: noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.*

Pſalm.130.
Geneſ.44. 45.46.
Dani.1.&6.
Pſalm 115.
Ioan. 20. 21.
Eccli.32.

Sed quid Haman? In proſperis inſolentiſſimus & crudeliſſimus; in aduerſis verò adeo fractus & deiectus, vt quò ſe vertat, neſciat. Confuſus igitur in conſcientia coram Deo & hominibus, mœret, luget, opertúſq; capite, quaſi nemine̅ auſus eſſet aſpicere, in domum ſuam citiſſimè properat. Ibi compellitur homo ſuperbiſſimus coram vxore & conſiliarijs enarrare miſerabilem inſperatumq; fortunę ſuę caſum. Nimirum, quàm imprudens conſilium dediſſet de honorando eo cui rex bene vellet, quod fuiſſet compulſus Mardochæu̅ cultu regio honorare, circunducere, prędicare, eidem nocendi omnem ſpem amittere, &c.

In quibus nota̅dum, inter omnes ferè gentes more receptu̅ fuiſſe, in ſummo mœrore & dolore ita caput faciemq; obuelare, oculos vel deprimere vel claudere, quaſi vel ipſam ſolis co̅munem lucem pudor eſſet intueri. Dauid certè Hebraici populi moderator, Abſalonem fugiens inceſſit nudis pedibus, & facie velata, intimam animi triſtitiam indicans. Ezechiel imminente triſtiſſima populi ſui captiuitate, iubetur

2.Reg. 15.
Ezech. 12.

Ierem.14. facie velata incedere. Ieremias refert iuniores miſſos à ſenioribus vt aquam haurirent, nō inuenta redijſſe opertis capitibus. *Curt.lib.4.* Curtius refert Darium vxorem defunctam diu fleuiſſe, capite obuelato. Hodie in funeribus amicorum & præſtantium virorum, veſtes ſumuntur lugubres, quibus facies & oculi teguntur, &c.

Conſidera deinde, quomodo non ſoli Hamani, verùm & vxori, & amicis eius omnia cōtra ſpem contigerunt. Conuenerant in domū eius ſummo manè, vt de ſuſpendio morteq; Mardochæi congratularentur, miſero inſultarent, triumphos agitarēt, ſuam deniq; in Iudæos inuidiā & rabiem explerent. Contrà verò, nunc audiunt illum Regi beneficum, chariſſimum, honoratiſſimum: & Hamanem coactum eidem inſeruijſſe, veluti meritis, dignitate, omnibuſq; modis inferiorem. *Iudic.16.* Sic quondam Philiſtæis ad tria millia congregatis, vt Samſonem irriderent, accidit vt domus caſu fragoreq; vnà cum ipſo miſerabiliter deperirent. *Iob.8.* Rectè in libro Iob ſcribitur: *Spes hypocritæ peribit.* Et *Iob.11.* rurſum: *Oculi impiorum deficient, effugium peribit ab eis,* *Prouerb.10.* *& ſpes illorum abominatio animæ.* Et Salomon: *Expectatio iuſtorum lætitia, ſpes autē impiorum peribit.* Et rurſum: *Spes* *Sapient.5.* *impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* Quibus magis caducis, magiſque leuibus ac incertis rebus impiorum vota comparaſſet?

Non tamen in eo errat Haman, quod afflicti conturbatique animi ſui pondus in ſinum vxoris & amicorum ſuorum effundit. Quibus enim iuſtius id feciſſet? Tametſi namque amici & propinqui nec ope nec conſilio illicò nos adiuuent; neſcio tamen quî fiat, vt vel patefacto illis mœrore noſtro, melius nos habere, ac velut grauiſſimo quodam pondere leuati nobis ipſis videamur: cùm è contrà, illi qui dolorem ſuum ſilentio inuolutum intus coquunt, in acutiſſimos corporis & animi morbos incidant. Sed in hoc grauiter errat, quod ſibi ipſi ſciens prudens calamitatem attrahat, cùm vitam ab omni hac moleſtia alienā

viuere

viuere potuiſſet. Quid enim? Si non odio Mardochæi ac populi diuini flagraſſet, ſi non ambitione & arrogantia tumuiſſet, ſi non cuiuſdam numinis inſtar à cunctis adorari cupiuiſſet; adeo illi non graue hoc quicquid erat honoris præſtare accidiſſet, vt potius, quòd ita Rex imperaſſet, ſummæ ſibi id voluptati duxiſſet. Sed quod nulla laceſſitus iniuria, furenter in hominem innocentem ferretur, iuſtiſſimas ambitus, inuidiæ, ac iniuſti odij ſui pœnas ſibi accerſit. Adeò verum eſt, quod fusè diſputat Chryſoſtomus, Neminẽ lædi niſi à ſeipſo. Fontem omnium malorum humanorum, in hominibus ipſis, non alibi, conſiſtere. Vnumquenque fortunæ ſuæ fabrum eſſe. Quoſdam ad ſe lites, iurgia, pericula, mare malorum attrahere, vt Cæcias nubes. Hunc enim ventum, præter aliorum omnium morem, nubes ad ſe contrahere volunt Ariſtoteles & Plinius: ex quo natum eſt prouerbiũ in eos qui odia, bella, variaq; incommoda ſibi ſua ſponte accerſunt. Quibus ſimilia ſunt iſta: Turdus ipſe ſibi malum cacat. Ipſe ſibi mali fontem reperit, &c. Nõ ergo in cælum, non in cæcam fortunam, non in quaſdam alias cauſas ſecundas, multo minus in Deum Patrem noſtrum optimum & maximum referamus malorum noſtrorum principium, non hunc accuſemus blaſphemantes: ſed peccata & ſcelera noſtra. *Ariſt. lib. de mundo. Meteorol. & Problem. Plin. lib. 2. cap. 47.*

Sed quid conſilij, quid ſolatij, ab vxore & amicis Haman conſequutus eſt? *Si de ſemine Iudæorum* (inquiũt) *eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere: ſed cadendo cades ante eum.* Quid ita? Experientia, publicaque fama vulgatum eſt, Iudæos Deum præpotentem colere, qui eos ſeruet *vt pupillam oculi ſui*: tumque victores eſſe, cùm victi videntur: & frequentiores repullulare, quando ſtirpitus exciſi putantur. Sed vnde hoc vobis notum & compertum, viri Medi & Perſæ, quod Iudæi, quantumuis oppreſſi, mox emergant? Non ita pridem contigerat inter Chaldæos & Perſas, vt tres pueri Iudæi in fornacem coniecti, incolumes euaderent, conſumptis igne flammarum miniſtris: Daniel à ſycophantis aulicis ad leones proiectus, mirabiliter ſeruaretur, laceratis ferarum dentibus eiſdẽ *Pſalm. 16. Zach. 2. Daniel. 3. 6. & 14.*

calumniatoribus. Lingua porrò Chaldaica iſtæ extabant hiſtoriæ conſcriptæ, & inter multos vulgatę. Accedit quod & Iudæi inter gentes diſperſi, fideli narratione referebant magnum illud & conſtans fœdus, quod Deus omnipotens cum Abrahamo patre ſuo & ſemine eius ſanxiſſet, dicens; *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi Qui tibi maledixerit, erit maledictus.* Quomodo autem nõ cadere vinciq; poterit, qui ipſius Dei omnipotẽtis ore maledictus & execratus eſt? Sequentibus autem temporibus id plurimis & ſtupendis miraculis confirmaſſet, liberans eſt de Aegypto, Rege eorũ ſubmerſo cum exercitu: ſeptemq; Chananæorũ gentium fortiſſimis Imperatorib. proſtratis. Præclarè enim ſenex Tobias tot Iudaicorũ exiliorũ præcipuum finẽ his cõprehendit: *Confitemini Domino Filij Iſrael, & in cõſpectu gentiũ laudate eum. Quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.* Iſthęc ergo cùm nõ ignorarent hi Sapientes Hamaniſtæ, palã profitentur Iudęos Dei ſui fœderi addictos miſoſq;, prorſus eſſe inuictos ac inſuperabiles. Quid autẽ huic ſuperbiſſimo homini infelicius ac moleſtius dici potuiſſet? Et tamen hæc audire cogitur ab vxore, ab amicis, à conſiliarijs & ſapientibus: inſuper, ea credere vt veriſſima & certiſſima: denique expectare ſibi tunc impendentia grauiſſima mala: quippe qui non ſoli Mardochæo, ſed & vniuerſo populo Dei poſtremum ac crudele exitium procuraſſet.

Gen. 12.

Tob. 13.

Ex his autem primùm aduerte, præpoſtera horum amicorũ & propinquorum Hamanis colloquia atq; conſilia. Ante enim cum adhuc Haman floreret, Mardochęus verò abiectus eſſet, illius cupiditatibus ſeruientes, inflammabant iam plus æquò accenſum, ad inferendã innocenti Iudæo necem, cùm reſtinguenda fuiſſet eius iracundia, & reuocandus à crudeli inſtituto, propterea qđ Iudæi perpetuo Dei viuentis auxilio ſunt inuicti: & qui aduerſus eos inſurgũt, Deũ ipſum hoſtem & vltorẽ tandem experiuntur. Nunc aũt cùm Mardochęus collocatus eſt in excellenti loco dignitatis, &

[illegible] Haman nonnihil à ſua amplitudine deiectus, amici non conſolantur eum, nec oſtendunt rationẽ euadendi periculi; quod tamen Hamani tũc maximè neceſſariũ fuiſſet: ſed hærẽtem inter ſpẽ & metum, in deſperationẽ conijciunt. *Omnino cades*, inquiũt, *in conſpectu eius*. Si monuiſſent eum de peccatis multis ſanè & grauibus aduerſus Deum & ſeruos eius cõmiſſis, de agnoſcendo ineuitabili iudicio Dei, de pœnitentia, de recõciliatione, fortaſſe melius cum eo actum fuiſſet: certè animas ſuas ſaltem liberaſſent. Sed quid? Tales conſiliarios merentur impij, qui cùm neminẽ audiãt, niſi cupiditatibus ipſorũ inſeruientẽ & blandiẽtem, digniſſimi ſunt, vt eorũ conſilijs cõfundantur & pereant, quorum prudentia ſe augendos & honorandos ſperauerant. De impio etenim ſcribitur: *Dilexit maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*. *Pſalm. 108.* Pharao plus magis ſuis credens, quàm ſeruis Dei Moſi & Aaroni, illorum artibus perijt in mari. *Exod. 4.14.* Saul *1. Reg. 31.* contemnens verbum Domini, nolenſque Samuelis Prophetæ monitis obtemperare, deſperatione tãdem fractus in ſeipſum deſæuijt. Sic & Nero, & Valens, & Iulianus, &c. Inuocandus ergo Deus, ne nos proijciat à facie ſua. Ne nos deſerat in tempore ſenectutis & anguſtiæ. Amanda veritas, ſtudendum æquitati ac innocentiæ: procul ablegandi à nobis aſſentatores, & falſi amici, &c.

Aduerte ſecundò, tantam eſſe vim efficaciamq; veritatis, vt etiã ab hoſtibus ſuis & omnibus impijs teſtimonium accipiat. Hi conſiliarij ne Hamanem offenderent, quod verum & certum cognouerãt de Iudæorum conſtanti ſalute ac victoria, impiè diſſimulauerant: nũc autem vel inuiti palam confitentur. *Si de ſemine Iudæorũ eſt Mardochæus, nõ poteris ei reſiſtere*. Sic Magi Pharaonis compulſi clamant, *Digitus Dei eſt hic*. Ipſique Aegyptij: *Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis*. *Exod. 7.14.* Et Iſrael: *Dominus ipſe eſt Deus: Dominus ipſe eſt Deus*. *3. Reg. 18.* Iudæi quoque de Chriſto coacti confitentur: *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic loquitur. Hic homo multa ſigna facit, &c.* *Ioan. 7 et 11.*

Herodot.l.3. Refert enim Herodotus, Darium regem Democedi Crotoniati medico, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, magnam gratiam retuliſſe. Siquidem vinculis, quibus ab Oroote ſatrapa onuſtus fuerat, liberatum, duobus aurearum compedum paribus donauit: deinde per Eunuchos ad ſuas coniuges eũ deduci iuſſit, eiſdem ingerentes: Hunc eſſe, qui reſtituit animam Regi. Tunc earum ſingulæ auream phialæ thecam ſuffringentes, Democedem donauerunt tam amplo munere, vt excidentes ex percuſſione phialarum ſtâteres, famulus qui ſequebatur, nomine Scitoba, inde non paruam auri ſummam collegerit. Deindè Süſis (inquit Herodotus) maximas ædes obtinebat, & cum Rege ad menſam ſedebat, omnibus rebus affluens, præter hanc vnam, quod in Græciam redire non poterat. Syloſontem quoque idem Darius immenſo auro argentoq; remuneraturum ſe offert, pro amiculo rutilo, quod ante regnum adeptum, ab illo gratis acceperat.

Aelian.lib.1. de varia hiſt. 12. Artaxerxes, qui Mnemon cognominabatur, Sinetæ ruſtico, qui ei ſitienti aquam ex Cyro flumine manibus obtulerat, miſit ſtolam Perſicam, phialam auream, atque mille Daricos, ſimulque hæc dona ferentem dicere iuſſit: Viſum eſt Regi, vt hoc auro animum tuum oblectes & exhilares. Vult etiam, vt hac phiala aquam ex illo fluuio hauſtam bibas. Alium rurſus ob malum punicum ſibi oblatum, miſſis regijs muneribus ornauit. *Plutar. in vita Themiſtoclis.* Hippocratem ſummum medicum, miſſis literis ad ſe euocans, pollicebatur ijſdẽ eum honoribus ſe affecturum, quibus præſtantiſſimi quique Perſarum: futurumq; eum ex præcipuis, honoratis, & optimis amicis.

13. Aelianus rurſum ſcribit Munera quæ rex Perſarum dono dabat venientibus ad ſe legatis, ſiue ex Græcia, ſiue aliunde adueniſſent, hæc erant. *Lib.1. de varia hiſtoria.* Vnicuique talentum Babylonicum argenti præſtantiſſimi. Item armillas, & acinacem dabat, & torquem: vniuerſa hæc mille Daricis æſtimata. Ad hæc, ſtolam Medicam, quam Dorophoricam appellant. *Herodot.l.3.* Herodotus author eſt, communi principum Perſicorum con-

ſum conſilio, Othani primo ex magicîdis, præmium decretum eſſe, vt poſteri Medica quotannis veſte de publico, donarentur. Xenophon quoque tradit, Cyrum amicis & ſatrapis ſecum ad ſacra pergentibus, Medicas veſtes largitum. Xerxes etiam Acanthios Medica veſte donauit, quòd ipſi in bello ſtrenuam operam, vt eſt apud Herodotum, manaſſent. *Lib.8. de inſtit.* *Herod.lib.7.*

14. Fuiſſe & apud Perſas ſummum honorem, Regis authoritate torquem aureum de collo geſtare; item, vti aureis armillis, & acinaci aureo, alioque eximio cultu ornari, docet hic Eſtheris hiſtoriæ locus, quo imprudentis Hamanis conſilio, Aſſuerus his honoribus Mardochæum affeciſſe dicitur. Comprobat Eſdras, ſcribens tres regios ſtipatores de his muneribus à Rege capiendis conueniſſe: *Dicamus vnuſquiſque noſtrum ſermonem qui præcellat; & cuiuſcunque apparuerit ſermo ſapientior alterius, dabit illi rex Darius dona magna: purpura cooperiri, in auro bibere, ſuper aurum dormire, currum aureo freno, cidarim byſſinam, torquem circa collum, & ſecundo loco ſedebit à Dario propter ſapientiam ſuam, & cognatus Darij vocabitur.* Xenophon Cyrum & alios reges Perſicos à liberalitate celebrans, ſcribit: Cui palã ſunt opulentiores amici, quàm Perſarum regi? Quis illo Rege ſuos pulchrius ornare ſtolis videtur? Cuius munera eiuſmodi eſſe cognoſcuntur, qualia ſunt Regis illius nonnulla, armillæ, torques, equi frenis aureis inſignes? Non enim apud Perſas hæc habere cuiquam licet, cui ea Rex non donarit. Idem rurſus libro primo de expeditione Cyri, ſcribit quendam Artapatam Cyro fidiſſimum & chariſſimum, aureum acinacem, torquem, armillas, & alia Perſarum præſtantiſſimis conceſſa ornamenta geſtaſſe. Plutarchus quoq; ſcribit Mithridatem præclara veſte, auro multo, torque, armillis, & acinace aureo ab Artaxerxe donatum fuiſſe, ob egregiè nauatam in bello aduerſus Cyrum iuniorem, operam. *Eſther.6. & 7.* *3. Eſdræ 3.* *Xenoph.li.8. de inſtit. Cyri.* *Xen.lib.1. de expedit. Cyri.* *Plutar.in Artaxerxe.*

15. Quinetiam, eis quos amore & beneuolentia cõplectebantur Reges Perſici, oppida ciuitateſq; opulentas dono concedebant, ex quorum reditibus aleren-

tur & ornarentur. Themiſtocli namque ſupra ducenta talenta, à Xerxe datæ ſunt tres ciuitates, quarum è reditibus panem, vinum, & obſonia pararet, videlicet, Magneſia, Lampſacus, & Myuntis. Duæ additæ ad veſtem ſtragulam & amictum, nimirum Percos & Palæſcepſis, vt author eſt Plutarchus. Magnus Cyrus, inquit Athenæus, Pytharco ſuo familiari ſeptem vrbes largitus eſt, Pedaſum, Olympium, Camantium, Sceptra, Artypſum, Tortyram. Demaratum Lacedæmoniorum regem ad ſe confugientem, Darius excepit magnificè, ait Herodotus, territorioq; ac vrbibus donauit. Idem Syloſonti Samio, ipſam vrbem, & inſulam Samiorum fruendam conceſſit, vti referunt Valerius lib. 5 Strabo lib. 14. ac Herodotus libro tertio. Artaxerxes Antalcidæ Laconi coronam capiti detractam, dein vnguento pretioſiſſimo delibutam & perfuſam miſiſſe; inſuper, & lectum argenteis pedibus, & vaſa, & veſtimenta, & multa alia ornamenta aurea contuliſſe, adfirmant Athenæus & Plutarchus. Xerxes præter alia multa, molam auream, ſex talenta pendentem, dono dedit Megabyzo, cuius opera Babylonem ceperat, &c. Et de his iam ſatis: ad colloquium Aſſueri & Hamanis redeamus

Plut. in Themiſtocle.

Athen. lib. 1. cap. 27.

Herod li. 6.

Haman ergo ambitu faſtuque incredibili tumidus, interrogatus quibus honoribus afficiendus eſſet is, quem Rex impenſius amaret, ſuperiora omnia ornamenta iam ſpe deuorans, ſibique pro certo etiam dignitatem regiam repromittens, honores omnium maximos & præſtantiſſimos ei, quem ſic Rex condecorare vellet, deferendos & conferendos conſulit. In quo perſpicis quàm cæcum & prauum ſit cuiuſlibet hominis ambitioſi ingenium. Seipſum ſolum miratur & ſuſpicit, ſeipſum duntaxat omni honore ac reuerentia dignum exiſtimat, ſibi omnia deberi putat: reliquos omnes velut obſcuros, abiectos, & viles aſpernatur. Sed bene habet, quod eſt Deus in cælo, qui ſuperbos irridet, contemnit, iudicat, deturbatque de ſedibus ſuis: humiles autem glorificat: vt diſcant omnes moderatè de ſeipſis ſapere, ac me-

ac mediocribus contenti eſſe. *Superbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent, Vbi eſt?* Superbiſſimo Babyloniorum regi, & in corde ſuo dicenti, *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum:* econtrario dicitur, *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Ad inferum detrahêris in profundum laci.* Sennacherib, Holofernes, Cambyſes, Pharao, vnus & alter Herodes, Antiochus, Alexander, Caius, plerique alij, qui diuinos etiam ſibi honores vſurpare conati ſunt, horrendis cladibus afflicti, ſublatíque de medio, vniuerſo huic mundo oſtenderunt ſuperiores Dei aduerſus ſuperbos comminationes, haudquaquam eſſe falſas aut vanas.

Iacob. 4. 1. Pet. 5. Iob. 20. Iſa. 14.

HAERESIARCHARVM *ambitus.*

QVanta etiam honorum ac ſublimium dignitatum cupiditate exarſerint omnium ætatum ac ſeculorum hæreſiarchæ, quantóque primatus amore flagrauerint, palam recitant hiſtorici. Certè, vnam omnium ſectarum matrem eſſe Superbiam, appoſitè docuit eſſe Auguſtinus: ſicut vna mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos genuit. Idemq; omnium hereſeon fontem velut digito demonſtrans, ait: Hæreticus eſt, qui pro alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia, falſas ac nouas opiniones gignit vel ſequitur: Hieronymus quoq; docens Arrogantiam eſſe matrem hæreſeon, ſcribit. Quis hæreticorum, non in ſuperbiam extollitur, Eccleſiæ ſimplicitatem paruipendens; & fidem, imperitiam reputans? Enimuerò ſatanica planè ſuperbia Simon Magus (vt eſt apud Iuſtinum & Irenæum) inter Iudæos voluit haberi vt Filius Dei; inter Samaritanos, vt Pater: in reliquis verò gentibus, quaſi

Aug. l. 2. cõt. ep. Parm. c. 3. Li. de vtilit. credendi, c. 1. Hier. comm in Abdiam. Iuſtin. Apolog. 2. Iren. lib 1. ca. 20. & 21.

Tertull. l. de præſcript. Spiritus Sanctus. Menander huius ſucceſſor, pro Saluatore hominum ſeſe venditauit; immortalitatem eis promittens, qui in ſe crederent. Valentinus Tertulliano teſte, ſperauerat Epiſcopatum. Sed alium ex martyrij prærogatiua loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit, vt ſolent animi pro prioratu exciti, præſumptiõne vltionis accendi, &c. Theobutes, inquit Euſebius, quia repulſam meruit Epiſcopatus, cœpit perturbare omnia. Tatianus (ſcriptore Hieronymo) inflatus eloquentiæ tumore, nouã condidit hæreſim, quę Encratitarum dicitur. Nouatianus quoque Romanæ vrbis presbyter, aduerſus Cornelium cathedram ſacerdotalem conatus inuadere, Nouatianorum dogma conſtituit. Manichæis exprobrat Auguſtinus, quòd Manes, eorum princeps nunc ſeſe Apoſtolum, mox etiam Spiritum Sanctum confinxerit: ipſi quoque diem mortis illius celebrarent; denique, per dominum ſuum Manichæum, velut per aliquod numen iurarent. Idem rurſus ſcribit, Aërium ambiuiſſe Epiſcopatum, quem cùm obtinere non potuit, vt par nihilominus Epiſcopis videretur, aſſeruiſſe ſacerdotes pares eſſe Epiſcopis, & alias hæreſes. Arius videns Alexandrum ſibi in Epiſcopatu Alexandrino prælatum, inuidiæ ac ſuperbię flammis accenſus, aduerſus Chriſti deitatẽ inſurrexit. Et de Arrianis ſcribit Athanaſius: Pro Chriſto, apud illos Arrius eſt: vt apud Manichæos, Manichæus. Patres concilij Antiocheni intolerandam ſibi fuiſſe Pauli Samoſateni ſuperbiam, arrogantiam, & iactantiam tam priuatam quàm publicam, Epiſtola ad Dionyſium Papam in ore atque oculis omnium profitentur. Neſtorius (ait Socrates) veterum interpretum libros verſare noluit: ſed ſeipſum omnibus præſtantiorem & doctiorem exiſtimauit, &c.

Lib adu Valent. cap. 4.
Euſeb. lib. 4. hiſt. c. 22.
Hieronym in Catalog.
Idem ibidẽ.
Aug. li cont. Epiſt Manich. & l. 19. cont. Fauſt. c. 22.
Li. de hæreſ.
Theodoret. l. 1. hiſt. cap. 2.
Athan orat. 2. adu. Arrian.
Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 26.
Socr. l. 7. hiſt. cap. 32.

Verùm, cæteris veteribus hæreſiarchis prætermiſſis, quàm grauis & intolerabilis ſit poſteriorum arrogantia & inſolentia, ex vno eorum principe, paucis oſtendamus. Lutherus ſuperbiam ſuam planè Satanicam his verbis efflat: *Ego aduerſus dicta Patrum, & Angelorum*

gelorum pono Euangelium. Hoc enim ſpecioſo pallio hę-reſeon ſuarum fœditatem & turpitudinem operit. *Hîc ſto, hîc ſedeo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc inſulto Papiſtis, & omnibus dictis hominum quantumlibet ſanctorum. Nihil curo ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ cõtra me ſtarent. Doctrinam meam nolo iudicari à quocunq;, nec ab Epiſcopis, nec ab Angelis omnibus, &c.* Quæ impudentia, quis faſtus, quę inſolentia, huic poteſt comparari? Quis vnquam dæmonum, omnibus Sanctis, toti Eccleſiæ, vniuerſis beatis Angelis, tam arroganter & contumelioſè ſeipſum antepoſuit, atque hic impurus & furioſus apoſtata. Nec prudentius aut moderatius ſenſerunt illius diſcipuli, quando eundem, nec ſine grauibus blaſphemijs, cunctis Prophetis, Euangeliſtis, diſcipulis, imò & Apoſtolis, ſi vnum vix Paulum exceperis, præferentes, canunt:

Lut. l. contra Régem Angl. & Prologo libri adu. Eccleſiæ ſtatū.

Cyriac. Spangenbergius.

Chriſtus habet primas, habeas tibi, Paule, ſecundas:
Aſt loca poſt illos proxima Luther habet.

An non hæc arrogantia & ſuperbia, omnem Hamanis faſtum ambitumque ſuperat? Hic quidem veſtem, equum, & diadema regium ſibi poſtulat; inſuper ab eximio quodam principe per Suſorum plateas circunduci & prædicari: ille verò mille Auguſtinis, mille Cyprianis, mille Eccleſijs ſemetipſum anteponit, ſuper Apoſtolos ac Euangeliſtas extollitur, omnibus ſanctis inſultat, neque ſeipſos beatiſſimos Dei Angelos ſuperiores aut maiores eſſe cupit. Quid ſupereſt, niſi vt cum ipſo Satana dicat, *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſſimo?* Sed aderit, aderit citò Chriſtus, qui æquiſſimo iudicio ſuo illatas Sanctis ſuis contumelias iſtas vindicabit; & tantam inſolentiam, ſuperbiam, & contumaciam detrudet ad inferos.

Iſa. 14.

Hîc etiam conſpicimus diuinæ ſolicitudinis ac prouidentiæ erga Sanctos mirabiles effectus. Regum corda inflectit, vt de his tū honorandis cogitent, cùm magis ſunt abiecti: hos ſeruent, cùm alij perdere feſtinant: & qui ſummo odio illos proſequuntur, inſcij ac imprudentes in fauorem & gloriam eorum pronuncient,

nuncient, vt hoc loco Haman pro Mardochæo. Erigant ergo animos omnes pij, nec vnquam propter rabiē, ſummamq; Tyrānorum potentiam ac violentiā, deficiant, aut de auxilio diuino deſperent. Enimuerò, Viuit adhuc Chriſtus, regnat, & regnabit in æternum, atq; hoſtes omnes ſub ditione premet. Qui Neronis, Domitiani, Decij, Diocletianiq; conatus impetuſq; in familiam ſuam olim repreſſit, poterit & nouiſſimorum Eccleſiæ Catholicæ perſecutorum ferocitatem
Iſa. 11. comprimere. Et qui ipſum caput omnium impiorum
2.*Theſſ.*2. Antichriſtum interfecturus eſt ſpiritu oris ſui, præcurſorum eius dolos fraudeſque facilè ſubuertet atque diſſipabit. Quod ſi ad tempus permiſerit ſeruos ſuos ſub cruce exerceri, aliquando etiam trucidari: tamen Eccleſiam & Religionem ſuam inuiolatam conſeruat, & pro his conſtanter dimicantes in cæ-
Ioan. 12. leſti vita gloriaque coronat. *Qui perdiderit animam ſuam propter me*, ait ille, *in vitam æternam cuſtodit eam*: Sed quid ad conſilium Hamanis Rex Aſſuerus.

10. *Dixitq; ei Rex: Feſtina, & ſumpta ſtola & equo, fac vt locutus es Mardochæo Iudæo, qui ſedet ante fores palatij. Caue ne quicquam de his quæ locutus es, prætermittas.*

11. *Tulit itaque Haman ſtolam & equum, indutumque Mardochæum, in platea ciuitatis, & impoſitum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus eſt, quemcunque Rex voluerit honorare.*

PRIMVM hîc animaduerte diuinum conſilium, quo certè omnia iſta reguntur. Feſtinare iubetur Haman, & illicò cuncta quæ dixerat, & ſibi ſperauerat, deferre Mardochæo; tantaque celeritate ac promptitudine, vt reſpirandi, aut cum ſuis conſultandi, aut excuſationes confingendi & adferendi nullus ei locus concederetur. *Fac*, inquit, *vt locutus es, & ne cadere facias quicquam ex omnibus quæ locutus es.*
Nam

Nam ſi vel leuiter ſuboluiſſet agi de Mardochæo, longè aliud dediſſet cõſilium: vel ſaltem morbum finxiſſet, ne tanto honore hoſtem ſuum afficere cogeretur. Quo loco diſcant principes & magiſtratus, ſibi magna diligentia curandum eſſe, vt quæ iuſtè & piè conſtituta ſunt, promptè ac ſtudioſè exequantur. Nam protractæ diutius moræ rebus multis negligentiam, mutationemq́ue frequenter adferunt. *Tolle moras,* inquit Poeta, *nocuit differre paratis. Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.* Si celeritate vſi eſſent Principes Catholici, iam nullum bellum aduerſus hæreſes haberet Europa, &c.

Diligenter autem expende mutationem dexteræ Excelſi Haman in aulam venerat, vt Regis authoritate Mardochæum ignominioſa morte tolleret: hunc autem in regia magnificentia omnibus oſtentare & prædicare compellitur. Venerat vt in altiſſimam crucem affixum eum cum omni probro in ſublime leuaret: contrà verò ſplendore regio eundem exornare, equo regio imponere, & regi chariſſimum ſpectatiſſimumq́ue palam prædicare compellitur. Venerat, vt diſcrimen capitis eidem adferret; & regio diademate caput eius redimire atque decorare neceſſe habuit. Grauiter ferebat eum ad portas regias ſedere: nunc eius in Regem præclara beneficia vel inuitus prædicat. Putabat ſuſpenſo Mardochæo, læto ſe animo conuiuium initurum: ſed mœrens dolenſq́ue domum ſuam repetit, ac præ pudore hominum oculos lucemq́ue ipſam fugitat. Ergo nec omnia, nec ſemper, negotia impijs ſuccedunt ex animi ſententia: ſed Deus eſt in cælo, qui fluxum voluptatum & felicitatum eorum frequenter retardat, nec continuò ex deſtinato fluere ſinit. *Noli ergo æmulari in malignantibus, &c. Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & tanquam olera herbarum citò decident.* Pſalm. 36. *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.* Pſal. 48. *Lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio, & Dominus diuidet dolores furoris ſui.* Erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit. Iob. 21.

Ob cre-

Ob crebras de cunctis alijs gentibus victorias inſo-
Iſa 47. leſcenti Babyloni dicitur: *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius: & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare: veniet ſuper te repente miſeria, quam neſcies.*

Contemplare rurſum, quàm longè abſunt frequẽter impij ab eo quod animis ſuis conceperint & deſignauerint, ſpeq́ue ſua fruſtrentur. Pharao dicebat, He-
Exod. 15. bræos perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Sed flauit Spiritus Domi-
Gen. 4. ni, & operuit eum mare, &c. Cain totius mundi hæredem ſe ſolum futurum iudicabat, ſi fratri necem intuliſſet: eo verò trucidato, in eodem profugus & va-
Gen. 37. gus eſt effectus. Fratres Ioſeph ipſum necare, deniq; alienis venundare ſtuduerunt, ne aliquando eum adorarent, vt ſomnia præſagiebant: ſed his medijs co-
Ioan. 11. acti illum ipſum coluerunt. Annas & Cayphas locũ & gentem ſeruaturos ſe putabant, ſi Chriſtum mor-
Pſalm. 91. te affeciſſent: contrà verò cuncta euenerunt *Nam Do-*
Pſal. 32. *minus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Repro-*
Iob. 5. *bat cogitationes populorum, et conſilia principum.* Et Iob ait: *Dominus diſſipat cogitationes impiorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant.*

Tecum etiam reputa, quàm inuito ac repugnanti animo Haman regio cultu Mardochęum ornauerit, & equo generoſiori impoſitum per plateas principis vrbis deduxerit, ac ante ipſum proclamauerit: *Hoc honore condignus eſt quemcunque Rex voluerit honorare.* Nã leuius huic ſuperbiſſimo Thraſoni fuiſſet, quicquid in toto orbe graue fuiſſet iniunctum, quàm quod nunc iubetur: & tamen cogitur id citò ac ſine vlla tergiuerſatione perficere. Sic Deus vel inuitos cogit aliquando impios, & ſibi, & ſeruis ſuis deſeruire, atque horum innocentiam & laudes prædicare, veritate per inuitas fauces erumpente. Saul teſtimonio con-
1. Reg. 24. ſcientiæ coactus Dauidi dixit: *Iuſtior tu es, quàm ego: tu*
Matth. 26. *enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* Iudas
Ioan 19. & Pilatus publicum de Chriſti innocentia tulerunt
Luc. 4. teſtimonium. Imò & ipſi dæmones compulſi de Do-
Act. 16. mino noſtro, & prædicationis Apoſtolicę veritate teſtificari,

ſtificari,eiſdemq; in multis obaudire cõpulſi fuerũt.

Diſcant interea ſubditi; Hamanis huius exemplo, quàm diligenter legitimis principibus ac magiſtratibus in rebus honeſtis ac licitis obedire debeant. Qui ſi duri ſeuériq; nonnunquam videantur, & mandata eorum grauia & difficilia; memoria tamen repetendum eſt,illos à Deo conſtitutos eſſe:& qui his reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere,atque damnationem ſibi acquirere.Quod ergo Haman præſtat, ne odium Regis Perſici incurrat,& excidat aula:id nos præſtare oportet,ne iram Dei omnipotentis in capita noſtra accerſamus,& regno cælorum excludamur. *Rom.13.*

Diligentiſſimè denique perpende,quàm in agendo ſunt afri,ſunt veteratores,ſunt ficti ac ſimulati, planeq; Prothei,viri aulici,ſimileſque filij huius ſeculi.Ita ſe in omnes formas vertunt, callideq; ſimulant & diſſimulant omnia,vt etiam prudentes alioqui ac pios viros non rarò decipiant & fallant. Cùm prodeſſe volunt, tum omne obſequium præſtare velle videntur,ac veluti traditoris Iudæ diſcipuli oſcula chariſſima & arctiores cõplexus offerunt.Vtuntur verbis oleo mollioribus, melleq; dulciorib⁹ ad homines ineſcandos & fallendos; ipſi aũt ſunt ſpiculis & iaculis nocentiores. *Loquuntur pacem cũ proximo ſuo,mala autem in cordibus eorum.* Illos amplectuntur & honorãt,quos extinguere conantur; ſicut Ioab excipiens Abnerum & Amaſan,hos turpi proditione ſuſtulit. Quis neſcit Hamanem pluſquam Cainico odio Mardochæum proſequutũ fuiſſe, cùm & crucem excelſam ei paraſſet,in eumque finem veniſſet in aulam,vt eum perderet:Quin & in eius odium,totam Hebræorum gẽtem deleturum ſe conſtituiſſet? Nunc tamen, quia Rex præceperat, vt eiuſdem Regis gratiam ſeruaret, iram altè premit,odium diſſimulat,contra morem ſe humiliat,& obſequentiſſimũ Mardochęo Iudęo ſe præſtat; cuius viſcera libens dilaceraſſet.Prophanis itaq; nobilicaſtris & aulicis non eſt temerè fidendũ: quos ad omnem fraudẽ videmus eſſe comparatos,& vni perfidiſſimo impijſſimoq; Machiauello plus habere fidei,quàm Chriſto vel Apoſtolis eius. *Matth.26.* *Pſalm 54.* *Pſalm.27.* *2.Reg. 3. & 20.*

12. *Reuerſusq́; eſt Mardochæus ad ianuam palatij: & Haman feſtinauit ire in domum ſuam, lugens & operto capite.*

13. *Narrauitq́; Zares vxori ſuæ, & amicis omnia quæ eueniſſent ſibi. Cui reſponderunt ſapientes quos habebat in conſilio, & vxor eius. Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere; ſed cades in conſpectu eius.*

VIDES, impijs tandem mala, pijs autem bona & felicia diuino conſilio repoſita eſſe? Mardochæus pro ſua fide & pietate tandem aliquando etiam in hoc ſeculo multiplici augetur honore & gloria: Hamanis ſuperbia & impietas confunditur tanta ignominia & dedecore, vt cum luctu & confuſione in penetralia domus ſuę laditurus ſeſe nunc proripiat. Stude ergo pietati ac virtuti, & de illarum iuſto præmio ac mercede nunquam dubites: ſin verò malum feceris, time. *Nam ſtatim in foribus peccatum tuum* (i. peccatis tuis debita pœna) *aderit. Vtique eſt fructus iuſto, vtique eſt Deus iudicans homines in terra.* Quod ſi ad tempus videatur cum vtriſque diſſimulare, & omnia ęque eueniant iuſto & impio, ſacrificanti & ſacrificia contemnenti, non propterea tamen deſpondeas: ſupereſt enim iudicium illius tam ſingulare vnicuique, quàm commune & vniuerſale cunctis, in quo *reddet vnicuique iuxta opera ſua.*

Geneſ. 4. Pſalm. 57. Pſalm. 61. Rom. 2. 1. Cor. 3.

Intuere verò quàm diuerſi, quamq́; diſſiti à ſeipſis fuerint Mardochæi & Hamanis mores. Mardochæus exutis veſtibus regijs, reſtitutoque diademate & equo, ſepoſita omni pompa; pro conſueta moderatione proprias veſtes reſumpſit, *reuerſuſque eſt ad ianuam palatij*, ad omne officium obſequiumque paratus, nihilo ſuperbior aut elatior propter nouos honores delatos & aſſumptos. Deinde, hac ſorte ſua contentus ad maiores non aſpirat ardentius, non petit importunè, potioribus non inuidet, inferioribus non

in-

inſultat, æqualibus non faceſſit negotium, hoſti ſuo Hamani non minatur: ſed ſeipſum, ſuaque omnia diuinæ prouidentiæ committit. Sic ſolent pij Deumque timentes in ſummis honoribus non ſuperbire, non ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper ſe: ſed humiliter ſentire, conſuetamque modeſtiam conſeruare. Ioſeph ſecundus à Pharaone ærumnoſos ac pannoſos fratres non eſt aſpernatus: ſed agnouit & fouit humaniſſimè: ſenioq; confecto patri pergens obuiam, baſia obtulit, omnem venerationē exhibuit, & Regi AEgyptiaco commendauit. Daniel cunctis Babyloniorum & Perſarum ſatrapis præfectus, nullum ſuperbiæ vel arrogantiæ ſignum præbuit. Dauid deuictis omnibus hoſtibus, & regnū adeptus clamat: *Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Chriſtus rediuiuus, mortis & inferorum triumphator, pauperculos piſcatores Apoſtolos ſuos nō deſpexit: ſed & loco fratrum habuit, & donis multo amplioribus quàm antea cumulauit. Hinc Sapiens: *Rectorem te conſtituerunt: noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.*

Pſalm.130. *Geneſ.44. 45.46.* *Dani.1.&6.* *Pſalm 115.* *Ioan.20.21.* *Eccli.32.*

Sed quid Haman? In proſperis inſolentiſſimus & crudeliſſimus; in aduerſis verò adeo fractus & deiectus, vt quò ſe vertat, neſciat. Confuſus igitur in conſcientia coram Deo & hominibus, mœret, luget, opertuſq; capite, quaſi neminē auſus eſſet aſpicere, in domum ſuam citiſſimè properat. Ibi compellitur homo ſuperbiſſimus coram vxore & conſiliarijs enarrare miſerabilem inſperatumq; fortunę ſuę caſum. Nimirum, quàm imprudens conſilium dediſſet de honorando eo cui rex bene vellet, quod fuiſſet compulſus Mardochæū cultu regio honorare, circunducere, prędicare, eidem nocendi omnem ſpem amittere, &c.

In quibus notādum, inter omnes fere gentes more receptū fuiſſe, in ſummo mœrore & dolore ita caput faciemq; obuelare, oculos vel deprimere vel claudere, quaſi vel ipſam ſolis cōmunem lucem pudor eſſet intueri. Dauid certè Hebraici populi moderator, Abſalonem fugiens inceſſit nudis pedibus, & facie velata, intimam animi triſtitiam indicans. Ezechiel imminente triſtiſſima populi ſui captiuitate, iubetur

2.Reg.15. *Ezech.12.*

Ierem.14. facie velata incedere. Ieremias refert iuniores miſſos à ſenioribus vt aquam haurirent, nõ inuenta redijſſe opertis capitibus. Curt.lib.4. Curtius refert Darium vxorem defunctam diu fleuiſſe, capite obuelato. Hodie in funeribus amicorum & præſtantium virorum, veſtes ſumuntur lugubres, quibus facies & oculi teguntur, &c.

Conſidera deinde, quomodo non ſoli Hamani, verùm & vxori, & amicis eius omnia cõtra ſpem contigerunt. Conuenerant in domũ eius ſummo manè, vt de ſuſpendio morteq; Mardochæi congratularentur, miſero inſultarent, triumphos agitarẽt, ſuam deniq; in Iudæos inuidiã & rabiem explerent. Contrà verò, nunc audiunt illum Regi beneficum, chariſſimum, honoratiſſimum: & Hamanem coactum eidem inſeruijſſe, veluti meritis, dignitate, omnibuſq; modis inferiorem. Iudic.16. Sic quondam Philiſtæis ad tria millia congregatis, vt Samſonem irriderent, accidit vt domus caſu fragoreq; vnà cum ipſo miſerabiliter deperirent. Iob.8. Rectè in libro Iob ſcribitur: *Spes hypocritæ peribit.* Et Iob.11. rurſum: *Oculi impiorum deficient, effugium peribit ab eis,* Prouerb.10. *& ſpes illorum abominatio animæ.* Et Salomon: *Expectatio iuſtorum lætitia, ſpes autẽ impiorum peribit.* Et rurſum: Sapient.5. *Spes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur: & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt: & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis.* Quibus magis caducis, magiſque leuibus ac incertis rebus impiorum vota comparaſſet?

Non tamen in eo errat Haman, quod afflicti conturbatique animi ſui pondus in ſinum vxoris & amicorum ſuorum effundit. Quibus enim iuſtius id feciſſet? Tametſi namque amici & propinqui nec ope nec conſilio illicò nos adiuuent; neſcio tamen quî fiat, vt vel patefacto illis mœrore noſtro, melius nos habere, ac velut grauiſſimo quodam pondere leuati nobis ipſis videamur: cùm è contrà, illi qui dolorem ſuum ſilentio inuolutum intus coquunt, in acutiſſimos corporis & animi morbos incidant. Sed in hoc grauiter errat, quod ſibi ipſi ſciens prudens calamitatem attrahat, cùm vitam ab omni hac moleſtia alienã viuere

viuere potuiſſet. Quid enim? Si non odio Mardochæi ac populi diuini flagraſſet, ſi non ambitione & arrogantia tumuiſſet, ſi non cuiuſdam numinis inſtar à cunctis adorari cupiuiſſet; adeo illi non graue hoc quicquid erat honoris præſtare accidiſſet, vt potius, quòd ita Rex imperaſſet, ſummæ ſibi id voluptati duxiſſet. Sed quod nulla laceſſitus iniuria, furenter in hominem innocentem ferretur, iuſtiſſimas ambitus, inuidiæ, ac iniuſti odij ſui pœnas ſibi accerſit. Adeò verum eſt, quod fusè diſputat Chryſoſtomus, Neminẽ lædi niſi à ſeipſo. Fontem omnium malorum humanorum, in hominibus ipſis, non alibi, conſiſtere. Vnumquenque fortunæ ſuæ fabrum eſſe. Quoſdam ad ſe lites, iurgia, pericula, mare malorum attrahere, vt Cæcias nubes. Hunc enim ventum, præter aliorum omnium morem, nubes ad ſe contrahere volunt Ariſtoteles & Plinius: ex quo natum eſt prouerbiũ in eos qui odia, bella, variaq; incommoda ſibi ſua ſponte accerſunt. Quibus ſimilia ſunt iſta: Turdus ipſe ſibi malum cacat. Ipſe ſibi mali fontem reperit, &c. Nõ ergo in cælum, non in cæcam fortunam, non in quaſdam alias cauſas ſecundas, multo minus in Deum Patrem noſtrum optimum & maximum referamus malorum noſtrorum principium, non hunc accuſemus blaſphemantes: ſed peccata & ſcelera noſtra. *Ariſt. lib. de mundo. Meteorol. & Problem. Plin. lib. 2. cap. 47.*

Sed quid conſilij, quid ſolatij, ab vxore & amicis Haman conſequutus eſt? *Si de ſemine Iudæorum* (inquiũt) *eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere: ſed cadendo cades ante eum.* Quid ita? Experientia, publicaq́ue fama vulgatum eſt, Iudæos Deum præpotentem colere, qui eos ſeruet *vt pupillam oculi ſui*: tumq́ue victores eſſe, cùm victi videntur: & frequentiores repullulare, quando ſtirpitus exciſi putantur. Sed vnde hoc vobis notum & compertum, viri Medi & Perſæ, quod Iudæi, quantumuis oppreſſi, mox emergant? Non ita pridem contigerat inter Chaldæos & Perſas, vt tres pueri Iudæi in fornacem coniecti, incolumes euaderent, conſumptis igne flammarum miniſtris: Daniel à ſycophantis aulicis ad leones proiectus, mirabiliter ſeruaretur, laceratis ferarum dentibus eiſdẽ *Pſalm. 16. Zach. 2. Daniel. 3. 6. & 14.*

calumniatoribus. Lingua porrò Chaldaica iſtæ extabant hiſtoriæ conſcriptæ, & inter multos vulgatę. Accedit quod & Iudæi inter gentes diſperſi, fideli narratione referebant magnum illud & conſtans fœdus, quod Deus omnipotens cum Abrahamo patre ſuo &
Geneſ.12. ſemine eius ſanxiſſet, dicens; *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Qui tibi maledixerit, erit maledictus.* Quomodo autem nō cadere vinciq; poterit, qui ipſius Dei omnipotētis ore maledictus & execratus eſt? Sequentibus autem temporibus id plurimis & ſtupendis miraculis confirmaſſet, liberans eſt de Aegypto, Rege eorū ſubmerſo cum exercitu: ſeptemq; Chananæarū gentium fortiſſimis Imperatorib. proſtratis. Præclarè enim ſenex Tobias tot Iudaicorū
Tob.13. exiliorū præcipuum finē his cōprehendit: *Confitemini Domino Filij Iſrael, & in cōſpectu gentiū laudate eum. Quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis ſcire eos, quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum.* Iſthęc ergo cùm nō ignorarent hi Sapientes Hamaniſtæ, palā profitentur Iudęos Dei ſui fœderi addictos nuſquam vinci poſſe, prorſus eſſe inuictos ac inſuperabiles. Quid autē huic ſuperbiſſimo homini infelicius ac moleſtius dici potuiſſet? Et tamen hæc audire cogitur ab vxore, ab amicis, à conſiliarijs & ſapientibus: inſuper, ea credere vt veriſſima & certiſſima: denique expectare ſibi tunc impendentia grauiſſima mala: quippe qui non ſoli Mardochæo, ſed & vniuerſo populo Dei poſtremum ac crudele exitium procuraſſet.

Ex his autem primùm aduerte, præpoſtera horum amicorū & propinquorum Hamanis colloquia atq; conſilia. Ante enim cum adhuc Haman floreret, Mardochęus verò abiectus eſſet, illius cupiditatibus ſeruientes, inflammabant iam plus æquò accenſum, ad inferendā innocenti Iudæo necem, cùm reſtinguenda fuiſſet eius iracundia, & reuocandus à crudeli inſtituto, propterea qđ Iudæi perpetuo Dei viuentis auxilio ſunt inuicti: & qui aduerſus eos inſurgūt, Deū ipſum hoſtem & vltorē tandem experiuntur. Nunc aūt cùm Mardochęus collocatus eſt in excellenti loco dignitatis, &

... Haman nonnihil à ſua amplitudine deiectus, amici non conſolantur eum, nec oſtendunt rationẽ euadendi periculi; quod tamen Hamani tũc maximè neceſſariũ fuiſſet: ſed hærẽtem inter ſpẽ & metum, in deſperationẽ conijciunt. *Omnino cades*, inquiũt, *in conſpectu eius*. Si monuiſſent eum de peccatis multis ſanè & grauibus aduerſus Deum & ſeruos eius cõmiſſis, de agnoſcendo ineuitabili iudicio Dei, de pœnitentia, de recõciliatione, fortaſſe melius cum eo actum fuiſſet: certè animas ſuas ſaltem liberaſſent. Sed quid? Tales conſiliarios merentur impij, qui cùm neminẽ audiãt, niſi cupiditatibus ipſorũ inſeruientẽ & blandiẽtem, digniſſimi ſunt, vt eorũ conſilijs cõfundantur & pereant, quorum prudentia ſe augendos & honorandos ſperauerant. De impio etenim ſcribitur: *Dilexit maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*. Pharao plus magis ſuis credens, quàm ſeruis Dei Moſi & Aaroni, illorum artibus perijt in mari. Saul contemnens verbum Domini, nolensque Samuelis Prophetæ monitis obtemperare, deſperatione tãdem fractus in ſeipſum deſæuijt. Sic & Nero, & Valens, & Iulianus, &c. Inuocandus ergo Deus, ne nos proijciat à facie ſua. Ne nos deſerat in tempore ſenectutis & anguſtiæ. Amanda veritas, ſtudendum equitati ac innocentię: procul ablegandi à nobis aſſentatores, & falſi amici, &c.

Pſalm. 108.
Exod. 4. 14.
1. *Reg.* 31.

Aduerte ſecundò, tantam eſſe vim efficaciamq́; veritatis, vt etiã ab hoſtibus ſuis & omnibus impijs teſtimonium accipiat. Hi conſiliarij ne Hamanem offenderent, quod verum & certum cognouerãt de Iudæorum conſtanti ſalute ac victoria, impiè diſſimulauerant: nũc autem vel inuiti palam confitentur. *Si de ſemine Iudæorũ eſt Mardochæus, nõ poteris ei reſiſtere*. Sic Magi Pharaonis compulſi clamant, *Digitus Dei eſt hic*. Ipſique Aegyptij: *Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis*. Et Iſrael: *Dominus ipſe eſt Deus: Dominus ipſe eſt Deus*. Iudæi quoque de Chriſto coacti confitentur: *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic loquitur. Hic homo multa ſigna facit, &c.*

Exod. 7. 14.
3. *Reg.* 18.
Ioan. 7 et 11.

Cæterùm,perpetua illa & conſtans ſeminis Iudæorum ſtabilitas,nunc omnium maximè ad Eccleſiam Catholicam pertinet. Eſt enim ipſa Iſrael ſecundum ſpiritum,& verum ſemen Abrahæ, cùm non ſolùm fidem & pietatem huius ſanctiſſimi patris imitetur,
Rom. 9. verũ & ſeminis Abrahæ, id eſt, Chriſti, ſponſa vnica
Galat.3. & myſticũ corpus ſit Eſt quoq; ſedes Dauid,& domus
Epheſ 5. Iacob, in qua Filius Abrahę & Dauid Chriſt⁹ regnat,
Lucæ 1. & regnabit in æternum, & regni eius nõ erit finis. De hac etſi nonnunquam actum eſſe videatur, Deus tamen omnino,quod aiunt,ἀπὸ μηχανῆς adeſt,qui eam ex manibus tyrannorum & carnificum præter ſpem aſſerit,vindicat,& in tuto conſtituit.Solet quidẽ Deus multa perſecutoribus permittere, quòd peccata ſuorum id mereantur:nec tamen liberam omnimodamque ipſis aduerſus ſeruos ſuos poteſtatem facit, ſed vbi illi emendati fuerint,iſti verò impietatum ſuarum menſuram impleuerint, illos coronat, hos æternis
Pſalm. 124. mancipat ſupplicijs. *Non relinquit in perpetuum virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.* Perſecutionibus Neronis,Domitiani,Traiani,Diocletiani,&c. modum finemq; tandem impoſuit. Arrianorum, Donatiſtarũ, Pelagianorum,cunctarum aliarum ſectarum impietates & furores repreſſit;Eccleſia fideq; Petri ſarta tectaq; permanente. Turcarum,Maometanorum,Maurorum, Hugnoſticorum conatus denique retardabit atque diſſipabit:Eccleſiæ porrò Catholicæ nec ipſæ
Matth. 16. inferorum portæ vnquam præualebunt. Antichriſtũ,
Geneſ.3. cui nouiſſimæ hæreſes militant, Chriſtus interficiet
Rom.16. ſpiritu oris ſui:ipſum quoque Satanam conteret ſub pedibus eius. Quantumcunque ergo nos eripere tardet,non deficiamus animis:nam ſpem noſtram probat, patientiamque exercet in terris,vt glorioſius co-
Habac. 2. ronet in cælis.Si moram fecerit,expecta eum:cùm ex-
Pſalm. 39. pectans expectaueris,procul dubio, intendet tibi. *Ne*
Hebr.12. *fatigeris,cùm à Deo corriperis.* Non in perpetuum ſubſiſtent,qui corpori & membris Chriſti æterni & omnipotentis Filij Dei bellum inferunt: ſed cadendo cadent tam veteres,quàm recentes Hamaniſtæ. Sequitur.

14. *Adhuc*

14. *Adbuc illis loquentibus, venerunt Eunuchi Regis, & citò eum*(Hamanem)*ad conuiuiū, quod Regina parauerat, pergere compulerunt.*

IOSEPHVS notat vnum ex hìs Eunuchis Sabuchadarem, obſeruaſſe crucem fixam in domo Hamanis, quam Mardochæo parauerat; & conſuluiſſe aliquem ſeruorum, cuius cauſa eam paraſſet; & audiuiſſe quod Reginę auunculo, quem Haman à Rege petiturus erat ad pœnam: & tunc quidem eunuchum tacuiſſe. Poſtea verò cùm accidiſſent ea, quæ mox referentur, rem omnem Regi aperuiſſe. *Lib.11.ant. cap.6.*

Perſpicis, quod diuinis terribilibusq; iudicijs Dei omni ex parte vrgeatur & comprehendatur iſte Tyrannus & hoſtis populi diuini? Sub honoris ſpecie veniunt Eunuchi, qui eum inuitent ad conuiuium: ſed vnus eorum domus & conſiliorum eius callidus eſt explorator. Maluiſſet cum ſuis domi latere ac flere: ſed cōpellitur illicò exire, ne Rex & Regina illum diutius expectarent. Putat ſe opiparum conuiuium inire: at præſentiſſimum exitium incurrit. Abit, nec redit: imò domum redit, ſed maximo cum probro & dedecore. Non valedicit ſuis, non diſponit de rebus domus ſuæ, minus adhuc de conſcientia: vt qui planè confideret ſe diutius eſſe victurum, & vindictam de Mardochæo aliâs ſumpturum. Verùm, *mentita eſt iniquitas ſibi. Lacum aperuit, & effodit eū, & cecidit in foueam quam fecit.* Nam vt paulò ante fruſtratus eſt ſpe ſua: ita & nunc turpiſſimè fallitur. *Pſalm. 26. Pſalm. 7.*

Sed ô miſeram vniuerſorum hominum ſortem! Quando nec quiſquam eorum eſt, qui manè ſurgens ſanus & incolumis, ſciat an hæc poſtrema ſibi dies exiſtat. Nemo domo egreſſus, pro certo nouit, an illuc ſit rediturus. Nemo à chariſſimis coniuge ac liberis digrediens, compertum habet, an iterum horum conſpectu ſit fruiturus. Licet enim mors non vbique videatur, vbique tamen prȩſto eſt: iuuenibus in inſidijs, ſenibus in ianuis. Iuuenes citò mori poſſunt, ſenes diu viuere non poſſunt. Hinc exclamat Auguſtinus: Mors hunc necat febribus, illum opprimit dolori- *Seneca. Hieronym. Aug. Soliloq. cap. 2.*

bus;hunc conſumit fame, illum ſiti extinguit ; hun. ſuffocat aquis, illum interimit laqueo;illum peri[illegible] flammis, alium dentibus beſtiarum ferocium vorat hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit: alterum tantùm repentino terrore miſeram vitam finire compellit. Et nunc ſuper hæc omnia magna miſeria : quia cùm nihil ſit certius morte,ignorat tamen homo finem ſuum. Et cùm ſtare putat, colliditur, & perit ſpes eius. Neſcit enim homo quando, vel vbi,vel quomodo morietur : & tamen certum eſt quod cum mori oporteat,&c. Reliquum igitur omnino eſt,vt Deum nobis continuò ob oculos ponamus, omne deponamus odium in proximos, ambitioni & arrogantiæ abrenunciemus:& ita vitam noſtram in-

Matth.24. ſtituamus,aç ſi in horas hinc emigrandum eſſet. *Vigilate*(ait Chriſtus) *quia neſcitis qua hora Dominus veniet.*

Luc.12. Rurſumque: *Et vos eſtote parati,quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Nec malè ſcripſit gentilis

Hor.lib.1. Od.4. Poëta: *Vitæ ſumma breuis ſpem vetat incheare longam.* Iam te premet nox, &cæt.

LIBRI I

LIBRI ESTHERIS CAPVT SEPTIMVM.

1. *Intrauit itaque Rex & Haman, vt biberent cum Regina.*
2. *Dixitq́ ei Rex etiam ſecunda die, poſtquam vino incaluerat: Quæ eſt petitio tua Eſther, vt detur tibi? & quid vis fieri? Etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.*

DESCRIPTA Mardochęi exaltatione, ſimulque Eſtheris prudentia & ſagacitate in concilianda ſibi Aſſueri beneuolentia & gratia, iam refertur hoc capite Hamanis hoſtis Eccleſiæ accuſatio, damnatio, iuſtiſſimumq́ue ſupplicium. Ac primò quidem recitatur quomodo Rex & Haman inſtructum ab Eſthere conuiuium inierint. Deinde, quod interrogata Regina, graui oratione vitam propriam, populariumq́ue ſuorum ſalutem ab Hamanis (quem in facie accuſabat) inſidijs & crudelitate ſupplex vindicari poſtulauerit. Poſtremò, quo pacto Rex in Hamanem excandeſcens, eundem in illud excelſum patibulum ſuſpendi præceperit, quod ſeruo Dei Mardochæo parauerat.

Illud porrò, *vt biberent cum Regina*, idem eſt, quod, ad conuiuium inſtructum ab Eſthere regina. Hebræi etenim Conuiuium appellant à bibendo, vt Græci συμπόσιον: quod etiam πότον dixit author libri primi Machabæorum, capite vltimo, verſu decimoquinto. *Poſtquam vino incaluerat*: ſeu, vt Hebræus, *in conuiuio vini*. Sulpitius: Cùm iam poſt epulas, multis poculis conuiuium calere cœpiſſet. Sunt tamen docti viri qui opinentur, per *conuiuium vini*, quod hîc, itemq́ue capite quinto verſu ſexto, commemoratur, intelligi eam partem conuiuij, in qua vinum bibeba-

Herod.li.1. bibebatur. Aiunt enim Perſas primam ſitim aqua ſe-
Athen.li.2. daſſe; poſtea indulſiſſe mero. Herodotus & Athenæ-
cap.2. us profectò tradunt Perſarum reges vnius Choaſpis, fluuij Suſa præterfluentis aquam potaſſe, eamque idcirco decoctam, & argenteis vaſis conditam, quacunque iter facerent multis quadrigis vexiſſe; capitis pœna propoſita, ſi quis illam in potu adhibuiſſet, præter Regem, & filium Regis.

Cæterùm, ex his primò notandum occurrit quantum diſtent à ſeipſis iudicia Dei omnipotentis, & iudicia huius mundi: quando hi quos mundus feliciſſimos, fortunatiſſimosq; reputat, verè miſerrimi ſint & infeliciſſimi coram Deo. Quid enim beatitati Hamanis deeſſe mundus iudicaſſet? Stemmate regio gloriabatur, opibus, liberis, amicíſque abundabat, ab omnibus vt numen colebatur, Monarcham potentiſſimũ tam ſui amantem habebat, vt ſine ipſius cõſilio nihil graue conſtitueret, ſine eo nec hilariter cum Auguſta bibere, edere, aut colloqui poſſet. Homines certè ea
1.Reg.16. tantùm videntes quæ patent, & ſecundum externam laruam iudicantes, nullum hoc viro fortunatiorem eſſe audacter pronũciaſſent: ſed reipſa, & coram Deo, qui intuetur cor, omnium erat miſerrimus. Tumebat namque ambitione, æſtuabat inuidia, rumpebatur odio, perturbatiſſimoq; animo conuiuium inibat. Alta mẽte repoſtus hærebat fixus ille nouus honor, quem hoſti ſuo nuper coactus præſtiterat: deniquè in deſperationẽ adigebat, quod amici in os dixiſſent, Ipſum, quod ſemel coram Iudæo cecidiſſet, eodem ſemper inferiorem futurum, Mardocheum verò gloria & honore auctum iri. Quod ſi nouiſſet, conuiuium iſtud hami inſtar eſſe, quo ineſcatus mortem ſibi ipſi faceret, Deus bone, in quantas anguſtias redactus fuiſſet? Non ſunt itaque illi verè beati ac felices, quos mũdus tales æſtimat: imò ſi penitius inſpexeris, omnium hominum miſerrimi, vtpotè qui ſcelerum ſuorum conſcientia intus perpetuò crucientur, multa celent aduerſa, finemq; incertum pertimeſcant. *Etenim ſicut piſ-*
Eccli.9. *ces capiuntur hamo, & aues laqueo, ſic homines in tẽpore malo.*
Iudic.16. Samſon inuitatus à Dalila, vt in gremio eius dulciter quieſ-

quieſceret:ab eadem raſus capillis,hoſtibus ſuis tradi tur irridendus,excæcandus,& necandus. Holofernes *Iudit.13.* tot victorijs clarus,tot ſpolijs diues, cùm vino abundantius indulſiſſet, potiriq́ue Iudithæ elegantiſſima forma ſibi promitteret,vitam,exercitum,ſalutem denique perdidit,manu cæſus fœminę,quam deperibat. Diuiti,poſt cumulata repoſitaq; in multos annos plurima fortunæ bona,dicitur:*Stulte,hac nocte repetunt animam tuam à te:Quæ autem congregaſti cuius erunt?* *Luce 12.* Sic ſunt frequenter infeliciſſimi filij hominū, cùm feliciores ęſtimātur. Nullus ergo malorum proſperitate offendatur,nullus eorum ſucceſſibus inuideat,&c.

Rurſus audimus Aſſuerum regem temulentum ampliſſima polliceri. Si ex ebrietate ſolito largior fuit,omnino reprehendendus eſt, etiam ſi Deus eius ebrietate vſus ſit ad vtilitatem & liberationem afflicti populi ſui. Peccata enim ex diaboli hominiſque praua voluntate procedunt:quibus cùm Deus bene vtitur,vt proditione Iudæ,crudelitate Iudæorum,Petri negatione,incredulitate Thomæ, Sauli perſecutione, &c.id ſoli eius miſericordiæ & bonitati adſcribēdum eſt,non hominum malitiæ.Conſtat ſibi tamen Aſſuerus tam ſobrius quàm temulentus,quando etiā nunc vino madidus ingeminat & confirmat, quod ſiccus paulò ante promiſerat.Alios inuenias, qui ſobrij ne teruntium quidem pro alijs exponerent;ebrij profuſi ſunt,& præter modum ſuarum facultatum largitores.inuenias iterum qui,quæ inter pocula etiam iuramentis grauiſſimis promiſerunt, ſobrij vel non recordentur, vel pœnitudine ducti caput ſcalpunt, nec fidem pollicitis ſeruant.Solicitè ergo cauendum ab omni crapula & ebrietate, &c.Sed ad petitiones Eſtheris.

(.·.)

3. Ad

3. *Ad quem illa reſpondit: Si inueni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animā meam, pro qua rogo: & populum meum, pro quo obſecro.*

4. *Traditi enim ſumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in ſeruos & famulas venderemur: eſſet tolerabile malum, & gemens tacerem. Nunc autem hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in Regem.*

SATIS ſibi conciliato Rege, Eſther nunc petitionis ſuæ partes paucis exponit, ſimulque grauiſſimam accuſationem aduerſus Hamanem inſtituit: Primùm autem ſibi ipſi vitam donari rogat: ſecundò ſuos gentiles populareſque à nefaria crudelique laniena ſeruari: idque tanta prudentia tantoque orationis artificio, vt Rege ad miſericordiam & condolentiam pertracto & commoto, Hamanem in grauiſſimum odium adducat. Eſther igitur (ait Seuerus) cùm iam poſt epulas multis poculis conuiuium calere cœpiſſet, genibus Regis aduoluitur, & gentis ſuæ perniciem deprecatur. Non eſt, inquiens, quod putes, ô Rex, me eo nomine adeſſe, vt me vel auro, vel argento, vel gemmis & byſſo exornes: neque etiam hoc quidem rerum mearum ſtatu, pompæ ac ſuperbiæ locus eſt vllus. Hoc vnum rogo, ac quidem vehementiſſimè, ſi quid apud te valeo; vt vitam mihi, deinde popularib. meis clementiſſimè concedere digneris. Sumus enim ego & populus meus per ſummam inuidiam & malitiam accuſati, damnati, & indigniſſimo crudeliſſimoque exitio deſtinati, &c.

Seuer. Sulpi. li.1. ſac. hiſt.

Vide autem ſanctæ mulieris prudentiam. Non ſolùm populi ſui mentionem facit, ſed illi ſeipſam annumerat, ac quidem priore loco. Verendum enim erat, Regem, ſi ſolius populi meminiſſet, rem æquo diutius dilaturum, nec arctam illam amicitiam, quæ ſibi cū Hamane interceſſerat, Iudaici populi ergô diſ-

futurum.

ſuturum. Quia verò cauſa iſta Reginam etiam in primis attinebat, certè illam honeſtè præterire non poterat.

Obſerua etiam quanta vehementia rem proponat. *Venditi*, inquit, *ſumus ad iniuſtiſsimam & crudeliſsimam internecionem*, contritionem, mactationem, & poſtremam deletionem. Haman quippe promiſerat, ſe Regis ærario decies mille argenti talenta illaturum, dummodò Iudæi ſuæ poteſtati traderentur.

Præterea, ne Rex putaret illam natura inquietam, aut præter cauſam ſolemni mulierum more conqueri ac lamentari, prudenter ſubijcit. *Quod ſi in ſeruos & famulas venderemur* (quod tamen grauiſſimum eſt, ac Reginæ præſertim) *equidem tacita ferrem*, nec tibi eo nomine moleſta eſſem, aut querelis meis regias aures tuas onerarem: Sed cùm de vita & ſalute tot inſontiū hominum agi videam, exiſtimaui rem iſtam ſine piaculo præteriri non poſſe.

Addit poſtremò, *Crudelitatem hoſtis redundare in Regem*: quod bifariam intelligi poteſt. Primò, quòd gazæ regiæ grauiſſimam iacturam facient ex tot ſubditorum, magna tributa quotannis ſoluentium nece: qui ſi venderentur ſaltem in mancipia, ingentē pecuniarum vim adferrent. Secundò, ſi tot innocentes iniuſtè mactari Rex permittat, hæc crudelitas exiſtimationem eius apud omnes, ſalutem verò apud Deum in diſcrimen adducet. Expende Rex ſereniſſime, inquiebat illa, quot innocentum hominum reus eris? Quanto ſanguine manus, famam, & conſcientiam tuam commaculabis? Quid de te toto orbe narrabitur, ſi tot ſontes pariter & inſontes, nullo vel ætatis vel ſexus diſcrimine trucidari patiaris? Quis vitam tuam à proditoribus ſeruauit, quàm Mardochæus genere Iudæus? Cui charior fama & ſalus tua, quàm Eſtheri ſponſæ tuæ, ſanguine Iudaico ſatæ? Quis impenſius imperium tuum Deo vero & viuo aſſiduis precibus commendat, quàm populus Iudaicus? & cæt. *Lib. 8. de vic. verb. Dei, c. 18. 19. 20. &c.*

Rupertus ex his primò Eſtheris prudentiam ad laudem Dei prædicādam & ſpectandam eſſe docet: Fecit e- *Pſalm. 104.*

cit enim tàm prudenter, vt dictante Spiritu ſapientiæ eam cuncta hæc feciſſe non dubites: & ſicut de beato
Pſalm. 104. Ioſeph dictum eſt, *Eloquium Domini inflammauit eum*, ita de iſta quoque veraciter dicas, Eloquium Domini inflammauit eam, cùm non ſtatim aperuit Regi voluntatem ſuam: ſed ad conuiuium inuitauit amicum & inimicum, Regem & Haman. Prudenter prouidebat illic aperire inimicitias, vnde effugere non poſſet hoſtis homicida. Deinde, ipſe locutionis modus, quo Regis voluntatem ſuam aperuit, quanta prudentia & humilitate conditus eſt? *Si inueni gratiam in oculis tuis, ô Rex, ſi tibi placet, dona mihi animam meam*, &c. Nunquid Reginam ſe eſſe ſciebat, quæ tali modo Regi ſupplicabat? Nunquid amari ſeſe ſentiebat, quæ cum tantò timore obſecrabat? Profectò mirari Rex ipſe poterat, qui dimidiam regni ſui partem daturus erat, quòd Regina ſua, dilecta ſua, digna imperio præ cunctis mulieribus exiſtimata, pro anima ſua, id eſt, pro vita ſua ſupplicabat, tanquam captiua, tanquam proſcripta, velut ſi ab ipſo Rege fuiſſet condemnata. Hæc porrò ſcriptis prodita eſſe ad noſtram vtilitatem ac ædificationem omnium nóſtrûm non dubitemus:
2. *Tim.* 3. quandoquidem iuxta Apoſtolum, *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis ſit ad docendum, ad redarguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus.*

Secundò, ſpectanda eſt hîc ſingularis Dei prouidentia, quæ ſanctæ huius fœminæ rexit prudentiam. Quando ad primum cum Rege Haman acceſſit conuiuium, nondùm ſibimet deſtinatum parauerat ſupplicium. Siquidem Deo iudice ſic fuerat præordinatum, vt ipſemet pararet patibulum, machinatum alteri, debitum ſibi. Hoc autem nondum parauerat. Diuina igitur factum prouidentia non dubitandum, quòd voluntatem ſuam tamdiu aperire diſtulit, vt hoſtis ſuorum menſuram compleret peccatorum, Rex beneuolus fieret Mardochæo, Reginæ poſtulationem exauditurum ſe toties confirmaret, & Haman crucē erigeret, in qua mox eſſet periturus. Chananæos de regnis ſuis exturbare dum Abraham ſuperſtes fuit, noluit

voluit Dominus, *quia nondum completæ erant iniquitates eorum.* Nec rempublicam Iudæorum penitus ſubuertere ac delere, donec per mortem Chriſti & Apoſtolorum eius perſecutionem ac expulſionem è finibus ſuis, *adimpleſſent menſuram patrum ſuorum.* Geneſ.15. Matth.23.

His adde tertiò Eſtheris integritatem & æquitatem, quando non clanculum more impoſtorum & detrahentium; ſed palam, ipſo hoſte præſente, audiente, videnté, accuſationem in ipſum inſtituit: eamque Regi, qui legitimus magiſtratus erat, & ſuū cuiq; ius reddere tenebatur, exponit & declarat. Sic & Ioſeph accuſauit fratres ſuos *apud patrē crimine peſsimo*, id eſt, conqueſtus eſt apud eum qui iure & poteſtate valebat, de probris quibus afficiebatur à fratrib. ſuis. Inſtituit quoq; Deus in lege, vt in rebus cōtrouerſis, duorum aut triū teſtimonium firmum & ratum haberetur. Et Paulus prohibet accuſationē aduerſus presbyterum eſſe ſuſcipiendam, *niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Nouerat enim piorum doctorum & ſacerdotum vitam, omniū maximè patere improborum (quorum ſcelera redarguunt & damnant) calumnijs: & idcirco hoc canone illos præmunire voluit. Quibus omnibus confirmatur, Actiones forenſes, qualis hæc fuit, nō eſſe prorſus Chriſtianis hominibus illicitas; dum modò illęſa charitate Chriſtiana fiant. Geneſ.37. Deut.19. 1.Tim.5.

Docemur quoq; hoc memorabili exemplo, non eſſe ad omnia, vel ſemper tacendum aut diſſimulandū; prę ſertim vbi Dei gloria, Eccleſię ac populi ſacri ſalus periclitatur: etiam ſi coram principibus, diuitibus, ac glorioſis huius mundi filijs certandum ac dimicandum fuerit. Beata enim Eſther rectè putat, ſe nefarium Hamanis parricidium non poſſe ſilentio inuoluere ſine graui conſcientiæ ſuæ piaculo. Diuina ſua authoritate iubet Dominus, *quod ſi prophetes, ſi frater, ſi filius vel filia, ſi vxor, ſi amicus ſuadere voluerit, vt alios deos*, id eſt, falſam & impiam religionem *colamus, eum nec audiamus, nec parcamus ei, ſed ſtatim interficiamus*. Et Chriſtus ait: *Si manus, oculus, vel pes ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te*. Beatus Helias quadringentos & quinquaginta miniſtros Baal, qui populum Iſraelis ab auita Deut.13. Matth.18. 3.Reg.18.

Exod.32. pietate auerrerãt,ipſi populo tradidit trucidandos.Moſes poſt cædem triginta triũ millium apoſtatarũ,dixit Leuitis,qui eos ciciderant; *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino,vnuſquiſq; in filio,& in fratre ſuo,vt detur vobis benedictio.* &c.Sunt ergo pernicioſiſſimi hypocritę, ac diuinæ cauſæ manifeſti proditores, qui volunt in republica Chriſtiana ferendos eſſe hæreticos, aut fœdus pacemq; cum illis ineundam:ac ſi poſſent conuenire Chriſtus & Belial, aut lux cum tenebris habere conſortium. Nunquam enim Petrus diſſimulauit cũ Simone Mago, vel Paulus cum Elyma, Hermogene, Phileto,Hymenæo,& Alexandro,quos Satanæ tradidit cruciandos.Ioannes ſcilicet,patienter tulit Cerinthum ac Ebionem,Polycarpus Marcionem, Irenæus Gnoſticos, Athanaſius Arrianos, Hieronymus Vigilantium, Iouinianum, Heluidium, &c. Auguſtinus reſpondet Donatiſtis querentibus ac dolentibus,quod poteſtates huius ſeculi aduerſus eorum impetus in auxilium aduocaſſent viri Catholici, Nabuchodonoſorem iure ſub mortis pœnam prohibuiſſe ne quis blaſphemaret Deum Danielis.Regibus etiam præceptum eſſe,*Seruire Domino in timore*: Paulum audactèr à Iudæis ad Cęſarem prouocaſſe:nec ſine ratione ſcriptum eſſe,Magiſtratui gladium datum,*ad vindictã malorum.* Ambroſius quoque plurimum commendat Creſcentem,Leopardum, & Alexandrum compreſbyteros,qui authoritate Imperatoris freti,Manichæos omnium execratione damnatos,ex vrbe Mediolanenſi quaſi profugos repulerunt.Plurima quoq; Cõſtãtiuopolitanis ciuibus commoda & beneficia à Deo contigiſſe profitetur,poſtquam Arrianos è ſua ciuitate conſtanter eiecerunt.Hieronymus denique ſcribit: Reſpondeo(obtrectatoribus), Nunquam me hæreticis pepercíſſe:& omni egiſſe ſtudio,vt hoſtes Eccleſię mei quoq; hoſtes fierent.Idem quoq; ſcriptum ſuum aduerſus Vigilantium hoc epiphonemate claudit: Meam iniuriam patienter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui.

2.Cor.6.

Act.8.& 13.

Augu. Epiſt. 48.& 50.

Daniel.3.

Pſal 2.

Actor.2.

Rom.13.

Ambroſius epiſt.81.

Prologo lib. 1.de Spiritu Sancto.

Proœmio Dial.aduerſ. Pelag.

Docet rurſum ſuo exemplo beata Eſther, vxorum & piarum matronarum officium eſſe, viros ſuos ab

homi-

homicidijs, rapinis, violentia, malis conſilijs, & alijs ſceleribus reuocare ac impedire pro viribus: contra verò ad omnem manſuetudinem & pietatem prouocare. Reipſa enim reus fuiſſet Aſſuerus nefariæ laniенæ tot innocentum Iudæorum, & rapinarum, quas ſub illius nomine Hamaniſtæ commiſſuri erant, ni Eſtheris vxoris conſilio & artificio edicta crudelia reuocaſſet. Nam aliena peccata, noſtra quoq; fiunt, quãdo conſenſu, approbatione, iuſſione, diſſimulatione, conſilio illis fauemus. De quibus ſupplex orat Pſaltes: *Ab alienis* (delictis) *parce ſeruo tuo*. Vxor Pilati quantum potuit ne Chriſtũ adiudicaret morti, piè obſuit. Scribunt quoque Placillam clariſſimam & religioſiſſimam fœminam, cum laude & multiplici vtilitate fratrem ſuum Theodoſium imperatorem impediuiſſe, ne cum Eunomio peſtilentiſſimo hæretico colloqueretur. Sed de piarum matronarum erga maritos officijs, Com. in lib. Ruth copiosè diſſeruimus. *Pſalm. 18.* *Matth. 27.* *Caſsiod. li. 9. hiſt. tripert.* *Niceph. l. 12.*

5. *Reſpondenſq́ue rex Aſſuerus ait: Quis eſt iſte, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere?*

6. *Dixitq́ue Eſther: Hoſtis & inimicus noſter peßimus iſte eſt Haman. Quod ille audiens, illicò obſtupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non ſuſtinens.*

Q*Vis eſt iſte*, &c. Hebræus interpres: Quis hic ipſe, & vbi hic ille, quòd repleuit ipſum cor ſuum ad faciendum ſic? Et dixit Eſther: Vir anguſtiator & inimicus, hic malus Haman. Quę verba ſatis indicant animum Aſſueri ex ira grauiter commotum fuiſſe, vt & ſequentia manifeſtant apertiſſimè. Demirans ergo quærit, quis hominum tam audax, tamq́ue nefarium ſcelus auſus ſit vel ſecum animo cogitare ac deſignare? aut vbi ſit? aut cuius potẽtiæ, vt id opere valeat complere? Vult enim tam effrenem, tamq́ue impotentem nebulonem ſibi declarari, vt de eo meritas pœnas deſumat. Illum autem digito commonſtrãs, Ecce, ait Regina, hîc abeſt, hîc nobiſcum conui-

uatur hoſtis infeſtiſſimus,homo poſt homines natos peſſimus & nequiſſimus Haman: qui & mihi chariſſimæ coniugi tuæ,& toti populo meo innocenti crudeliſſimam internecionem machinatus eſt; & tibi Regi potentiſſimo violentas manus adferre meditatur. Hic eſt qui tam fœdè abutitur authoritate tua. Hic qui ſolium nomenque regium abominanda infamia maculare tentat. Hic qui omni iure legeque contempta, innumeris inſontibus, & fidelibus maieſtatis tuæ ſeruis & clientibus barbarum poſtremumque exterminium commolitur. Hic, aduerſus cuius ſummam nequitiam, fidem tuam, ô Rex, obteſtor, & miſericordiam imploro, &c.

Hinc primùm collige, Regum atque Magiſtratuum munus eſſe, per ſe vel per fidos miniſtros diligenter inquirere, qui ſint oppreſſores pauperum, qui prædones, qui homicidæ, qui reipublicæ perturbatores, ac homines in ditionibus ſuis peſtiferi, vt illos iuſtis ſupplicijs coerceant: pij verò ac ſimplices vindicentur &
Ioſue 7. aſſerantur. Ioſue probè ſciens Iſraelem terga hoſtibus ſuis vertiſſe ob aliquod magnum crimen admiſſum, non ceſſauit donec Achan furti reum deprehenderit.
1.Reg.14. Saul etiam ſortibus inueſtigauit, quis legem à ſe latã
Iob.29. præuaricatus fuerat. Et Iob de ſeipſo loquitur: *Cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam.*

Certè in eam rem Reges Perſarum multos inſtituerant Officiarios, quos oculos, & aures Regis vocabant, ideo quod munus eorum eſſet, obſeruare & audire quid vbique toto regno diceretur agereturve, ac illicò ad ipſum Regem fideliter referre: quo fiebat, vt is vbique locorum pro præſenti haberetur. Hinc vulgo iactatum, Perſarum regem multos habere Oculos,
Xen. lib.8. Inſtit. Aureſque multas. Xenophon namque teſtatur, Cyrum, dum ampliſſimis muneribus eos qui opportuna & commoda ei retuliſſent, muneraretur, perfeciſſe vt multi ſedulò inſpicerent, auſcultarentq; ea, quæ è re
Plutarch. principis fore exiſtimarent. Hunc magiſtratum in Artaxerxis comitatu geſſiſſe quendam Artaſyrem, ſcri-
Aeſchyl. bit Plutarchus in Artaxerxe. Aeſchylus quoque in Perſis,

Perſis, Alpiſtum vocat imperatoris Aures Oculum. Philoſtratus iudicauit Apollonium adeo pertinuiſſe, qui aurium regiarum partibus & munere fungebantur, tum propter veſtitus nouitatem, tum quod ſtatuam regiam venerari recuſauerat. Heliodorus etiam author eſt, Perſarum regijs aulis eunuchorum genus Aures & Oculos eſſe. Apuleius denique aulæ Perſicæ faſtum ex Ariſtotele deſcribens, Sed inter eos, ait, Aures regiæ, & imperatoris Oculi quidam homines vocabantur: per quæ officiorum genera, Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, cum omnia quæ vbicunque gererentur, ille Otacuſtarum delatione diſcebat, &c. *Philoſt.* *Heliod. li. 8. Aethiopic.* *Apul. lib. de mundo.*

Sed neque prædictis Officiarijs contenti Reges Perſici, vt regnum felicius adminiſtrarent, veteri inſtituto ſolebant omnes ditionis ſuæ prouincias obire, luſtrare, peragrare, vt Xenophon in Oeconomico tradit. Id quod Oebari monitu & hortatu Cyrum inſtituiſſe credibile eſt. Primus enim ille, Ariſtide teſte, Cyrum longinquam peregrinationem grauatè ferentem monuiſſe fertur, prorſus illi nollet vellet excurſiones eiuſmodi faciendas, ſiquidem imperio potiri cuperet: in eamque rem, vtris ſimilitudine vſum, qui inflatus ac turgidus pede facilè premeretur, coercereturque: ſublato verò ac remoto pede, mox exurgeret: rurſuſque calcatus ſubſideret. Plinius certè in Panegyrico, veri principis munus eſſe ait, Reconciliare ſibi æmulas ciuitates, tumenteſq; populos non imperio magis, quàm ratione compeſcere, intercedere iniquitatibus Magiſtratuum: infectumque reddere quicquid fieri non oportuerit. Poſtremò verò, velociſſimi ſyderis more, omnia inuiſere, omnia audire, & vndecunque inuocatum, ſtatim velut numen, adeſſe & aſſiſtere. *Xenoph.* *Ariſtid.* *Plinius.*

Notandum quoque Eſtherem non ante nomen Hamanis expreſſiſſe, quā Rex illud ſibi iuſſiſſet indicari: neq; aperto odio à Rege petijſſe, vt ab illo acceptas vlciſceretur iniurias, ſed modeſtè oraſſe, quatenus ſuam ſuorumque vitam incolumem ſeruaret: de reliquis nihil ſolicitam, quæ prudentiæ & volun-

tati regiæ maieſtatis, æquitatique iuſtitiæ relinquebat. Non enim ignorabat quo in pretio apud imperatoriam maieſtatem eſſet. Verendum etiam putabat, Si eum ad mortis ſupplicium trahi poſtulaſſet, ne contrà, acerbius reclamaret, indignum eſſe, bonum, fidelem, imperioque vtilem ſeruum, longa ſerie à regio ſanguine ortum principem priuato odio ad necem poſtulari, &c. Agendum igitur in huiuſmodi grauibus negotijs cum multa prudentia & ſynceritate animi, & nihil ex impotentia vel iracundia animi peſſimis conſultoribus: nihil niſi diuinæ prouidentiæ ac ſolicitudini impenſius re & cauſa noſtra prius ſuppliciter commendata.

Conſpice interea, quàm ſit infelix ac miſera Principum huius mundi conditio: quippe qui in proprio cubiculo, in propria menſa, in ſacratiore concilio, infeſtiſſimos proditores & hoſtes frequenter admittant & foueant. Hinc Dauid de Achitophele & ſimiliter confictis conſiliarijs, qui ei clam detrahebant, conqueritur: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Et ſi is qui oderat me, &c. Tu verò homo vnanimis, &c. Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, &c.* (Pſal. 54.) Et de Abſalonis ſcelere & iniurijs his verbis lamentatur & dolet: *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui: qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* (Pſal. 40. Ioan. 13.) Quæ verba non ſine graui cordis mœſtitia & dolore, Chriſtus aduerſus commenſalem ſibi proditorem vſurpauit, adijciens cum magno & iuſto horrore: *Manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* (Matth. 26.)

Nec prætermittenda eſt laus conſtantiæ ac fortitudinis Eſtheris reginæ, quæ eum, quem Rex in oculis ferebat, & omnes reformidabant, nominatim, & in faciem de grauiſſimis criminibus accuſat. Quantus enim illorum hodie numerus eſt, qui cùm magno & excelſo animo præditi eſſe videri volunt, tamen cùm neceſſitas id quàm maximè requireret, ne hiſcere quidem audentes, neſcio qua δυσωπίᾳ præpoſterè adducti, ſceleſtos homines ne leuiter quidem officij commonere ſuſtinent, ne dum vlcus tangunt, eoſque de

cona.

conatibus nefarijs ac proditorijs arguunt & accuſant? Et quod longè deterius eſt, eis frequentius adulantur, & horrenda crimina vel penitus excuſant, vel pro viribus eleuant. *Sic laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*. Sic ponitur amarum dulce, & dulce amarum, &c. *Pſalm.10.* *Iſa. 5.*

Huius, inquam, religioſiſſimæ fœminæ exemplo, cum publicis Eccleſiæ hoſtibus nunquam colludamus, nunquam diſſimulemus: ſed loco & tempore conſtanter traducamus, nominatimque damnemus. *Hoſtis*, inquit, *& inimicus noſter*, id eſt, ſanctiſſimi ſeminis Abrahæ, de quo proditurus eſt mundi huius reparator & Iudex, *peſſimus iſte eſt Haman*: qui nec Deum timet, nec homines reueretur. Iſte adulator pernicioſiſſimus, iſte proditor calidiſſimus, iſte homicida crudeliſſimus, iſte hoſtis infeſtiſſimus, iſte qui nec humanitate mea flectitur, nec beneficijs tuis cicuratur, nec innumerabilium innocentium miſeria retardatur à conceptis in Deum, in Regem, in Rempublicam tetris facinoribus. Ita ſanè verbis nequaquam mollibus, ſed acerbis & ſeueris Præcurſor Chriſti Phariſæorum turbas increpans, appellabat *ſerpentes, genimina viperarum*: idemq; Chriſtus, illos hypocritarum, & ſepulchrorum dealbatorum nomenclaturis frequenter deſignauit. Nec Paulus Elymam magum, ſeſe Euangelicæ prædicationi opponentem, palpauit, cùm dixit: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, &c.* ipſosque pſeudoapoſtolos nominans *Operarios ſubdolos, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, ſicut Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*. Grauiter etiam cum hæreſiarchis agit Beatus Iudas, vocans illos, *Nubes ſine aqua, arbores autumnales, infructuoſas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feri maris, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruatur in æternum*. Ioannes autem diſertè *Antichriſtos, & ſynagogam Satanæ* illos ipſos nominat. Apoſtolorum diſcipuli præceptores ſequuti, mitius cum illis non egerunt, quando Polycarpus Marcionem habuit, pro Satanæ primogenito, Ignatius Ebionitas, Cerinthianos, Simonianoſque nuncupat, Mentis *Matt.3.* *Luc. 3.* *Matth.23.* *Act. 13.* *2 Cor.11.* *Iud. v. 11. & 13.* *Irenæus lib. 3. cap. 3.*

Epiſt adTral. lianos, Phi ladelp. & Antioch.
Lib.2. conſt. cap. 24. & lib.6. c. 20.
Iren lib. 1. c. 5 20. &c.

ſeductores, verbi Euangelici caupones, ſycophantas, progeniem maledictam, inimicos crucis Chriſti, ramos eorum qui Dominum occiderunt, feras homicidas, ſementem diaboli, ſerpentes, dracones, aſpides, baſiliſcos, ſcorpiones, &c. Clemens habet illos pro feris crudelibus humana figura indutis, lupis pernicioſis, organis diaboli, ac iræ diuinæ filijs. Irenęus exclamat in eos. O pepones, ſophiſtæ vituperabiles, & non viri. Apoſtatæ veritatis, ſerpentis aduocati, Pandoræ, ſophiſtæ peruerſiſſimi, &c. ipſumque Marcionem non alio nomine appellat quàm ipſummet os diaboli. Hæc porrò non ſunt conuicia, ſed iuſtę increpationes, & culpis eorum debitæ reprehenſiones atq; caſtigationes, vt ab his reſipiſcant: vel ſaltem quales reuera ſint coram Deo & Angelis eius vel audiant inuiti.

Eant nunc molles aulici, & omnium atheiſmorum patroni, pioſque verbi Diuini Præcones conuitioſos & maledicos appellitent ac vociferentur, cùm eos de ſuggeſtu aliquoties audierint pro zelo ſanctiſſimæ fidei Catholicæ verbis duris & acerbis hæreticos, horumque fautores increpare. Seditioſos appellent Prophetas, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quos audiunt longè durioribus & acerbioribus illos quondam perſecutos eſſe, &c. Ad Hamanem hoſtem Eccleſiæ ab Eſthere egregiè traductum redeo.

6. *Quod ille audiens,* (inquit) *illicò obſtupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non ſuſtinens.*

IAm incępta calamitas ſuperbi crudeliſq; tyranni nec quieſcit, ne tardat, ſed repentè adoritur illum, qui iam ſibi extrema mala impendere ab amicis audierat & ſenſerat. Heu quàm varia mutabiliſq; fortuna! Quàm protinus verſa facie mutata omnia! Quā verè dictum à Propheta, *Ad matutinum lætitia, & ad veſperam demorabitur fletus!* Manè ex lectulo conſurgens, in ampliſſimo loco dignitatis conſtitutus, ſe feliciſſimum omnium mortalium prædicabat: ſed ad veſperam ſenſit fato horrendo innumerabile pondus miſeriarum. Itaque conuictus à Regina, à veritate, & à pro-

à propria conſcientia; coram Deo, coram Angelis, & coram Imperatore Aſſuero, qui prius diſertiſſimus, loquaciſſimus & facundiſſimus in accuſando populum diuinum fuerat, nunc mutus eſt magis quàm piſcis aut truncus: confuſusque vultu & animo, magis quàm latro in furto deprehenſus. Heb. *Et Haman territus eſt à faciebus Regis & Reginæ*. Accuſatio quippe non erat ex mendacio vel calumnijs compoſita; ſed apertiſſima & veriſſima. Ad hæc, nihil minus à Regina expectabat: imò perſuaſiſſimum habebat, ſe ideo ab illa ad conuiuium vocatum, vt ingentem erga illũ beneuolentiam & fauorem declararet.

Atqui tales ſunt mores, talis ſors omnium impiorum. Priuſquam enim multitudinem & grauitatem peccatorium ſuorum ſentiant, viuunt ſecurè, contemnunt Deum, irrident minas & iudicia eius, pios perſequuntur, in eleuandis ſceleribus ſuis diſertiſſimi ſunt, ſomniant ſe perpetuò fortunatos fore. Sed obiecta illis facie mortis, & peccatorũ turpitudine palam detecta; ſtatim obſtupeſcunt, quò ſe vertant ignorant, ne mutire quidem audent; denique animis deficientes planè deſperant. Qui ſine honeſta veſte nuptiarum conuiuium intrauerat, interrogatus; *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* penitus obmutuit, obſtupuit, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit. Ezechias audito mortis & iudicij eam conſequentis nuncio, theſauros iuſtitiamque ſuam non amplius iactauit: ſed peccata vberrimis lacrymis defleuit, dicens: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Dauid & Ionas patefacto ſibi diuino iudicio, toti exhorruerunt, & peccata ſua ingenti clamore & gemitu defleuerunt. Impij vociferantur; *Montes cadite ſuper nos. Colles cooperite nos.* Præueniamus ergo faciem Domini in confeſſione. Ploremus coram Domino qui fecit nos. Tempore ad pœnitentiam & merita conceſſo non abutamur, &c.

Matth. 22.
Iſa. 37. 38.
Pſalm. 6. 37. 50. &c.
Ion. 2.
Apoc. 6.

Obſeruandum etiam hoc exemplo, impiorum hominum calumnias & impoſturas, quantumuis artificioſas & occultas, non poſſe diu latere: ſed diuino iudicio tandem aliquando patefieri, & piorum iuſtitiã

innocentiamque velut ex tenebris emergere atque clareſcere. Quare nihil impiè ſuſcipiendum eſt aduerſus calumniatores & detractores: ſed ſi non potes innocentiam tuam legitimè tueri, perdura conſtanter in iuſtitia & pietate tua. Tempus enim erit, quo non homines tantùm, ſed & Angeli refutabunt calumnias impiorum, teſtabuntur de tua innocentia; & Chriſtus patientiam & virtutem tuam præmijs æternis in cœlis coronabit. Exempla nobis propoſita ſunt in Ioſeph, Naboth, Suſanna, Chriſto, Stephano, Apoſtolis, &c. Hieronymus hac ſpe aduerſus plurimas calumnias ſe erigens & recreans, ſcribebat: *Hieron. epiſt. ad Aſellam.* Ante tribunal Chriſti ſtabimus, & illic apparebit qua mente quiſque vixerit, &c. Verùm quid dixit fecitve Aſſuerus, audiens Hamanem adeo abuſum eſſe ſua facilitate & poteſtate?

7. *Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus conſitum. Haman quoq; ſurrexit, vt rogaret Eſther reginā pro anima ſua. Intellexit enim à Rege ſibi paratū malū.*

8. *Qui cùm reuerſus eſſet de horto nemoribus conſito, & intraſſet conuiuij locum, reperit Haman ſuper lectulum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, et ait: Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea. Necdum verbum de ore Regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.*

PRimò, ex confuſione & ſilentio Hamanis; inſuper, crudelibus edictis ſuo nomine regio euulgatis, Aſſuerus nihil dubitans illum tot ſcelerum conuictū eſſe; à compotatione iratus conſurgit. Nec abs re. Etenim ſe ſuaq́ue omnia Hamani crediderat, conſilia eius ſemper amplexus fuerat, planeq́ue ſibi perſuaſerat illum imperij ſui firmiſſimam columnā eſſe. Nūc verò intelligit, ipſi nihil minus cordi fuiſſe, imò totius imperij Perſici euerſionē facilè laturū, dū modò expetitam de Mardochæo ac Iudæis vltionem ſumpſiſſet. *Prouerb. 14.* Sapiens quippe docet; *Regis gloriam conſiſtere in*

re in multitudine populi, & in paucitate plebis ignominiam principis. Hamã verò id agebat vt potior melior'q; pars eius crudeliter abſumeretur. Iuſta ergo indignatione in eum, vt perfidiſſimum & ingratiſſimũ hominẽ, rex excandeſcit & iraſcitur. Hoc autem non exiguæ prudentiæ fuit, quod eũ non continuò pedibus conculcauit, non manibus præfocauit, non cõfodit gladio: ſed ne quid indignum officio ſuo, ebulliente ira, committeret, perrexit in hortum nemoroſum, vt ira deferueſceret, & cum aliquibus forſan conſiliarijs de toto negotio conferret. Ira ergo cohibenda eſt maximè in puniendo. Eſt enim principium inſaniæ atq; furoris, ſecum vt torrens, cuncta obuia corripiens. Laërtius ſcribit Biantem Prienæum, dicere ſolitum, bono conſilio duo maximè contraria eſſe: Feſtinationem ſcilicet ac Iracundiam. Homo enim iracundus cùm extra ſeipſum ſit, vacuus eſt omni conſilio. Laudatur à Plutarcho Athenodorus Philoſophus, quod Auguſto, cuius præceptor erat, cùm ei vale diceret, hoc ei dogma reliquerit: Cæſar, quum fueris iratus, ne quid dixeris feceriſve, priuſquam Græcarum literarum 24. nomina apud te recenſueris. Celebratur quoque à Theodoreto & Caſſiodoro Ambroſius Mediolanenſis, quod legem à Theodoſio Imp. extorſerit, qua prohibitum erat Iudicibus, ne quis reus, quantumuis morti adiudicatus, intra triginta dies, extremo ſupplicio afficeretur: videlicet vt omni ceſſante ira, ratio cauſam dijudicaret, non impetus.

Laërt.

Plut. in apophthegm.

Theod. lib. 5. hiſt.

Caſsiod. li. 9. hiſt. trip. cap. 30.

Attende quoque planè ſtupendam & mirandam rerum mutationem. Paulò ante omnes coram Hamane procumbebant, nunc autem corruit ante mulierculam. Qui Iudæos odio cane peius & angue proſequebatur, nunc Iudaicæ fœminæ ſupplex efficitur. Qui cunctis Hebræis crudelem necem procurauerat, nunc de vita propria ſeruanda anxius eſt. Qui Mardochæum ferre non potuit, nunc eius familiæ ſupplicat. Idem prorſus fratribus Ioſeph contigerat, quando ipſum trementes & procumbentes in terram adorauerunt, quem ne adorarent vendiderant alienigenis. Antiochus cæleſti vltione afflictus, Iudæum ſe futurum,

Gen. 37. 42. &c.

Mach. 9. futurum, & mirabilia Dei Abraham, Iſaac, & Iacob toto orbe prædicaturum ſe pollicebatur; qui ſub mortis interminatione paulò ante prohibuerat, ne quis *Luc. 16.* Iudæus ſupereſſet. Epulo denique Lazari digito in aquam intincto refrigerari poſtulabat, qui nec panis modica mica Lazaro ſubuenire voluerat.

Hoc etiam diuinum iudicium ad Eccleſiam Catho *Iſa. 60.* licam pertinet, cui Deus repromiſit: *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini.* Quod in Cæſaribus Romanis, alijſq; terræ Regibus impletum eſt, quando poſt Conſtantini tempora, Chriſti iugo ceruices ſubiecerunt, Eccleſias ſuis expenſis inſtaurauerunt, & aduerſus idola pro cultu veri Dei pugnauerunt, qui pro idolis tot *Aug. epiſt. 41.* martyrum myriadas necauerant. Nunc videtis (ait Auguſtinus) imperij nobiliſſimi culmen eminentiſſimum, ad ſepulcrum piſcatoris Petri ſubmiſſo dia- *Chryſ. ho. 66. ad pop. Antioch.* demate ſupplicare. Et Chryſoſtomus: Ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa (piſcatorum Apoſt.) complexurus ſepulcra, & faſtu depoſito ſtat Sanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant. Et ſcenarum factorem (B. Paulum) & piſcatorem etiam mortuos, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit.

Spectat quoque ad idem terribile iudicium Dei aduerſus Hamanem, quòd nullus ei compatitur, nullus ſortem eius miſeretur, nullus pro illo intercedit. Accuſat Auguſta, damnat conſcientia, iudicat Rex, Eunuchus (vt dicetur mox) indicat crucem erectam eſſe, præſto ſunt lictores, omnia ad turpiſſimum & triſtiſſimum exitium parata: nulla in animo illius fides, nulla ſpes relicta eſt, quæ cum omnium rerum deſperatione confligat. Quid eo miſerius & infelicius? Verùm, hi ſunt fructus peccati, hæc ſors tyrannorum, hi effectus iudiciorum diuinorum aduerſus ſuperbos, inſolentes, violētos, hoſtes ſancto *Ierem. 2. & 32.* rum ſeruorum ſuorū. *Quomodo confunditur fur* (ait Dominus per Prophetam), *quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi & Reges eorū, principes & ſacerdotes,*

& Pro-

& Prophetæ eorum; dicētes ligno: Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuiſti. Verterunt ad me tergũ, & non faciem: & in tempore afflictionis ſuæ, dicent, Surge, et libera nos, &c. Adã ſtatim poſt peccatum, etiam ſemetipſum erubeſcens, querit latebras, nec audet cōſiſtere ante faciem Domini Cain iraſcitur, concidit vultu, Deum irreuerenter alloquitur, à facie eius abſconditur, fit vagus & profugus in terra, planè deſperat. De cunctis reprobis dicitur. *Clamabunt, & ego non audiam: manè ſurgent, & non inuenient me.* Rurſumque. *Clamabit, & non exaudietur.* Et in Apocalypſi: *Quærent mortem, & mors fugiet ab eis.* Fatuis quoque ac imparatis virginibus, clauditur ianua, & dicitur à Sponſo; *Neſcio vos*. Sic enim impij plectuntur: & iudicia Dei pro ſanctis & pijs contra illos ſemper vigilant. *Gen. 5.* *Gen. 4.* *Prou. 1.* *Prouerb. 21.* *Apoc. 9.* *Matth. 25.*

Notat porrò Sapiens duplicem eſſe Confuſionē. *Eſt Confuſio*, inquit, *adducens peccatum*, videlicet quando pudore quis non vult agnoſcere ac confiteri peccata ſua: ſed in his contumaciter perſeuerat. Nam is coram Deo, Angelis, & omnibus Sanctis ſempiterna confuſione ac ignominia afficietur. *Et eſt Confuſio adducens gratiam & gloriam*, qualis nimirum eſt pudor ac erubeſcentia pœnitentium, vt Magdalenæ, Samaritanæ, adulteræ, Petri, Thomæ, &c. Hinc Gregorius: Qui erubeſcit bona facere, à ſtatu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit: qui verò erubeſcit pœnitendo malorum quæ fecit, ad vitæ libertatem peruenit. Et Auguſtinus: In iudicio confundentur perniciosè, qui modò nolunt confundi ſalubriter. Præbet nobis Deus modò aditum ſalubris confuſionis, ſi non contemnamus medicinam confeſſionis. Et idem rurſum: Eſt quædam confuſio temporalis, vtilis perturbatio animi reſpicientis peccata ſua, reſpectione perhorreſcentis, horrore erubeſcentis, erubeſcentia corrigentis. De qua Apoſtolus: *Quam gloriam habuiſtis, tunc in his in quibus nunc erubeſcitis?* Hanc confuſionem non formidet Chriſtianus: imò ſi hanc non habuerit, æternam habebit: quando traducent eos ex aduerſo iniquitates eorum, & malus grex erit ad ſiniſtrã, &c. *Eccli. 4.* *Greg. hom. 1. in Ezech.* *Aug. in Pſal. 85.* *In Pſal. 30.* *Rom. 6.* *Sap. 5.* *Matth. 25.*

Intuere & alium diuini iudicij aduerſus Hamanem ef-

nem effectum. Rex Aſſuerus ex horto in locum conuiuij redit nihilo clementior in eum, quoniam repertum ſuper lectulum Reginæ in modum ſupplicantis, inſimulat eum, vel quod manibus eam præfocare, vel quod violenter conſtuprare niteretur: cùm tamen de hac re, ne tum quidem cogitaret. Exclamat ergo cū indignatione. *Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea*. Hebræus interpres cum interrogatione vehementi: *Num etiam ad ſubijciendum*, alij, *ſubagitandum, Reginam mecum in domo?* Vtebantur olim in cœnis lectulis, in quibus media corporis parte recumbebāt, alia erecta. Haman ergo Reginæ clementiam ambiēs, ſimulq; angore, aut deliquio animi correptus, ad accubitum eius ceciderat: quod Rex (ſic diuina vltione miſerum vrgente) interpretatur Compreſſionem Reginæ ab illo tentari. Ac iniuſtus quidem eſt Rex, qui hanc illi affingit calumniam: iuſtus autem Dominus, qui recto iudicio permittit Hamanem mendacijs & calumnijs opprimi, eò quod alijs virginibus aut matronis vim intuliſſet; & vniuerſum populum Dei lōgè grauioribus calumnijs in diſcrimen adduxiſſet.

Sap. 11. Scriptum eſt enim: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*.

Matth. 7. Et iterum: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur & vobis*.

Iſaiæ 33. Et in Iſaia: *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? Et qui ſpernis, nōne & ipſe ſpernēris? Cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus deſieris contemnere, contemnēris*.

Iob.31. Iob quoq; imprecatur ſibi: *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum alterius ſit vxor mea*. Adonibezec cæſis ſibi ſummitatibus manuum ac pedum ab Iſraelitis, di

Iudic.1. uini iudicij æquitatem his verbis fatetur: *Septuaginta Reges amputatis ſummitatibus manuum ac pedum, colligebāt ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi*

Prouerb.21. *Deus*. Et Salomon: *Qui obturat aures ſuas, ne audiat vocē pauperis, clamabit ipſe, & non exaudietur*. Denique, inter ſupplicia Legis diuinæ contemptoribus irrogata nume-

Deut.28. ratur, *Omni tempore ſuſtinebis calumniam, opprimeris violentia, nec habebis qui te liberet*, &cæt. Studendum ergo iuſtitiæ & charitati: & ab omni violentia iniuriaque proximi diligenter cauendum.

STV-

STVPRVM quibus olim ſupplicijs vindicatum.

EX his quoque apparet, ſtuprum ſiue virgini, ſi-
ue matronæ, per vim illatum omni lege ac lo-
co capitale fuiſſe. Amnon, qui Thamarem ſo- *2.Reg.13.*
rorem vi compreſſerat, gladijs ſeruorum Abſalonis
tandem confoſſus eſt. Propter violatam cuiuſdam *Iudic.17.*
Leuitæ vxorem 25 millia Beniaminitarum cæſa ſunt
à cæteris tribubus Dauidis adulterium, tametſi ſpon *2.Reg.24.*
taneum, vix ſeptuaginta millium hominum morte
expiari potuit. In Deuteronomio raptor adiudicatur *Deut.22.*
morti.

In hiſtorijs Gentium occurrunt frequenter infe- *Liuius.*
lices euentus raptuum. Io Argus abducta eſt à Phœ- *Valer.*
nicibus, Europa à Cretenſibus, Medea à Iaſone, Hele- *Plutarch.*
na à Paride; quæ omnia innumeris bellis, cædibus, &
regnorum euerſionibus cauſas attulerunt. Sabinæ
cùm voluiſſent Romanorum ſpectaculis intereſſe,
raptæ ſunt ab illis, ex quo vterque populus ferè con-
cidit. Dinæ filiæ Iacob raptus, raptori & toti eius reg- *Gen. 34.*
no lamentabile exitium attulit.

Quoniam verò iudicium ſanguinis non eſt penes
Eccleſiam, illa Raptores ſuis canonibus adigit ad pu- *2.q.2. can.*
blicam pœnitentiam. Raptor, inquit, pœnitentia pu- *Raptor. can.*
blica multetur: raptam verò ſi ſponſus accipere no- *Statutum.*
luerit, & ipſa eidem crimini conſentiens non fuerit,
licentia nubendi alij non negetur. Et iterum: Statu-
tum eſt, vt ſi quis ſponſam alterius rapuerit, publi-
ca pœnitentia multetur, & ſine ſpe coniugij ma- *36.q.1. can.*
neat. Alibi etiam Raptorem ſubijcit ſeruituti, do- *De raptori-*
nec libertatem ſuam reddimat. His concilium Chal- *bus, & q 2.*
cedonenſe adijcit: Raptores, ſi clerici ſunt, deci- *can. Eos: can.*
dant à proprio gradu: ſi verò laici, anathematizen- *Raptores, ca.*
tur. Hos, inquit Symmachus, pro tam nefandiſ- *De puellis, c.*
ſimi criminis atrocitate, à communione ſuſpen- *Si quis vir-*
di præcipimus. Eiſdem quoque pœnis ſubijciunt *ginem.*
eos, qui Raptoribus conſilio vel auxilio fuerint,
&c.

Imperatores autem quibus gladij poteſtatem Do-
minus

Codicis l. 9. tit. 13. §. 1. & 2. minus tradidit, Raptores virginum ſiue iam deſponſatę fuerint, ſiue non, vel quarumlibet viduarum fœminarum, capitis ſupplicio plectendos decernunt: maximè ſi Deo fuerint dedicatæ. Et meritò, cùm nec ab homicidij crimine Raptores ſint vacui. Quibus etſi appellare voluerint, nullam concedunt licentiam, ſecundum antiquæ Conſtantinianæ legis definitionē. *Cod. Theod. lib. 9. tit. 24.* Quod ſi in ingenuam perſonam tale facinus perpetretur, etiam omnes res mobiles, ſeu etiam immobiles, & ſe mouentes, tam Raptorum, quàm eorum ſodalium comitum, vel ſequentium, qui eis auxilium præbuerint, ad dominium raptarum mulierum liberarum, transferuntur, prouidentia iudicum, & cura parentum earum, vel maritorum, vel tutorum, ſeu curatorum. Sed & ſi quis inter hæc miniſteria ſeruilis conditionis fuerit comprehenſus, citra ſexus diſ- *Iul. Paul. lib. 2. tit. 27.* cretionem, eum concremari iubent: cùm hoc etiam Conſtantiniana lege rectè fuerit proſpectum. Decernunt quoque eos ad Legem Iuliam de vi publica per- *Digeſt. lib. 48. tit. 6. li. 3. & 5.* tinere, qui puerum, vel fœminam, vel quemquam per vim ſtuprauerit. Adduntque: Qui vacantem mulierem rapuit, vel nuptam, vltimo ſupplicio puniatur. *Reſponſorum tit. 9.* Et Papinianus ſcribit: Raptorum probata crimina taliter punienda ſunt, vt ſi puellam cum parentibus nihil ante depacti rapuerint, aut volentem abduxerint, vnà cum facinoris ipſius intercurrentibus vel admiſſoribus puniantur. Nec parentibus liceat de hoc crimine cum Raptore ſub qualibet pactione componere: quod ſi facere præſumpſerint, interfecto Raptore, compoſitores ipſius criminis in exilium depu- *Codic. Theo. li. 9. tit. 25.* tantur. Iouinianus quoque Imper. ſanciuit: Si quis non dicam rapere, ſed & adtemptare matrimonij iungendi cauſa ſacratas virgines, vel inuitas auſus fuerit, capitali ſententia ferietur, &c. Ad Hamanem, raptus & violentiæ inſimulatum à Rege, nunc redeamus.

8. Necdum

8. *Necdum verbum de ore Regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.*

HIc notat Aben-ezra, morem Perſarum fuiſſe, vt ſerui Regis tegerẽt faciem eius cui Rex ſuccenſebat, ne amplius eum Rex videret. q.d Occultauerunt eum miniſtri Regis, ne poſt hæc videretur ab eo, & magis ſuccenſeret illi. Alij vertunt: *Facies Haman tecta fuit*, id eſt, præ pudore ipſe texit faciem ſuam. Superius enim oſtendimus omnium more receptum eſſe, in ſummis mœroribus faciem deprimere & velare, quaſi etiam ipſa lux tum odioſa foret. Lyranus & Rikelius omnium rectiſſimè: Operuerunt faciem eius tanquam condemnati ad mortem: quia tunc erat talis modus, & adhuc eſt in aliquibus regnis & gentibus, vt pro aliquibus criminibus condemnatorum ad mortem, velentur oculi. Notus eſt hic Ciceronis & Liuij locus: I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. Iudæi Chriſti Domini authoritate conſiſtorij Gazith ad mortem damnati, in faciem conſpuentes eam velauerunt, & colaphos impegerunt. *Orat. pro Rabir.* *Lucæ 22.* *Marc. 14.*

Ex quibus vel iterum diſcamus, veriſſimum eſſe quod vulgo dicitur: Principum ſeruitia non eſſe hæreditaria. Haman ſibi perſuaſerat ſe apud Regem omnia poſſe, quippe qui cunctis ſeruis ſuis iuſſiſſet eum adorare: quod & faciebant, dempto Mardochęo. Poſt paululum, amiſſo regis fauore, caput illi obuelant, indicant paratam crucem altiſſimam, in quam eundem ſuſpendunt. Verè *maledictus homo qui confidit in homine. Nolite confidere in principibus*, &c. Horum enim gratiã vel nos leuiſſima de cauſa amittimus, vel ipſa nos volentes nolentes deſerit: reliquum eſt igitur, vt pro neceſſitate præſentis ſeculi eadem prudenter vtamur, omnem autem ſpem noſtram in vnum Deum collocemus, qui nullum vnquam deſerit, niſi prius deſeratur. *Ierem. 17.* *Pſalm. 117. & 145.*

Hîc mirabitur aliquis, tametſi ira Regis ſit iuſtiſſima, & ſupplicium Hamani decretum æquiſſimum; quomo-

quomodo Rex tantam tanti Principis cauſam non retulerit ad cognitionem Iudicum regiorum, iuxta Perſicam conſuetudinem? Reſpondeo: ſubindicat Seuerus eũ de re tãta deliberaſſe, cùm ſcribit: *Rex amici memor, pauliſper cunctatur, deliberandiq́ue gratia modicum ſeceſſit*. Cum quibus, niſi regijs conſiliarijs ac iudicibus, qui pro more illi aderant? Eos enim Regem quaquà iter faceret comitari ſolitos, indicat Herodotus, referens in Cambyſis aduerſus Aegyptios expeditione, huiuſmodi iudicum decreto, morti addictos denos ex primoribus Aegyptijs, pro ſingulis Perſis, qui à Memphitanis cæſi fuerant. Accedit, crimen fuiſſe tam manifeſtum certumq́ue, vt nemo dubitare poſſet. Edicta iniuſta & crudelia vbique patebant aduerſus innocentem populum: patibulũ altitudinis quinquaginta pedum Mardochæo de Rege regnoq́ue optimè merito, erectum erat. Reus ſilentio & geſtis crimen agnoſcebat. Quid ergo longiore opus diſquiſitione? Dauid Amalechitam mortis Saulis authorem ſe dicentem, illicò iuſſit occidi: Rechab & Baana fratres caput Isboſethi adferentes ſtatim peremit: & hũc totius populi diuini exterminatorem necatoremq́; Rex magnus iuſtitiæq́; debitor ſine prolixa litis diſcuſſione non potuit ligno adiudicare? Præterea, neque anxiè contendendum, vt Aſſuerum hominem ethnicum à peccatis multis & grauibus vindicemus. Quare etſi Haman iuſtiſſimè, adeoq́ue diuina adminiſtratione adiudicatur morti, tamen quod faciunt Reges per præcipitem iram, vt aliquoties eſt iniuſtiſſimum; ita ſemper eſt mali exempli. Poſtremò, Reges Perſici legibus ſoluti dicebantur, illisque licere quod libebat, vt ex Herodoto & Plutarcho colligitur: & omnes ſubditos, ſola vxore excepta, pro ſeruis & mancipijs habebant, in quos omnem vitæ & necis poteſtatem exercerent. &c.

Seu l. 1. hiſt. ſacræ.

Herod. lib. 3.

2. Reg. 1. & 4.

Herod. lib. 3. Plut. de tribus generib. Rerumpubl.

9. *Dixit-*

9. *Dixitq; Harbona, vnus de Eunuchis, qui ſtabant in miniſterio Regis: En lignum quod parauerat Mardochæo, qui locutus eſt pro rege, ſtat in domo Haman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit Rex: Appendite eum in eo.*

10. *Suſpenſus eſt itaque Haman in patibulo quod parauerat Mardochæo: & Regis ira quieuit.*

IOSEPHVS eunuchum iſtum vocat Sabuchadar, affirmans eum Hamanem accuſaſſe Regi, quod inueniſſet in atrio eius paratam crucem ad mortem Mardochæi. Nam hoc illi interroganti ſeruus indicauerat, cùm inuitaturus eum ad cœnam veniſſet. Quod Rex audiens, inquit, in illam eum pœnam tradere decreuit, quam contra Mardochæum ipſe tractauerat. Subijcit autem Ioſephus & hoc notatione dignum: Vnde mihi contigit mirari nomen Dei, & ſapientiam & iuſtitiam eius agnoſcere, quòd non ſolùm maleuolentiam Haman, quem puniuit; ſed quod excogitata contra alium tormenta in eum conuertit: & cæteros hoc ſentire permiſit, quoniam qui contra alium quædam molitus fuerit, hæc in ſe primùm parata cognoſcat, & cæt. Atque hoc eſt illud æquiſſimum Dei iudicium aduerſus impium, quod Propheta Dauid in Pſalmis toties canit & celebrat, dicens: *Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Gladius eorum intret in corda ipſorum. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.* Nec Salomon de hoc iudicio ſiluit, cùm ſcripſit: *Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Et ne quis putet inanes tantùm eſſe minas, animaduertat quomodo exemplis tam ſacris quàm humanis iſtud omni ætate confirmatum fuerit in ſocijs Danielis, ipſomet Daniele, Suſannæ ac Belis hiſtoria. Item in Pharaone ſubmerſo in mari, qui pueros Hebræos in flumen mergendos iuſſerat; Saule, Achitophele, Abſalone, Goliathe, Philiſtinis, &cæt.

Li.11. antiq. cap.6. *Pſalm 7.* *Pſalm 9.* *Pſalm.36.* *Pſalm.56.* *Prouerb. 26.* *Ecclеſ.10.* *Eccli 27.* *Daniel.3.6. 13.& 14.*

Euſeb. lib.1. de vita Conſtantini. Sic & hiſtorijs Eccleſiaſticis idem quoque probatum fuit, quando Maxentius ſceleratus & crudelis Chriſti aduerſarius, in fallaci ponte cum ſuis perijt, quem ad perdendum Conſtantinum optimum Imp. parauerat. *Soc.li.6.c.5.* Nec diſſimile eſt quod Socrates & Caſſiodorus referunt de Eutropio Arcadij Imper. eunucho: Qui dum ſtudet in quoſdam, qui ad templum confugerant, animaduertere, perſuaſit Imperatori, vt ferretur lex qua templi religio nulli nocenti prodeſſet: tãdem ipſe, cùm offendiſſet Imperatorem, confugiens ſub altare, inde protractus, ſuoque conſilio proditus, capite minutus eſt.

Valer. Max. lib. 9. cap. 2. Plin. lib. 34. cap.8. Tull. in Piſonem. Inter Ethnicos celebris eſt Perillus, qui vt placeret Phalaridi, venit Agrigentum: & ex ære artificioſiſſimum fabricauit taurum, cui ianuam in latere poſuit, vt cùm incluſus ſubditis ignibus longo cruciatu torqueretur, & Phalarydis tyranni miſericordiam implorare niteretur, mugitum bouis, non vocem hominis videretur emittere. Pro quo inuento cùm mercedem à tyranno poſtulaſſet, in eo ipſe includi iuſſus, teterrimum artis ſuæ opus primus artifex meritò auſpicatus eſt. Vnde Claudianus:

Claud. lib.1. in Eutrop.

Quàm bene diſpoſitum terris, vt dignus iniqui
Fructus conſilij primis authoribus inſtet, &c.

Ouidius quoque ſenſiſſe videtur, Phalaridem eodem poſtea tauro incluſum & crematum eſſe, quo alios prius ſuffocauerat, ſcribens:

Ouid. in Ibim.

Vtque ferox Phalaris lingua prius enſe reſecta,
More bouis Paphio clauſus in ære gemas.

Docet etiam hic locus, Deum ſic exoſam habere omnem hominum ſuperbiam, arrogantiam, & crudelitatem iſtam gyganteam, vt eam proſternere, confũdereq; ſummopere delectetur: diſcant itaq; omnes hu millimè de ſeipſis & ſapere & loqui. Hinc Syracides: *Eccli.10.* *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia.* Et de Iſraelitis etiam in calamitate publica ſuperbientibus Domi nus dicit: *Amos 6.* *Deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus ſuis.* Et alibi de ſu-

de ſuperbia Ethnicorum ſic loquitur: *Diſperdam ſuperbiam Philiſtinorum.* *Zach. 9.* *Humiliabitur ſuperbia Aſſur, & ſceptrum Aegypti recedet.* *Zach. 10.* *Vaſtata eſt ſuperbia Iordanis.* *Zach. 11.* Idumæos etiam de munitis locis ſuis gloriantes, his alloquitur: *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, &c.* *Abdiæ v. 3. & 4.* Exempla plurima tam ſacra quàm prophana, tam vetera quàm recentia idem Dominus ſemper extare voluit, vt in malis Angelis, primis parentibus, Gygantibus, Pharaone, &c. Scitè & rectè Auguſtinus ait: Humilitas homines ſanctos Angelos facit, & ſuperbia ex Angelis Dæmones facit. *Aug. l. de ſalut. documentis, cap. 18. & 19.* Et vt euidenter oſtendamus, ipſa eſt omnium peccatorum initium, & finis, & cauſa: quia non ſolum peccatum eſt ipſa ſuperbia, ſed etiam nullum peccatum potuit, aut poteſt, aut poterit eſſe ſine ſuperbia. Siquidem nihil aliud omne peccatum eſt, niſi Dei contemptus, quo eius præcepta contemnimus: & hoc nulla res alia perſuadet homini, niſi ſuperbia. Innocentius Tertius multa ſuperbiæ incommoda his paucis comprehendit. *Innocent. ſer. 1 in feſto S. Laurentij.* Nabuchodonoſor, quia potentiam ſuam ſuperbè iactauit, regnum amiſit, & cum beſtijs quaſi bos fœnum comedit. *Dan 4.* Sennacherib, quia os ſuum poſuit in cælum, à filijs occiſus eſt. *4. Reg. 19.* Haman, quia diuinum ſibi voluit honorem impendi, ſuſpenſus eſt in patibulo, &c. *Eſther. 7.* Valerianus, Bazaietus, Tamerlanes, Tomumbeius, Saladinus ex apicibus imperiorum in extremas calamitates ceciderunt. Quid ergo ſuperbit homo terra & cinis, cuius conceptio culpa, natiuitas miſeria, mori neceſſe? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni, &c.

DE PERSECVTORVM *Eccleſiæ ſupplicijs.*

PRæterea, in Hamanis morte conſpicimus, impios Eccleſiæ hoſtes ac populi diuini perſecutores, perſæpe etiam in hoc ſæculo infidelitatis ac

crudelitatis ſuæ pœnas exoluere. Nam tametſi Deus aliquandiu eis fræna laxet, tum vt horum miniſterio peccata ſuorum puniat; tum vt ſub cruce eoſdem exerceat ac probet: attamen vbi menſuram ſcelerum ſuorum compleuerint, terribili ſuo iudicio illos terret, plectitque horribilibus ſupplicijs, etiam cùm ſecuri ſibi videntur. Tunc verò nec aſtuta conſilia, nec doli, nec opes, nec vires, nec mundi huius imperia illos iuuant: imò in eorum perniciem & ruinam diuino iudicio retorquentur, quæcunque aduerſus ſeruos Dei moliti fuerant. In ore ac oculis omnium verſantur infelices exitus Pharaonis, Saulis, Achabi, Iezabelis, Antiochi, ac vtriuſque Herodis. Nero, qui Cæſariano gladio in Eccleſiam primus ſæuijt, mortem ſibi conſciſcens, in hæc verba prorupit: Turpiter vixi, turpius pereo. Domitianus ſecundus perſecutor, à domeſticis & libertis ſeptem vulneribus confoſſus eſt. Traianus reſolutione membrorum, & aqua intercute extinctus eſt. Hadrianus nimio ſanguinis fluxu exhauſtus, ſanguinis effuſi pœnas in ſanguine ſoluit. Maximinus cum filio adhuc puero à militibus diſcerptus eſt, conclamantibus cunctis: Ex peſſimo genere ne catulum quidem relinquendum. Decius cum liberis trucidatus eſt. Valerianus ſeptuagenarius à Sapore Perſa, inſtar feræ cancellis ferreis diu incluſus, ſenio tandem confectus, barbara crudelitate viuus excoriatus fuit. Diocletianus tabe corporis, & mentis inſania correptus, vim tandem ſibi ipſi intulit. Iulianus miſſa cælitus ſagitta, in ſolo barbarico perijt. Valens bello Gotthico ſuperatus, arſit in domuncula ruſtica, in quam confugerat. Rhadagaiſus, fretus innumerabili exercitu, de abolendo Chriſtianiſmo, & inſtaurando Gentiliſmo palam gloriabatur, mox verò panico terrore diſſipato cæſoque ad vnum exercitu, ipſe à Romanis captus, in vinculis ad ludibrium aliquanto detentus, extremo ſupplicio affectus eſt. Arcadius & Eudoxia illicò vt Beatum Chryſoſtomum in exilium expulerunt, terræmotu & inſolita grandine afflicta Conſtantinopoli, ex hac vita ad diuinum tribu-

Sueton. Dion. Caſſ. Spartian. Iul. Cap. Sext. Aur. Pompon. Euſeb. Niceph. Socrat. Auguſt. Oroſius. Caſſiod. Nicephor.

tribunal ſunt euocati. Gotthi, Hunni, Alani, VVandali gentes barbaræ, & pietati noſtrę aduerſę, ſeipſas mutua laniena confecerunt. Hinc quidam ex eorum regulis ad Honorium Imp. ſcripſit: Eſto animo tranquillo: nos mutuis cædibus inter nos digladiamur: eſto tu tantùm tragœdiæ ſpectator ocioſus. Si vincimus, tibi vincimus: ſi perimus, nobis perimus, &c. *Oroſ.*

Quàm autem ſeuerè Deus etiam in eos animaduerterit, qui noſtra ætate Eccleſiam fidemque Catholicam ſunt perſecuti, in recenti adhuc eſt memoria. Certè in Gallijs principes aliquot fœminæ, poſt introductas Hugnoſticorum hæreſes, putrefactis aluis pudendiſque, more Arrianico, viuere deſierunt, &c.

Quid verò illos maneat, qui horrendis iſtis exēplis adeo non ſapiūt, vt vel proprij commodi & honoris cauſſa, vel propagandæ teterrimæ hæreſeos ratione, Eccleſię Catholicę filios pertinaciter pergant affligere, Deus nouit, & ipſemet breui experiētur, ni maturè ſerioque reſipuerint. Certiſſimum eſt mortem peccatorum ſemper eſſe peſſimam, nec impune eos eſſe diutius victuros: ſed hîc, vel alibi, vel profectò vtrobique, condignas ſceleribus ſuis pœnas eſſe luituros. Quæ cùm ita ſint, non eſt quod de proſpero tyrannorum ac hoſtium Eccleſiæ Dei ſucceſſu offendamur: quin pro certo habeamus, Deum tempeſtiuè eos eſſe puniturum, cuius manum nec viuentes, nec mortui poterunt vnquam effugere. *Pſal. 33.*

Denique, Hamanis ignominioſo ſuſpendio, adumbratam fuiſſe Chriſti Domini de ferociſſimo hoſte generis humani Diabolo clariſſimam victoriam, his verbis docet Rupertus: Diaboli ſeruus & ſatelles præcipuus erat Haman, & in illo habitans ipſe diabolus rem tanti ſceleris machinabatur. Hic quaſi hamo captus eſt in oculis ſuis, qui conuiuando ſuper menſam inuenit pœnam. Manifeſtè & miro modo geſſit Diaboli figurā; econtra, Mardochæus Chriſti typum geſſit. Sicut Haman in crucem fixus eſt quā Mardochæo parauerat, & Mardochæus ſuper equum *Lib. 8. de vict. verbi, cap. 21. Iob. 40.*

regium aſcendit,ita diabolus in cruce, quam Chriſto parari fecit,damnatus & victus:& Chriſtus viuens ſedet ad dexteram Patris. Sic Verbum Dei nondum incarnatum victoriam ſuam non ſolùm ibi præſignauit:verùm etiam ibi iam vicit, ibi iam prudentia eius percuſſit ſuperbum, & ibi iam obſtetricante manu eius,egreſſus eſt coluber tortuoſus, &c.

PERSARVM mores & leges in rebus capitalibus.

QVoniam autem & ſuperius dictum fuit, Eunuchos Regis proditores ac inſidiatores appenſos fuiſſe in patibulo; nunc quoque refertur Hamanem pari ſupplicio affectum, deniq; decem filios eiuſdem poſtea ſuſpenſos;hoſtesq; Iudæorum plurimos interfectos eſſe: non erit extra rem, repetere ex veterum memoria, quomodo in rebus capitalibus ſe ſe quondam Perſæ (ſub quorum imperio iſta contigerunt)habuerint.

1. Erant in primis apud eos ſelecti Iudices ϐασιλήϊοι Δικαςαὶ vocati, qui ex conſultiſſimis iuris Perſarum legebantur: quorum erat perpetuus Magiſtratus,nec niſi in demortui locum alius ſufficiebatur.Hi ius poſtulantibus reddebant, leges patrias interpretabantur,& ad eorum collegium controuerſiæ omnes referebantur: quemadmodum Herodotus commemorat, ea parte qua Cambyſem de iure connubij cum ſorore, huiuſmodi Iudices conſuluiſſe ſcribit. Xenophon narrat Cyrum conſtituiſſe, vt omnes in rebus controuerſis hos Iudices adirent. Plutarchus etiam in Artaxerxe, eum quæſtionem de Darij coniuratione,his Iudicibus regijs mandaſſe prodidit; & ab his illum capite damnatum. Atque in hoc Iudicum collegium ab Artaxerxe adſcitum cooptatumq́ue Rhacocem Medum, quòd aduerſus filium triſtem & acerbam ſumma cum ſeueritate ſententiam dixiſſet, Aelianus refert: quinetiam Regem quaquà iter faceret comitari ſolitos eſſe indicat Herodotus. Horum numero ſeptem Iudicum ſententia Vaſthi

Herodot.l.3.

Xenoph.l.8. de Inſtit.Cyri.

Aelian lib.1. cap.24.

regina

regina ob rebellionem & proteruiam, loco & gradu mota fuit, vt ſuperius recitatum eſt. De horum integritate & doctrina ſcribit Ammianus: Ad iudicandum (inter Perſas) vſu rerum ſpectati deſtinantur, & integri, parum alienis conſilijs indigentes. Vnde noſtram (Romanam) conſuetudinem rident, quæ interdum facundos, iuriſque publici peritiſſimos, poſt indoctorum collocat terga. Enimuerò quendam eorum nomine Siſamnem ob rem iudicandam pecuniam cepiſſe conuictum, Cambyſes viuum excoriari fecit, & pellem ſellæ intendere, in qua filius eius iudicaturus reſideret. Qua atroci & noua pœna, ne quis poſtea Iudex corrumpi poſſet, prouidit, quemadmodum ſcribunt Herodotus & Valerius. Eadem de cauſa, & Darius Sandocem nummarium Iudicem, hoc iudicandi munere in ſuo comitatu fungentem, in crucem agi iuſſit, quod pecunia corruptus malè iudicaſſet, vt author eſt idem Herodotus. *Ammian. li. 23.* *Herodot l. 5.* *Valer. Max. lib. 6. cap. 3.* *Herodot. l. 7.*

2. Reos autem in carceres & publica vincula conijciebant, quemadmodum de quodam Otridate, capitali ſupplicio deſtinato, factum narrat Curtius. Epiphanius quoque ſcribit, Manem, à quo Manichæi hæretici, poſtquam Regis Perſici filium curare non potuerat, præcepto regio in carcerem coniectum. Additque: Non enim Perſarum Reges ſtatim pœnas ſumunt de his qui maiora delicta ac culpas in ſe admiſerunt: ſed ampliora quædam mortis ſuffragia colligunt, & tormentis captiuos afficiunt. Huic ſubſcribēs Cyrillus Hieroſolymitanus adfirmat præſtigiatorem illum neſcio quo pacto è carcere fugiſſe, atque ob eam rem, cuſtodes carceris morte fuiſſe multatos: tandem verò à regijs ſatellitibus perquiſitum, inuentum, & regio decreto viuum excoriatum. Honoratos porrò viros, in quoddam (vt exiſtimabant) ſupplicij ſolatium, aureis argenteiſue catenis atq; vinculis vinctos ſeruaſſe, indicio eſt Crœſus à Dario compedibus aureis vinctus, vt memorat Auſonius. Ammianus quoq; author eſt Saporem Perſarum regem, Arſacem vinctum catenis argenteis exterminaſſe. Quò ſpectās Tertullianus ſcribit: Apud barbaros quoſdam, quia *Curtius li. 6.* *Epiph. contra hæreſ. 66.* *Cyrill. Catecheſi 6.* *Auſon. in ludo ſeptem ſapien.* *Ammian. li. 27.*

Tertull. lib. de habitu mu liebri. vernaculum & copioſum eſt aurum, auro vinctos, in ergaſtulis habent, & diuitijs malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.

Ariſt. orat. de Paraphteg. Herodot. l. 7. 3. Indicant porrò Herodotus & Ariſtides, & hoc inter Perſas more receptum, vt ſi quis in periculum capitis aut famæ adductus, & in iudicium vocatus eſſet, totius ante actæ vitæ eius ratio habebatur: & in iudicando, non minus ea quæ præclarè ac fortiter geſſerat, quàm ea quæ commiſiſſe arguebatur crimina, perpendebantur, numerabantur, ponderabantur: & vtriſque in libræ examine poſitis, vtram in partem lanx propenderet ac vergeret, ſpectabatur. Et quidem, ſi rei in Rempub. merita delictorum numero ac pondere ſuperiora eſſent, Abſolutio: ſin ſecus, Condemnatio ſequebatur. Itaque cùm Sandocem ex regijs Iudicibus vnum, Darius in crucem agi iuſſiſſet, paulò poſt ſecum maturius recogitans, plura peccatis illius eſſe in domum regiam collata beneficia; hominem ſoluit, agnoſcens ſe properantius quàm prudentius egiſſe.

4. Supplicia verò diuerſa, pro delictorum diuerſa ſpecie conſtituta erant: quarum alia vitam adimebant, alia ciuitatem auferebant, alia coercitionem corporis continebant. Morti quoque adiudicatis, vita non vno modo auferebatur. Nam vel caput amputabant, vel cruci ſuffigebant, vel exurebant viuos, aut in terram defodiebant, vel pelle detracta necabant, vel obruebant lapidibus; quæ ſingula exemplis vel teſtimonijs comprobanda ſunt Xenophon in primis refert Tiapherni, iuſſu Regis Perſarum, à Tithrauſte caput præciſum eſſe, eò quod res Perſicæ per illum miſerè diriperentur. Alibi quoque idem narrat Clearcho, & cæteris ducibus Græcis præciſa fuiſſe capita, quod mortis genus Perſis videretur honeſtiſſimum: Menonem verò hominē ſceleratum, anno toto excruciatum, tandem viuum expiraſſe. Conſentit Herodotus ſcribens Xerxem iuſſiſſe, vt Phœnicibus caput abſcinderetur. Indicat autem Plutarchus

Xenop. orat. de Ageſilao.

Lib 2. de Cyri expedit.

Herodot. l. 8.

nec gladio, nec ſecuri, ſed Nouacula id factum fuiſſe, cùm de Dario ob coniurationem aduerſus Artaxerxem patrem ſuum, ſupplicium ſumptum ſic deſcribit: Omnium regiorum conſiliorum ſuffragijs damnatus, capitaliq́ue ſupplicio addictus, à lictoribus in propinquum carcerem eſt abductus. Carnifex accitus, manu tenens nouaculam, qua damnatorum capita abſcindi ſolent, vt vidit Darium, perterritus receſſit: foris autem Iudicibus minaciter vt mandata exequeretur iubentibus, reuerſus intrò, altera manu comam apprehendit, ceruicemq́ue depreſſam nouacula abſcidit. *Plutarch. in Artaxerxe.*

5. Satis quoque indicant ſupplicia duorum Eunuchorum, Hamanis, & decem filiorum, quæ hoc libro recitantur, Crucis ſupplicium etiam inter Perſas vulgatum fuiſſe. Quod confirmant hæc Darij aduerſus eos qui templi inſtaurationem impedirent, Edicti verba, ab Eſdra tranſcripta: *A me poſitum eſt decretum, vt omnis homo qui hanc mutauerit iuſsionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur.* Tullius quoque poſt Herodotum ſcribit, Polycratem Samium ab Oroëte prætore Darij, in crucem actum fuiſſe. Similiter Artaphernes, Sardium: Præſes & Arpagus Hiſtiæum Mileſium, in crucem, ſed truncato prius capite ſuſtulerunt. Xerxes & Mardonius nunc Sataſpem, quod Zopyri filiæ virgini vitium obtuliſſet; aliàs Leonidæ Spartanorum regis truncum, & à capite auulſum corpus, in crucem tolli iuſſerunt. Ideoque cùm Pauſanias cæſo apud Platæas eodem Mardonio, potitus eſſet, exſtitit Aegineta, qui ſuaderet vt par pari referens, Mardonij corpus in crucem ageret. At ille reſpondit, Non recta ſuadere eum. Etenim bonis Spartanorum moribus non conuenire, in mortuum ſæuire; nec in ea re, barbarorum inhumanitatem imitari ſe velle. Denique, Alexander in Perſide multos, ac etiam Satrapas ipſos, in crucem ſuſtuliſſe Arrianus & Curtius teſtantur. *Eſther. 2. 7. & 9.* *1. Eſdræ 6.* *Tull lib. 5. de finib.* *Herodot. l. 3* *Herodot. l. 6. & 9.* *Arrian. li. 6.* *Curt. lib. 9.*

6. Viuos etiam interdum exuri conſueuiſſe facinoroſos,

Heliodorus hiſt. Aethiopicæ lib.8. roſos, ſatis oſtendit in ſua Chariclia Heliodorus. Quæ cùm veneficij inſimulata ab Arſace regina,& facti damnata à principibus conſiliarijs fuiſſet, rapta à tortoribus vt igne cremaretur, præcone quòd propter veneficium ad rogum duceretur, continuè proclamante, magna hominum multitudo ſequuta eſt. Poſtquam autem rogum maximum tortores extruxerunt,& flammis ſubiectis clarè ſuccenderunt, paululum ſibi concedi temporis Chariclia, ab his qui trahebant cùm petijſſet, & ſe ſponte rogum conſcenſuram promiſiſſet, orauit, &c Denique rogum conſcendit,& in medium ſeſe conferens, diu intacta ſtetit,circumagente potius igne quàm appropinquante, & nihil nocente,ſed cedente,in quam partem ſe Chariclia conieciſſet,&c.

7. Quandoque etiam viuis pellem cutemq́ue hominibus, vltimo ſupplicio damnatis, Perſæ detrahebant,ſcribente Ammiano de his: Cutes viuis hominibus detrahunt particulatim vel ſolidas. *Ammian. li. 23.* Huic quoque rei argumento ſunt ea,quæ iam ſuperius de Manetis hæreſiarchæ, & Iudicis pecunia corrupti, ſupplicijs recenſuimus. Meſabatem quoque eunuchum Paryſatis, eodem modo vlta dicitur à Plutarcho. *Plut. in Artaxerxe.* Agathias quoque refert Chosroën Perſarum regem huiuſmodi de Nachorage, quòd ex acie exceſſiſſet, *Agathias lib.3.* ſumpſiſſe ſupplicium. Iuſſit homini à ceruice ad imos vſque pedes pellem detrahi, ita vt pudenda genitaliaq́ue ipſa inuererentur: ac deinde in vtris formam compactam è ſcopulo quodam ſuſpendi iuſſit Sed & Procopius lib.1.de bello Perſico narrat, *Procop.* eodem modo Baſilij à magis damnati pellem detractam,& inde culeum,ſeu vtrem factum, ſuſpenſumq́ue è procera arbore. Zoſimus denique ſcribit, *Zoſimus l. 1.* Hormiſdam regis Perſarum filium,idem ſupplicij genus conuiuis ſuis aliquando comminatum eſſe.

8. *Ariſtid.* Ariſtides Sophiſta, Oratione contra proditores myſteriorum, ſcribit Perſarum quoque moribus receptum,interdum facinoris conuictos, viuentes in terram defodere. Huius ſupplicij duo loca atteſtantur in Herodoto, *Herodot.l.3.* Prior vbi ſcribit, Cambyſen

duodecim Perſas primoribus pares, ob nullius momenti cauſam necaſſe, viuos in caput defodiendo. Poſterior eſt vbi Xerxis in Græciam itinera deſcribens, refert Magos, qui Perſicis ſacris in eius exercitu præerant, ad Strymonem fluuium, duodecim pueros ac virgines indigenarium filios, viuos defodiſſe. Subdit *Libro 7.* autem illicò Herodotus: Perſicum enim, defodere viuentes. Nam & Ameſtrim Xerxis vxorem, iam prouectæ ætatis, audio bis ſeptem illuſtrium Perſarum liberos defodiſſe, ad referendam pro ſe gratiam Deo, qui ſub terra eſſe fertur. Hanc quoque pœnam luit Apollonides Cous Medicus, quòd Amyntin Xerxis ex Amyſtre filiam, quam ægram curauerat, malis artibus illectam violaſſet.

9. Reos autem veneficij nouo ſupplicio Perſæ necabant, vt Plutarchus de Gyge Paryſatidis vxoris Ar- *Plutarch. in* taxerxis ancilla, quæ Statyram veneno ſuſtulerat, *Artaxerxe.* differens ſcribit. Lex apud Perſas eſt, inquit ille, vt ſons veneficij ad latum lapidem deducatur: ei ſontis caput imponitur, idque alio ſaxo tunditur, atque premitur, dum facies & caput comminuantur. Eo ſupplicio Gygis perijt.

10. Aliud quoque Perſici ſupplicij genus, videlicet, Scapharum, deſcribit, quo Mithridates affectus *Plutarch. ibidem.* fuit, Plutarchus: Duas, inquit, ſcaphas, quæ mutuo quadrent, accipiunt: in alteram harum is qui plectendus eſt, ſupinus collocatur: alteram imponunt, itaque aptant, vt caput, manus, pedeſque promineant, totum alioqui corpus occultetur. Ita incluſo, cibus præbetur; ac ſi edere nolit, oculos compungẽdo eum cogunt: cùm edit, mel lacti mixtum ei potus loco infundunt: ita verò eum ſemper collocant, vt aduerſus ſolem oculos habeat. Porrò autem muſcarum identidem aſſidentium multitudine facies eius tota obtegitur: & cùm in ſcaphis interiùs ea faciat, quæ neceſſe eſt hominem cibo potuque fruentem, ex putrefactione & corruptione excrementorum tarmes atque vermes pullulant, qui in inteſtina ſubrepentes, corpus conſumunt. Cùm enim iam conſtat mortuum eſſe, remota ſuperiori ſcapha, intuentur carnes

quidem

quidem deuoratas, inteſtinis autem inhęrentia huiuſmodi animalculorum examina. Hoc modo Mithridates ſeptemdecim dies cruciatus, lenta morte abſumptus eſt. Verè ergo Ammianus Marcell. dicit: Perſarum nationem, ſuppliciorum varietates ſemper exercuiſſe, crudam.

Ammian. lib. 30.

11. Præterea, Sozomenus, Socrates, Nicephorus, & Caſſiodorus in tripartita hiſtoria, referunt Chriſtianos ſub Gorane Perſarum rege multis & diris ſupplicijs affectos fuiſſe. Suppliciorum magnitudinem, inuentioneſque & formas, non facilè lingua clarè expreſſerit, quibus pios homines ſunt perſequuti. Quibuſdam enim manus vtraque ſecuri reſecta, nonnullis terga excoriata ſunt, aliorum capitibus pellis detracta à fronte ad mentum vſque: quorundam corpora tota calamis diſciſſis illi operientes, cuſpidibuſque eorum acuminatis carni infixis, & vinculis ſolidioribus inſuper à capite ipſo ad pedes vſque circumligatis, magna vi calamum quemque extrahebant, vinculis ipſis altius carnem ſubeuntibus: vt tractione tali eam corporis partem, quæ cuti propinqua eſt, diuellentes, acerbiores dolores redderent. Sed & foſſas magna cura ſepientes, muſcarum examina multa in eas demisêre, & deinde alimentum eis veræ pietatis alumnos præbuerunt, manibus pedibuſque eorum arctiore vinculo conſtrictis, ne à ſe illas abigere conari poſſent. Muſcæ autem fame acriore confectæ, ſanctorum carnes, intenſum illis dolorem inferentes, vorarunt. Beniamis diaconus virga craſſiore, ex omni parte denſos ramorum vncos prętendente, in ſedem à tortoribus iniecta, ac deinde attracta & retracta, illuſtri martyrio huic vitæ finem appoſuit. Iacobus & ipſe Perſa, ab eiſdem Perſis, prius manibus, brachijs, pedibus & ſuris à trunco reſectis, cùm reliquum nihil præter ventrem & caput haberet, & ne tum fidem Chriſtianam abnegare vellet, capitis ademptione beatorum ſedibus inſertus eſt.

Niceph. l 14. cap. 19. Caſſ. lib. 10. cap. 30. Theodorit. lib. 5. hiſt. ca. 39.

12. Denique, leuioribus quoque delictis leuiora & mitiora fuiſſe inter Perſas decreta ſupplicia, confirmat Plutarchus de Artaxerxe ſcribens: In ſupplicijs

eorum

eorum qui deliquerant, accurationem adhibuit. Namque Arbacem, qui ad Cyrum (iuniorem) trans fugerat, & eo interfecto ad regios ſe receperat, non proditionis, ſed timiditatis damnans, ſcortum nudum iuſſit ceruici ſuæ impoſitum in foro per integrum diem circumferre. Alteri qui non contentus tranſitione, mentitus inſuper fuerat duos ex hoſtibus à ſe deiectos, linguam tribus acubus transfigi. Curtius quoque refert Perſas captiuis Græcis, alijs pedes, alijs manus, alijs aures, nareſue amputaſſe: quos ſic notatos Diodorus teſtatur occurriſſe Alexandro iam victori. Herodotus & Iuſtinus ſcribentes Zopyrum ita deformatum, ad Babylonios tranſiiſſe, huic quoque rei fidem faciunt, &c. Sed de his iam ſatis, hiſtoriam perſequamur.

Plutarch in Artaxerxe.
Curt. l. 10.
Diod. l. 18.
Herod. l. 3.
Iuſtin. lib. 1.

LIBRI

LIBRI ESTHERIS CAPVT OCTAVVM.

1. *Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Haman aduerſarij Iudæorum, & Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem Regis. Confeſſa eſt enim Eſther, quòd eſſet patruus* (aliàs, patruelis) *ſuus.*
2. *Tulit quoque Rex annulum, quem ab Haman recipi iuſſerat, & tradidit Mardochæo. Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.*

HAMANIS accuſationem, damnationem, & ſupplicium ſingulare, ſequitur nunc bonorum ac facultatum eius proſcriptio: deinde Mardochæi prius abiecti & oppreſſi in eius locum inſtitutio: præterea, crudelium codicillorum reuocatio: Iudæorum poſtremo, per totum Perſicum imperium ingens nouaque exultatio: quæ omnia pertinent ad mirabiles diuinorum iudiciorum effectus, declarantque nobis, nihil in hoc mundo perpetuum aut ſtabile: ſed vniuerſa dependis conuerſionibus mutationibuſque ſubiecta eſſe.

Primùm itaque dicitur Regem dediſſe Estheri domum Hamanis, id eſt, ædes, facultates, opes ac fortunas omnes, quas multis annis coaceruauerat, auxerat, ſeruauerat. Scribit enim Seuerus: Ita Haman cruci affigitur, omniaque bona eius Mardochæo, videlicet per Eſtherem cum domi ſuæ præficientem, data. Id verò iure optimo factum. Ille namq; læſæ maieſtatis diuinæ humanæque reus, non ſolùm vitæ, ſed & fortunarum iacturam facere debuit, vt etiam inter Perſas lege ac conſuetudine vulgatum erat.

Seuer.

tum erat Refert enim Ioſephus Cyri reſcriptum, in cu- *Ioſephus lib.* ius ſanctione iubet eos qui cōtra leges ſuas feciſſent, *11. ant. cap. 1.* in crucem agi, & ſubſtantias eorum fiſco vindicari. *& 4.* Additur autem in textu, *Aduerſarij Iudæorum*: vt obſeruetur mirabile Dei iudicium. Haman quippe non ita pridem Iudæis & vitā ipſam, & opes omnes, per vim eripere tentauerat, Regiſq; theſauris decies mille argenti talenta ex horum facultatibus additurū ſe promiſerat: & ecce vniuerſæ facultates eius ad Iudæos è contrariò deuoluuntur. Mardochæo crucem erexerat: & Mardochæus palatio eius præficitur, locoq; ac honori ſubrogatur, interea dum ille de infelici arbore propriâ penſilis eſt. Sic opes Aegyptiorum Iſraelitis *Exod. 13.* Deus quondam tradiderat: quas illi iure ſecum aſportârunt; non furto, ſed vt mercedes ſuis laboribus duris & multis debitas, quemadmodum aduerſus Mar- *Iren. lib. 4.* cioniſtarum latratus euincunt Irenæus & Tertullia- *cap. 49.* nus. Semini quoque Abrahæ promiſit, poſteaq; con- *Tertul. lib. 2.* tulit regna, oppida, labores, & facultates populi Cha- *adu. Marciō.* nanæorum. Dauidem ditauit vxore, ac fortunis Nabalis. Nam impijs olim prædixerat. *Fruſtra ſeretis ſe-* *Leuit. 26.* *men, quia ab hoſtibus deuorabitur.* Et iterum. *Domum ædifi-* *Deut. 28.* *cabis, & non habitabis in ea. Plantabis vineam, & non vindemiabis eam. Bos tuus immolabitur coram te, & non comedes ex eo Oues tuæ dabuntur inimicis, & non erit qui adiuuet.* Et de quolibet auaro ſordidoque canit Pſaltes: *Theſaurizat, & ignorat cui congregat, &c.* Habentes igitur alimenta, & quibus tegamur cum Apoſtolo, his contenti ſi- *1. Tim. 6.* mus. Cogitemus ſemper, nos nudos egreſſos eſſe de *Iob. 2.* vteris matrum, nudosq; reuerſuros illuc. Et theſauros *Matth. 6.* coâceruare ſtudeamus in cælo, vbi fures non effodiant nec furentur, &c.

Cernimus quoque ex his, Deum tam iuſtum eſſe in inferēdis comminationibus ſuis aduerſus impios maieſtatis ſuæ contemptores, quam miſericordem in eripiendis, remunerandis ac glorificandis Sanctis atq; electis ſuis: Hamanem enim diutius ſæuientem in Eccleſiam, & diuinâ patientia abutentem nō ſolum deijcit omni gradu ac honore, deinde cruciatu, cruce morteq; afficit, omnibusq; facultatibus exuit; ſed & a-

 micos

micos, liberos, vniuerſamque poſteritatem eius funditus deleuit. Contrà verò, Mardochæum vt Reginæ chariſſimum patruelem, educatorem, regnoque Perſarum fideliſſimum, ſummis opibus ditat, maximis honoribus auget, atque ſecundo à Rege loco toti imperio præficit. Ergo ſemper veriſſimum erit, quod per
Pſalm. 36. Pſaltem cecinit Spiritus ſanctus: *Qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram. Adhuc puſillum, & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Item quod Deipa-
Lucæ 1. ra in Cantico de Deo prędicat: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Noli ergo ęmulari in malignātibus, &c. Ne timueris cùm diues ac potens fuerit homo. &cæt.

Sed quid: Num hoc, & ſimilia exempla docent, omnes pios ſic ex periculis & aduerſis eripi, vt in hoc ſeculo opes & dignitates impiorum accipiant, ſicut Eſther & Mardochæus facultates & honores Hamanis ſunt conſequuti? Aut Dauid, Saulis regnum: Daniel principatum eorum, qui ipſum per inuidiam accuſauerant: denique, Iouinianus & Valentinianus pro aſſerta religione legeque diuina, imperium Romanum adepti ſunt? An omnes qui patrocinium Eccleſiæ ſuſ-
Pſalm. 72. cipiunt, fidemque Catholicam aduerſus hoſtes eius tuentur, talem in hoc ſeculo pro pietate mercedē ſperare debent? Si ſic dixerimus; ſanctos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, & vniuerſam filiorum Dei nationem reprobabimus: quorum maxima pars in hoc ſeculo abiecta, & oppreſſa fuit. Superiora igitur exempla nobis propoſita ſunt, ceu cæleſtia ſigilla, quibus Deus confirmat, ſe pios ſemper liberaturum & glorificaturum, quocunque modo id fiat; id eſt, ſiue corpore ſiue animo, ſiue in hoc ſeculo ſiue in futuro, ſiue in vtroque, ſiue ad volūtatem ſiue ad vtilitatem; prout melius expedire illius ſapientiæ & bonitati viſum fuerit. Deinde, cum hoc ſeculum non ſit in eum finem conditum, vt in eo pij recipiant omnem mercedem laborum ſuorum: ſed vt aduerſis, morte deni-

quę exerceamur: hîc diuinis de futuræ vitæ incredibili ac ineffabili gloria promiſſionibus animos recreare & ſuſtentare oportet, *exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, cui ſimiles erimus in gloria: quique reformabit corpus humilitatis noſtræ, & configurabit illud corpori claritatis ſuæ.* Tit. 2. Philip. 3.

Nonnulli autem pij etiam in hoc ſeculo, impijs mirabiliter oppreſſis, ſeruati & glorificati ſunt; vt Deus ſignificaret, ſe perpetuò rerum potiri, de cælo reſpicere ſuper filios hominum, & hæc quoque inferiora gubernare: vt his miraculis fidem noſtram confirmemus, quod & ſi non videantur ſeruari in hoc ſeculo mirabiliter, repoſita tamen eis eſt vera æternaque ſalus & gloria in cęlis, quam Deus ſuo tempore & loco reuelabit atque conferet. Interea verò contenti ſimus diuinis pollicitationibus, hiſq; conſtanti fide ac ſpe inhærentes: cum Chriſto capite noſtro feriò dicamus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et cum Ioan. 19. beato patre Tobia mente reuoluendum: *Filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Cum A- Tob. 2. Hebr. 11. braham & alijs Patriarchis, expectemus eius cæleſtis ciuitatis quietem & gloriam, cuius artifex & conditor DEVS. Denique, & quod Paulo roganti, vt 2. Cor. 12. abſcederet angelus Satanæ, dictum eſt, *Sufficit tibi gratia mea*: hoc idem etiam nobis ſemper dici exiſtimemus. Nam ſi Deus nos gratia ſua complectitur, quæ, obſecro, calamitas, quæ tyrannis, quæ mors poterit nobis nocere? *Etenim ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Rom. 14.

Mardochæus porrò, qui vt ſeruus ante fores regias hactenus fuerat, nunc velut nobiliſſimus princeps, & aulicorum illuſtriſſimus, *ingreſſus eſt ante faciem Regis*, id eſt, admiſſus eſt in familiā Regis, & exaltatus. *Nam indicauit Eſther, quid ipſe ſibi eſſet*, Gallicè, *qui lui eſtoit*: nimirum, patruelis, inſuper à pueritia nutritius ac educator longè optimus & humaniſſimus. Atque vt Rex ſuam erga illum voluntatem declararet, ipſumque in locum Hamanis ſufficeret, Anulum ſignatorium (quem ab Hamane in crucē ſuffigendo recipi

iuſſerat) digito ſuo detractum, ſumma beneuolentia tradidit, & ſummo apud ſe loco eſſe eum hac teſſera palam confirmauit. Scribit enim Alexander ab Alexandria, donari anulo apud Perſas, intimæ amicitiæ ſignum, ac maximi fœderis vinculum fuiſſe. Literas porrò regias hoc anulo ſignari ſolitas, tum paulò infrà docetur, tum etiam à Ioſepho, Xenophonte, atque Curtio comprobatur.

Lib. 1. ca. 26. Lib 2. ca. 9. Ioſeph. 11. ant. cap. 6. Xenoph. li. 1. hiſt. Græc. Curt. lib. 6.

DE DEPOSITIONE, *ſeu Exauctoratione cùm Sacrorum, tum Prophanorum hominum.*

QVoniam verò & de Hamanis per Anuli ablationem, exauctoratione; & Mardochei per eiuſdem Anuli receptionem, in eius gradum, & munus conſtitutione hîc agitur: de Depoſitionibus, degradationibus, ſeu exauctorationibus ab officijs & dignitatibus, tam ſacris quàm prophanis, paulo copioſius eſt dicendum.

1. Depoſitionem autem ſeu Degradationem definiunt, eſſe publicam atque iuridicam prioris gradus, poteſtatis, aut ordinis priuationem. Et quoniã ſolent Eccleſiæ ac Reipublicæ dignitates per externa quædã ſymbola conferri, is tum exauctorari ſeu degradari dicitur, cùm ab Epiſcopo, vel Iudice, illa nec ſine notà ignominiæ, palam detrahuntur. Epiſcopis enim accedit authoritas per impoſitionem manuum, ſuſceptionemque orarij, anuli, baculi, infulæ. Presbyteris additur planeta, & ſanctiſſimum corpus Chriſti. Diaconis dalmatica, & liber Euangeliorum; Subdiaconis, patena & calix: Accolythis, Exorciſtis, Lectoribus, & Oſtiarijs non niſi cum externis ceremonijs conferuntur ſacri ordines in Eccleſia.

In politia verò humana, habent Reges ſua ſceptra & diademata: Conſules, faſces & ſecures: Senatores quondam latum clauum, & calceum lunatum: nunc purpuram ac pileum: equites Romani, anulũ: noſtri, torquem, & calcar aureũ. Militare potiſſimũ inſigne, cin-

cingulus erat, à quo enſis pendebat. Cancellarius, ſigillorum Regiorum exhibitione poteſtatem ſuam accipit. Hæc itaque cùm Princeps verbis conceptis alicui demit, ille tum exauctoratus ſeu depoſitus dicitur.

2. Duplicem porrò conſtituunt Depoſitionē, videlicet, Verbalem, & Actualem. Priorem appellant, Priuationem ſimplicem beneficij, quæ à ſolo Epiſcopo fieri poteſt, vel propter notum ſibi crimen, vel aliam legitimā cauſam Nam ſi quis propter aduerſam valetudinē, aut ſenectutē, officio per ſe ſatisfacere non poteſt, nō eſt propterea illicò deponēdus: ſed dandus eſt ei coadiutor idoneus. Deponuntur aūt ab adminiſtratione beneficij, non à beneficio, leproſi, cæci, muti, manci; & hi omnes, qui propter ſimiles graues imperfectiones, non poſſunt ſine plebis Chriſtianæ ſcandalo, publicis fungi officijs. Quinetiam decretis ſancitum eſt, vt Abbates facti inutiles, officio penitus amoueantur. Atque ſic, ſine culpa læthali poſſunt multi muneribus ſuis publicis abdicari, vt commodiores & aptiores eorum loco præficiantur.

Concil. Trid. Seſſ. 13. ca. 4. In ſextodec. tit. 9. De pænis cap. 2. 7. q. 1. c. Scripſit: c. Præſentium: can. Pontifices. 18. q. 2. can. Si quis Abbas.

3. Pro culpis autem proprijs, nec ſine ignominiæ nota, omni ordine & dignitate mouendi ac deponendi ſunt, per ſacrorum Canonum, ſummorumq; Pontificum decreta, plurimi, cùm ſeipſos publicis criminibus maculauerint: quorum aliqua exempla ſubijciam. Ac primò quidem ſanctorum Apoſtolorum Canones deponendos eſſe iudicant, Epiſcopos ac Presbyteros, qui præter ordinationem Domini, alia quæ non decent, in ſacrificio ſuper altare obtulerint: Curas ſeculares aſſumpſerint: Fideiuſſionibus inſeruierint: In fornicatione, aut periurio, aut furto, capti fuerint: Per pecunias dignitatem obtinuerint: Per ſeculares poteſtates Eccleſias obtinuerint: Schiſma fecerint; extra terminos proprios ordinationes vel fecerint, vel ſuſceperint, preter eorum conſcientias, qui in ea prouincia ſunt legitimè præfecti. Sacris rurſum muneribus ſuis abdicant Epiſcopos, Presbyteros, aut Diaconos, qui ritè baptizatum denuò baptizauerint: qui à peccatis reuertentes non receperint, ſed abiece-

Can. 3. 7. 20. 25 30. 32. 36.

Can. 47. 51. 52. 54. 59. 61. 63. 64 65. 67. 69. 83.

iecerint:qui carnium & vini vſum per abominatio-nem reiecerint:qui contumelia Epiſcopũ affecerint: qui falſos libros pro ſacris in Eccleſia publicauerint: qui per metum humanũ nomen Chriſti negauerint: qui Iudęorum ſynagogam,aut hęreticorum conuenticulum,vt cum eis preces iungant, ingreſſi fuerint: qui in concertatione aliquem interemerint:qui diem Dominicũ ieiunauerint: qui ſecundam ordinationẽ ſuſceperint:qui ſacram Quadrageſimam Paſchę,citra imbecillitatem corporis,non ieiunauerint: qui cum Iudæis feſtum diem egerint, vel azyma ab his ſuſceperint:qui denique,Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerint,&c.

4. Hæc non ſolùm ſuis calculis approbant, verùm etiam amplificant ſequentes ſacrorum deinceps conciliorum Canones. In primis autem Niceni primi & Canon. 2.3. ſanctiſſimi, ſtatuentes eos omni Clericatus honore periclitari & cadere,qui Neophytos ante legitimam probationem ordinauerint: qui mulierem extraneam,niſi extra omnem ſuſpitionem fuerit, ſecum re-Can. 14.18. tinuerint: qui in ordine Diaconatus ſolummodo conſtituti,audent Corpus Chriſti porrigere Presbyteris: & qui vel vſuras acceperint,vel turpia lucra ſectaCan. 12.13. & 20. ti fuerint. Canones eiuſdem Concilij ex Arabico tranſlati,ſuperioribus adijciunt eos, qui ordinarint illos quos agnouerint fidem Chriſti abnegaſſe: qui ad Eccleſiam ſuam ſponte relictam redire noluerint: qui cum maleficis,& diuinis conuerſati fuerint, vel eos interrogauerint, in domum ſuam receperint,& Can. 26.28. eorum cibis & potionibus vſi fuerint. Rurſum, qui pro aliquo ſpoponderint,teſtimonium in cauſa criminali dixerint:diſſidia inter fideles ſeminauerint:demùm,qui ex ira,maleuolẽtia, indignationeve alium excommunicauerint.

Diſt. 44. ca. Nulli cleric. 27. q. 1. c. Si quis Epiſc. 5. Sexta Synodus prohibet Clericis tabernam, aut Ergaſterium (i. ſtationem meritoriam) habere. Si quis verò, inquit,tale quid fecerit,aut ceſſet,aut deponatur. Eadem rurſum ſtatuit:Si quis Epiſcopus, presbyter,diaconus,lector,pſalmiſta,aut oſtiarius, cũ mu-

liere

ller. ſanctimonia Deo mœcha tus fuerit, deponatur: quia ſponſam Chriſti corrupit. Agathenſis conuētus decreuit: Si Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut falſum teſtimonium dixerit: ab officij honore depoſitus, in monaſterium detrudatur. Chalcedonenſis, Toletana decima, & Aurelianenſis ſynodi conſtituunt: Si qui clerici, ſeu monachi, inuenti fuerint coniuratores, aut conſpiratores, aut φρατρίας vel factiones componentes, aduerſus Epiſcopos ſuos, omnino cadant de proprio gradu. Quibus ampliſſima ſanctione ſua ſubſcribit Calixtus Papa. Aurelianenſis rurſum decernit: Si quis clericus adulteraſſe aut confeſſus, aut conuictus fuerit: depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur. Cui decreto aſtipulantur Pelagius, Gregorius, & Alexander ſummi pontifices, Diſtin. octuageſimo primo, c. Romanus: c. Si qui ſunt: c. Si quis à modo: c. Si quis ſacerdotum: c. Eos etiam. Conciliorum quoque Agathenſis, Chalcedonenſis, Hilerdenſis & Aurelianenſis conſtitutionibus, dilapidatores bonorum Eccleſiaſticorum, gradibus ſuis deijci ac dignitatibus priuari debent, ſicut legitur, Cauſa 12 quæſt. ſecunda c. Diaconi: c. Hæc huius: c. Abbatibus: c Non liceat. Concilium denique Antiochenum deponendum eſſe ſtatuit Epiſcopum, qui in aliena diœceſi, ſine proprij Epiſcopi licentia, aliquos ordinare præſumpſerit.

Diſt. 50. c. Si Epiſc.

11. q. 1. c. Coniurationum. c. Si qui cler. c. Si clerici: c. Si qui clericorum: c. Conſpirationum.

Diſt. 81. can. Si quis cler.

9. q. 2. can. Nullum Epiſcopum.

6. Synodorum decretis aliquot ſummorum Pontificum de his Conſtitutiones ſubijciendæ. Nicolaus Lanfredum in Germania Epiſcopum, venationibus, & propriæ filiæ familiaritati immoderatè deditum, à miniſterio penitus ceſſare iuſſit. Idem Teugaldum Treuerenſem, & Guntharium Colonienſem Archiepiſcopos, ab omni ſacerdotij officio alienos, & authoritate epiſcopatus exutos eſſe iudicauit & declarauit: quòd Lothario regi duas ſimul vxores ducere ac retinere licitum pronunciaſſent. Idem rurſum, Dioſcorum Alexandrinum antiſtitem, poſt Chalcedonenſes patres, damnauit, & ſine reſti-

Diſt. 34. can. quorundam.

2. q. 1. c. Scelus: & 11. q. 3. c. Teugaldum.

Heliodorus hiſt. Aethiopicæ lib.8. roſos, ſatis oſtendit in ſua Chariclia Heliodorus. Quæ cùm veneficij inſimulata ab Arſace regina, & facti damnata à principibus conſiliarijs fuiſſet, rapta à tortoribus vt igne cremaretur, præcone quòd propter veneficium ad rogum duceretur, continuè proclamante, magna hominum multitudo ſequuta eſt. Poſtquam autem rogum maximum tortores extruxerunt, & flammis ſubiectis clarè ſuccenderunt, paululum ſibi concedi temporis Chariclia, ab his qui trahebant cùm petijſſet, & ſe ſponte rogum conſcenſuram promiſiſſet, orauit, &c Denique rogum conſcendit, & in medium ſeſe conferens, diu intacta ſtetit, circumagente potius igne quàm appropinquante, & nihil nocente, ſed cedente, in quam partem ſe Chariclia conieciſſet, &c.

7. Quandoque etiam viuis pellem cutemq́ue hominibus, vltimo ſupplicio damnatis, Perſæ detrahebant, ſcribente Ammiano de his: Cutes viuis hominibus detrahunt particulatim vel ſolidas. *Ammian. li. 23.* Huic quoque rei argumento ſunt ea, quæ iam ſuperius de Manetis hæreſiarchæ, & Iudicis pecunia corrupti, ſupplicijs recenſuimus. Meſabatem quoque eunuchum Paty ſatis, eodem modo vlta dicitur à Plutarcho. *Plut. in Artaxerxe.* Agathias quoque refert Choſroën Perſarum regem huiuſmodi de Nachorage, quòd ex acie exceſſiſſet, *Agathias lib.3.* ſumpſiſſe ſupplicium. Iuſſit homini à ceruice ad imos vſque pedes pellem detrahi, ita vt pudenda genitaliaq́ue ipſa nu[illegible]erentur: ac deinde in vtris formam compactam è ſcopulo quodam ſuſpendi iuſſit Sed & Procopius lib.1. de bello Perſico narrat, eodem modo Baſilij à magis damnati pellem detractam, & inde culeum, ſeu vtrem factum, ſuſpenſumq́ue è procera arbore. *Procop.* Zoſimus denique ſcribit, Hormiſdam regis Perſarum filium, idem ſupplicij genus conuiuis ſuis aliquando comminatum eſſe. *Zoſimus l. 1.*

8. Ariſtides Sophiſta, Oratione contra proditores myſteriorum, ſcribit Perſarum quoque moribus receptum, interdum facinoris conuictos, viuentes in terram defodere. *Ariſtid.* Huius ſupplicij duo loca atteſtantur in Herodoto. *Herodot. l.3.* Prior vbi ſcribit, Cambyſen duode-

duodecim Perſas primoribus pares, ob nullius momenti cauſam necaſſe, viuos in caput deſodiendo. Poſterior eſt vbi Xerxis in Græciam itinera deſcribens, refert Magos, qui Perſicis ſacris in eius exercitu præerant, ad Strymonem fluuium, duodecim pueros ac virgines indigenarium filios, viuos defodiſſe. Subdit autem illicò Herodotus: Perſicum enim, deſodere viuentes. Nam & Ameſtrim Xerxis vxorem, iam prouectæ ætatis, audio bis ſeptem illuſtrium Perſarum liberos defodiſſe, ad referendam pro ſe gratiam Deo, qui ſub terra eſſe fertur. Hanc quoque pœnam luit Apollonides Cous Medicus, quòd Amyntin Xerxis ex Amyſtre filiam, quam ægram curauerat, malis artibus illectam violaſſet. *Libro 7.*

9. Reos autem veneficij nouo ſupplicio Perſæ necabant, vt Plutarchus de Gyge Paryſatidis vxoris Artaxerxis ancilla, quæ Statyram veneno ſuſtulerat, diſſerens ſcribit. Lex apud Perſas eſt, inquit ille, vt ſons veneficij ad latum lapidem deducatur: ei ſontis caput imponitur, idque alio ſaxo tunditur, atque premitur, dum facies & caput comminuantur. Eo ſupplicio Gygis perijt. *Plutarch. in Artaxerxe.*

10. Aliud quoque Perſici ſupplicij genus, videlicet, Scapharum, deſcribit, quo Mithridates affectus fuit, Plutarchus: Duas, inquit, ſcaphas, quæ mutuo quadrent, accipiunt: in alteram harum is qui plectendus eſt, ſupinus collocatur: alteram imponunt, itaque aptant, vt caput, manus, pedeſque promineant, totum alioqui corpus occultetur. Ita incluſo, cibus præbetur; ac ſi edere nolit, oculos compungẽdo eum cogunt: cùm edit, mel lacti mixtum ei potus loco infundunt: ita verò eum ſemper collocant, vt aduerſus ſolem oculos habeat. Porrò autem muſcarum identidem aſſidentium multitudine facies eius tota obtegitur: & cùm in ſcaphis interiùs ea faciat, quæ neceſſe eſt hominem cibo potuque fruentem, ex putrefactione & corruptione excrementorum tarmes atque vermes pullulant, qui in inteſtina ſubrepentes, corpus conſumunt. Cùm enim iam conſtat mortuum eſſe, remota ſuperiori ſcapha, intuentur carnes *Plutarch. ibidem.*

quidem

quidem deuoratas, inteſtinis autem inhęrentia huiuſmodi animalculorum examina. Hoc modo Mithridates ſeptemdecim dies cruciatus, lenta morte abſumptus eſt. Verè ergo Ammianus Marcell. dicit: Perſarum nationem, ſuppliciorum varietates ſemper exercuiſſe, crudam.

Ammian. lib. 30.

11. Præterea, Sozomenus, Socrates, Nicephorus, & Caſſiodorus in tripartita hiſtoria, referunt Chriſtianos ſub Gorane Perſarum rege multis & diris ſupplicijs affectos fuiſſe. Suppliciorum magnitudinem, inuentioneſque & formas, non facilè lingua clarè expreſſerit, quibus pios homines ſunt perſequuti. Quibuſdam enim manus vtraque ſecuri reſecta, nonnullis terga excoriata ſunt, aliorum capitibus pellis detracta à fronte ad mentum vſque: quorundam corpora tota calamis diſciſſis illi operientes, cuſpidibuſque eorum acuminatis carni infixis, & vinculis ſolidioribus inſuper à capite ipſo ad pedes vſque circumligatis, magna vi calamum quemque extrahebant, vinculis ipſis altius carnem ſubeuntibus: vt tractione tali eam corporis partem, quæ cuti propinqua eſt, diuellentes, acerbiores dolores redderent. Sed & foſſas magna cura ſcpientes, muſcarum examina multa in eas demisêre, & deinde alimentum eis veræ pietatis alumnos præbuerunt, manibus pedibuſque eorum arctiore vinculo conſtrictis, ne à ſe illas abigere conari poſſent. Muſcæ autem fame acriore confectæ, ſanctorum carnes, intenſum illis dolorem inferentes, vorarunt. Beniamis diaconus virga craſſiore, ex omni parte denſos ramorum vncos prętendente, in ſedem à tortoribus iniecta, ac deinde attracta & retracta, illuſtri martyrio huic vitæ finem appoſuit. Iacobus & ipſe Perſa, ab eiſdem Perſis, prius manibus, brachijs, pedibus & ſuris à trunco reſectis, cùm reliquum nihil præter ventrem & caput haberet, & ne tum fidem Chriſtianam abnegare vellet, capitis ademptione beatorum ſedibus inſertus eſt.

Niceph. l. 14. *cap.* 19. *Caſſ. lib.* 10. *cap.* 30. *Theodorit. lib.* 5. *hiſt. ca.* 39.

12. Denique, leuioribus quoque delictis leuiora & mitiora fuiſſe inter Perſas decreta ſupplicia, confirmat Plutarchus de Artaxerxe ſcribens: In ſupplicijs

eorum

eorum qui deliquerant, accurationem adhibuit. Namque Arbacem, qui ad Cyrum (iuniorem) tranſfugerat, & eo interfecto ad regios ſe receperat, non proditionis, ſed timiditatis damnans, ſcortum nudum iuſſit ceruici ſuæ impoſitum in foro per integrum diem circumferre. Alteri qui non contentus tranſitione, mentitus inſuper fuerat duos ex hoſtibus à ſe deiectos, linguam tribus acubus transfigi. Curtius quoque refert Perſas captiuis Græcis, alijs pedes, alijs manus, alijs aures, nareſue amputaſſe: quos ſic notatos Diodorus teſtatur occurriſſe Alexandro iam victori. Herodotus & Iuſtinus ſcribentes Zopyrum ita deformatum, ad Babylonios tranſijſſe, huic quoque rei fidem faciunt, &c. Sed de his iam ſatis, hiſtoriam perſequamur.

Plutarch in Artaxerxe. *Curt. l. 10.* *Diod. l. 18.* *Herod. l. 3.* *Iuſtin. lib. 1.*

LIBRI

LIBRI ESTHERIS CAPVT OCTAVVM.

1. *Die illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Haman aduerſarij Iudæorum, & Mardochæus ingreſſus eſt ante faciem Regis. Confeſſa eſt enim Eſther, quòd eſſet patruus* (aliàs, patruelis) *ſuus.*
2. *Tulit quoque Rex annulum, quem ab Haman recipi iuſſerat, & tradidit Mardochæo. Eſther autem conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.*

HAMANIS accuſationem, damnationem, & ſupplicium ſingulare, ſequitur nunc bonorum ac facultatum eius proſcriptio: deinde Mardochæi prius abiecti & oppreſſi in eius locum inſtitutio: præterea, crudelium codicillorum reuocatio: Iudæorum poſtremò, per totum Perſicum imperium ingens nouaque exultatio: quæ omnia pertinent ad mirabiles diuinorum iudiciorum effectus, declarantque nobis, nihil in hoc mundo perpetuum aut ſtabile: ſed vniuerſa ſtupendis conuerſionibus mutationibuſque ſubiecta eſſe.

Primùm itaque dicitur Regem dediſſe Estheri domum Hamanis, id eſt, ædes, facultates, opes ac fortunas omnes, quas multis annis coaceruauerat, auxerat, ſeruauerat. Scribit enim Seuerus: Ita Haman cruci affigitur, omniaque bona eius Mardochæo, videlicet per Eſtherem cum domi ſuæ præficientem, data. Id verò iure optimo factum. Ille namq; læſæ maieſtatis diuinæ humanæque reus, non ſolùm vitæ, ſed & fortunarum iacturam facere debuit, vt etiam inter Perſas lege ac conſuetudine vulgatum erat.

Seuer.

tum erat. Refert enim Ioſephus Cyri reſcriptum, in cu- *Ioſephus lib. 11. ant. cap. 1. & 4.*
ius ſanctione iubet eos qui cõtra leges ſuas feciſſent,
in crucem agi, & ſubſtantias eorum fiſco vindicari.
Additur autem in textu, *Aduerſarij Iudæorum*: vt obſer-
uetur mirabile Dei iudicium. Haman quippe non ita
pridem Iudæis & vitã ipſam, & opes omnes, per vim
eripere tentauerat, Regiſq; theſauris decies mille ar-
genti talenta ex horum facultatibus additurũ ſe pro-
miſerat: & ecce vniuerſæ facultates eius ad Iudæos è
contrario deuoluuntur. Mardocheo crucem erexerat:
& Mardochæus palatio eius præficitur, locoq; ac ho-
nori ſubrogatur, interea dum ille de infelici arbore
propriá penſilis eſt. Sic opes Aegyptiorum Iſraelitis *Exod. 13.*
Deus quondam tradiderat: quas illi iure ſecum aſpor-
târunt; non furto, ſed vt mercedes ſuis laboribus du-
ris & multis debitas, quemadmodum aduerſus Mar- *Iren. lib. 4. cap. 49.*
cioniſtarum latratus euincunt Irenæus & Tertullia-
nus. Semini quoque Abrahæ promiſit, poſteaq; con- *Tertul. lib. 2. adu. Marciõ.*
tulit regna, oppida, labores, & facultates populi Cha-
nanæorum. Dauidem ditauit vxore, ac fortunis Na-
balis. Nam impijs olim prædixerat. *Fruſtra ſeretis ſe-* *Leuit. 26.*
men, quia ab hoſtibus deuorabitur. Et iterum. *Domum ædifi-* *Deut. 28.*
cabis, & non habitabis in ea. Plantabis vineam, & non vinde-
miabis eam. Bos tuus immolabitur coram te, & non comedes
ex eo Oues tuæ dabuntur inimicis, & non erit qui adiuuet. Et
de quolibet auaro ſordidoque canit Pſaltes: *Theſauri-*
zat, & ignorat cui congregat, &c. Habentes igitur alimen-
ta, & quibus tegamur cum Apoſtolo, his contenti ſi- *1. Tim. 6.*
mus. Cogitemus ſemper, nos nudos egreſſos eſſe de *Iob. 2.*
vteris matrum, nudosq; reuerſuros illuc. Et theſauros *Matth. 6.*
coâceruare ſtudeamus in cælo, vbi fures non effodi-
ant nec furentur, &c.

Cernimus quoque ex his, Deum tam iuſtum eſſe
in inferẽdis comminationibus ſuis aduerſus impios
maieſtatis ſuæ contemptores, quàm miſericordem in
eripiendis, remunerandis ac glorificandis Sanctis atq;
electis ſuis: Hamanem enim diutius ſęuientem in Ec-
cleſiam, & diuinà patientia abutentem nõ ſolum de-
ijcit omni gradu ac honore, deinde cruciatu, cruce
morteq; afficit, omnibusq; facultatibus exuit; ſed & a-

 micos

micos, liberos, vniuerſamque poſteritatem eius funditus deleuit. Contrà verò, Mardochæum vt Reginæ chariſſimum patruelem, educatorem, regnoque Perſarum fideliſſimum, ſummis opibus ditat, maximis honoribus auget, atque ſecundo a Rege loco toti imperio præficit. Ergo ſemper veriſſimum erit, quod per
Pſalm. 36. Pſaltem cecinit Spiritus ſanctus: *Qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram. Adhuc puſillum, & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Item quod Deipa-
Lucæ 1. ra in Cantico de Deo prędicat: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Noli ergo ęmulari in malignātibus, &c. Ne timueris cùm diues ac potens fuerit homo. &cæt.

Sed quid: Num hoc, & ſimilia exempla docent, omnes pios ſic ex periculis & aduerſis eripi, vt in hoc ſeculo opes & dignitates impiorum accipiant, ſicut Eſther & Mardochæus facultates & honores Hamanis ſunt conſequuti? Aut Dauid, Saulis regnum: Daniel principatum eorum, qui ipſum per inuidiam accuſauerant: denique, Iouinianus & Valentinianus pro aſſerta religione legeque diuina, imperium Romanum adepti ſunt? An omnes qui patrocinium Eccleſiæ ſuſ-
Pſalm. 72. cipiunt, fidemque Catholicam aduerſus hoſtes eius tuentur, talem in hoc ſeculo pro pietate mercedē ſperare debent? Si ſic dixerimus; ſanctos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, & vniuerſam filiorum Dei nationem reprobabimus: quorum maxima pars in hoc ſeculo abiecta, & oppreſſa fuit. Superiora igitur exempla nobis propoſita ſunt, ceu cæleſtia ſigilla, quibus Deus confirmat, ſe pios ſemper liberaturum & glorificaturum, quocunque modo id fiat; id eſt, ſiue corpore ſiue animo, ſiue in hoc ſeculo ſiue in futuro, ſiue in vtroque, ſiue ad volūtatem ſiue ad vtilitatem; prout melius expedire illius ſapientiæ & bonitati viſum fuerit Deinde, cum hoc ſeculum non ſit in eum finem conditum, vt in eo pij recipiant omnem mercedem laborum ſuorum: ſed vt aduerſis, morte deni-
que

quę exerceamur:hic diuinis de futuræ vitæ incredibili ac ineffabili gloria promiſſionibus animos recreare & ſuſtentare oportet, *exſpectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, cui ſimiles erimus in gloria: quique reformabit corpus humilitatis noſtræ, & configurabit illud corpori claritatis ſuæ.* Tit.2. Philip.3.

Nonnulli autem pij etiam in hoc ſeculo, impijs mirabiliter oppreſſis, ſeruati & glorificati ſunt; vt Deus ſignificaret, ſe perpetuò rerum potiri, de cælo reſpicere ſuper filios hominum, & hæc quoque inferiora gubernare: vt his miraculis fidem noſtram confirmemus, quod & ſi non videantur ſeruari in hoc ſeculo mirabiliter, repoſita tamen eis eſt vera æternaque ſalus & gloria in cęlis, quam Deus ſuo tempore & loco reuelabit atque conferet. Interea verò contenti ſimus diuinis pollicitationibus, hiſq; conſtanti fide ac ſpe inhærentes: cum Chriſto capite noſtro ſeriò dicamus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et cum beato patre Tobia mente reuoluendum: *Filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Cum Abraham & alijs Patriarchis, expectemus eius cæleſtis ciuitatis quietem & gloriam, cuius artifex & conditor DEVS. Denique, & quod Paulo roganti, vt abſcederet angelus Satanæ, dictum eſt, *Sufficit tibi gratia mea*: hoc idem etiam nobis ſemper dici exiſtimemus. Nam ſi Deus nos gratia ſua complectitur, quæ, obſecro, calamitas, quæ tyrannis, quæ mors poterit nobis nocere? *Etenim ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Ioan.19. Tob. 2. Hebr.11. 2.Cor.12. Rom.14.

Mardochæus porrò, qui vt ſeruus ante fores regias hactenus fuerat, nunc velut nobiliſſimus princeps, & aulicorum illuſtriſſimus, *ingreſſus eſt ante faciem Regis*, id eſt, admiſſus eſt in familiã Regis, & exaltatus *Nam indicauit Eſther, quid ipſe ſibi eſſet*, Gallicè, *qui lui eſtoit*: nimirum, patruelis, inſuper à pueritia nutritius ac educator longè optimus & humaniſſimus. Atque vt Rex ſuam erga illum voluntatem declararet, ipſumque in locum Hamanis ſufficeret, Anulum ſignatorium (quem ab Hamane in crucẽ ſuffigendò recipi

iuſſerat) digito ſuo detractum, ſumma beneuolentiâ tradidit, & ſummo apud ſe loco eſſe eum hac teſſera palam confirmauit. Scribit enim Alexander ab Alexandria, donari anulo apud Perſas, intimæ amicitiæ ſignum, ac maximi fœderis vinculum fuiſſe. Literas porrò regias hoc anulo ſignari ſolitas, tum paulò infra docetur, tum etiam à Ioſepho, Xenophonte, atque Curtio comprobatur.

Lib. 1. ca. 26. Lib 2. ca. 9. Ioſeph. 11. ant. cap. 6. Xenoph. li. 1. hiſt. Græc. Curt. lib. 6.

DE DEPOSITIONE, *ſeu Exauctoratione cùm Sacrorum, tum Prophanorum hominum.*

QVoniam verò & de Hamanis per Anuli ablationem, exauctoratione; & Mardochęi per eiuſdem Anuli receptionem, in eius gradum, & munus conſtitutione hîc agitur: de Depoſitionibus, degradationibus, ſeu exauctorationibus ab officijs & dignitatibus, tam ſacris quàm prophanis, paulo copioſius eſt dicendum.

1. Depoſitionem autem ſeu Degradationem definiunt, eſſe publicam atque iuridicam prioris gradus, poteſtatis, aut ordinis priuationem. Et quoniã ſolent Eccleſiæ ac Reipublicæ dignitates per externa quædã ſymbola conferri, is tum exauctorari ſeu degradari dicitur, cùm ab Epiſcopo, vel Iudice, illa nec ſine notâ ignominiæ, palam detrahuntur. Epiſcopis enim accedit authoritas per impoſitionem manuum, ſuſceptionemque orarij, anuli, baculi, infulæ. Presbyteris additur planeta, & ſanctiſſimum corpus Chriſti. Diaconis dalmatica, & liber Euangeliorum; Subdiaconis, patena & calix: Accolythis, Exorciſtis, Lectoribus, & Oſtiarijs non niſi cum externis cęremonijs conferuntur ſacri ordines in Eccleſia.

In politia verò humana, habent Reges ſua ſceptra & diademata: Conſules, faſces & ſecures: Senatores quondam latum clauum, & calceum lunatum: nunc purpuram ac pileum: equites Romani, anulũ: noſtri, torquem, & calcar aureũ. Militare potiſſimũ inſigne, cin-

cingulus erat, à quo enſis pendebat. Cancellarius, ſigillorum Regiorum exhibitione poteſtatem ſuam accipit. Hæc itaque cùm Princeps verbis conceptis alicui demit, ille tum exauctoratus ſeu depoſitus dicitur.

2. Duplicem porrò conſtituunt Depoſitionẽ, videlicet, Verbalem, & Actualem Priorem appellant, Priuationem ſimplicem beneficij, quæ à ſolo Epiſcopo fieri poteſt, vel propter notum ſibi crimen, vel aliam legitimã cauſam Nam ſi quis propter aduerſam valetudinẽ, aut ſenectutẽ, officio per ſe ſatisfacere non poteſt, nõ eſt propterea illicò deponẽdus: ſed dandus eſt ei coadiutor idoneus. Deponuntur aũt ab adminiſtratione beneficij, non à beneficio, leproſi, cæci, muti, manci; & hi omnes, qui propter ſimiles graues imperfectiones, non poſſunt ſine plebis Chriſtianæ ſcandalo, publicis fungi officijs. Quinetiam decretis ſancitum eſt, vt Abbates facti inutiles, officio penitus amoueantur. Atque ſic, ſine culpa læthali poſſunt multi muneribus ſuis publicis abdicari, vt commodiores & aptiores eorum loco præficiantur. *Concil. Trid. Seſſ. 13. ca. 4. In ſextodec. tit. 9. De pœnis cap. 2. 7. q. 1. c. Scripſit: c. Præſentium: can. Pontifices. 18. q. 2. can. Si quis Abbas.*

3. Pro culpis autem proprijs, nec ſine ignominiæ nota, omni ordine & dignitate mouendi ac deponendi ſunt, per ſacrorum Canonum, ſummorumq; Pontificum decreta, plurimi, cùm ſeipſos publicis criminibus maculauerint: quorum aliqua exempla ſubijciam. Ac primò quidem ſanctorum Apoſtolorum Canones deponendos eſſe indicant, Epiſcopos ac Presbyteros, qui præter ordinationem Domini, alia quæ non decent, in ſacrificio ſuper altare obtulerint: Curas ſeculares aſſumpſerint: Fideiuſſionibus inſeruierint: In fornicatione, aut periurio, aut furto, capti fuerint: Per pecunias dignitatem obtinuerint: Per ſeculares poteſtates Eccleſias obtinuerint: Schiſma fecerint; extra terminos proprios ordinationes vel fecerint, vel ſuſceperint, preter eorum conſcientias, qui in ea prouincia ſunt legitimè præfecti. Sacris rurſum muneribus ſuis abdicant Epiſcopos, Presbyteros, aut Diaconos, qui ritè baptizatum denuò baptizauerint: qui à peccatis reuertentes non receperint, ſed ab- *Can. 3. 7. 20. 25. 30. 32. 36. Can. 47. 51. 52. 54. 59. 61. 63. 64. 65. 67. 69. 83.*

iecerint:qui carnium & vini vſum per abominatio- nem reiecerint:qui contumelia Epiſcopũ affecerint: qui falſos libros pro ſacris in Eccleſia publicauerint: qui per metum humanũ nomen Chriſti negauerint: qui Iudęorum ſynagogam,aut hęreticorum conuen- ticulum,vt cum eis preces iungant, ingreſſi fuerint: qui in concertatione aliquem interemerint:qui diem Dominicũ ieiunauerint: qui ſecundam ordinationẽ ſuſceperint:qui ſacram Quadrageſimam Paſchę,citra imbecillitatem corporis,non ieiunauerint: qui cum Iudæis feſtum diem egerint, vel azyma ab his ſuſce- perint:qui denique,Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerint,&c.

4. Hæc non ſolùm ſuis calculis approbant, verùm etiam amplificant ſequentes ſacrorum deinceps con- ciliorum Canones. In primis autem Niceni primi & ſanctiſſimi, ſtatuentes eos omni Clericatus honore periclitari & cadere,qui Neophytos ante legitimam probationem ordinauerint: qui mulierem extrane- am,niſi extra omnem ſuſpitionem fuerit, ſecum re- tinuerint: qui in ordine Diaconatus ſolummodo conſtituti,audent Corpus Chriſti porrigere Presbyte- ris: & qui vel vſuras acceperint,vel turpia lucra ſecta- ti fuerint. Canones eiuſdem Concilij ex Arabico tranſlati,ſuperioribus adijciunt eos, qui ordinarint illos quos agnouerint fidem Chriſti abnegaſſe: qui ad Eccleſiam ſuam ſponte relictam redire noluerint: qui cum maleficis,& diuinis conuerſati fuerint, vel eos interrogauerint, in domum ſuam receperint,& eorum cibis & potionibus vſi fuerint. Rurſum, qui pro aliquo ſpoponderint,teſtimonium in cauſa cri- minali dixerint:diſſidia inter fideles ſeminauerint:de- mùm,qui ex ira,maleuolẽtia, indignationeve alium excommunicauerint.

Canon. 2.3. *Can.14.18.* *Can.12.13. & 20.* *Can.26.28.*

5. Sexta Synodus prohibet Clericis tabernam, aut Ergaſterium (i. ſtationem meritoriam) habere. Si quis verò, inquit,tale quid fecerit,aut ceſſet,aut depo- natur. Eadem rurſum ſtatuit:Si quis Epiſcopus, pres- byter,diaconus,lector,pſalmiſta,aut oſtiarius,cũ mu- liere

Diſt. 44. ca. Nulli cleric. 27.q.1.c.Si quis Epiſc.

lier: ſanctimonia Deo mœchata fuerit, deponatur: quia ſponſam Chriſti corrupit. Agathenſis conuentus decreuit: Si Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut falſum teſtimonium dixerit: ab officij honore depoſitus, in monaſterium detrudatur. Chalcedonenſis, Toletana decima, & Aurelianenſis ſynodi conſtituunt: Si qui clerici, ſeu monachi, inuenti fuerint coniuratores, aut conſpiratores, aut φρατρίας vel factiones componentes, aduerſus Epiſcopos ſuos, omnino cadant de proprio gradu. Quibus ampliſſima ſanctione ſua ſubſcribit Calixtus Papa. Aurelianenſis rurſum decernit: Si quis clericus adulteraſſe aut confeſſus, aut conuictus fuerit: depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur. Cui decreto aſtipulantur Pelagius, Gregorius, & Alexander ſummi pontifices, Diſtin. octuageſimo primo, c. Romanus: c. Si qui ſunt: c. Si quis à modo: c. Si quis ſacerdotum: c. Eos etiam. Conciliorum quoque Agathenſis, Chalcedonenſis, Hilerdenſis & Aurelianenſis conſtitutionibus, dilapidatores bonorum Eccleſiaſticorum, gradibus ſuis deijci ac dignitatibus priuari debent, ſicut legitur, Cauſa 12. quæſt. ſecunda c. Diaconi: c. Hæc huius: c. Abbatibus: c Non liceat. Concilium denique Antiochenum deponendum eſſe ſtatuit Epiſcopum, qui in aliena diœceſi, ſine proprij Epiſcopi licentia, aliquos ordinare præſumpſerit.

Diſt. 50. c. Si Epiſc.

11. q. 1. c. Coniurationum. c. Si qui cler. c. Si clerici: c. Si qui clericorum: c. Conſpirationum.

Diſt. 81. can. Si quis cler.

9. q. 2. can. Nullum Epiſcopum.

6. Synodorum decretis aliquot ſummorum Pontificum de his Conſtitutiones ſubijciendæ. Nicolaus Lanfreduin in Germania Epiſcopum, venationibus, & propriæ filiæ familiaritati immoderatè deditum, à miniſterio penitus ceſſare iuſſit. Idem Teugaldum Treuerenſem, & Guntharium Colonienſem Archiepiſcopos, ab omni ſacerdotij officio alienos, & authoritate epiſcopatus exutos eſſe iudicauit & declarauit: quòd Lothario regi duas ſimul vxores ducere ac retinere licitum pronunciaſſent. Idem rurſum, Dioſcorum Alexandrinum antiſtitem, poſt Chalcedonenſes patres, damnauit, & ſine reſti-

Diſt. 34. can. quorundam.

2. q. 1. c. Scelus: & 11. q. 3. c. Teugaldum.

tutionis ſpe throno deiecit, eo quod excommunicationem in ſanctum Leonem Papam dictaſſet. Lucius & Gregorius ſacerdotij honore priuandos cenſent eos eſſe, qui ſoli matronarum domicilia frequentant, ſine maioris natu Sacerdotis iuſſione; cùm talis cohabitatio diabolicis ſtimulis peruia ſit, indeq; ſacrum Eccleſiæ miniſterium tandem vituperetur. Innocentius iubet remoueri à ſacerdotali officio Presbyteros delatos & conuictos in Presbyterio filios procreaſſe, vt alieni efficiantur à miniſterio, qui viuendo illicitè ipſum polluerunt. Hoc ipſum etiam ſuis ſententijs comprobant Gregorius & Martinus, Diſt. 50. c. Si lapſis: c. Qui ſemel: c. Presbyterum. Gelaſius Clericos ab indignis quæſtibus abſtinere nolentes, à clericalibus officijs abſtinere compellit. Turpes autem quæſtus appellant, omnem vſurarum ſpeciem, ſtudiumque emendi vilius, & vendendi carius. Symmachus, Syluester, ac Cœleſtinus, tam Epiſcopos quàm Presbyteros omni dignitate ſpoliandos iudicant, qui cum filia ſpiritali, quam videlicet ſacra baptiſmatis vnda regenerârunt, vel pœnitentia reconciliârunt, carnis vitium commiſerint. Ioannes octauus presbyterum homicidam iubet ſacerdotio priuari, lacrymarumque fonte flagitium tam immane diluere; vt talibus ſaltem remedijs, ſalutis poſſit inuenire ſuffragium. Innocentius & Cœleſtinus Epiſcopum ſacris ordinibus initiantem homines infames ac prorſus indignos, eoſdem cum his quos ſic ordinauerint officio deponi præcipiunt. Pius, omnem clericum Epiſcopo inobedientem, aut inſidias parantem, aut contumeliam, aut calumniam, aut conuitia inferentem, iubet gradu pellendum, & curiæ tradendum; vt recipiat quod iniquè geſſit. Symmachus conſtituit, Quicunq; Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum oblitus Dei, prædium Eccleſiæ magnum, vel exiguum, vel quicquam de iure eius alienare tentauerit: & donator, & alienator, & venditor honoris ſui amiſſione multetur. Hoc idem pluribus alijs Pontificum ſacris conſtitutionibus paſſim rurſum confirmatur à Gratiano. Leo primus, Epiſcopum qui ſuæ ciuitatis mediocritate

Diſt. 22. c. In tantum.
Diſt. 81 can. Clericus: c. Oportet.
Diſt. 81. c. Maximianus.
14. q 4. c. Clerici: c. Quicunque.
30. q. 1. can. Omnes: can. Si quis: can. Non debet.
Diſt. 50. can. Miror.
Diſt. 51. c. Aliquantos: & diſt. 81. can. Tantis.
11. q 1. can. Si quis ſacerdotum.
17. q 4. can. Quicunque.
12. q 2. can. Monemus: c. quiſquis: ca. non liceat. c. Indigne.

ſtate deſpecta, adminiſtrationem celebrioris loci ambierit, & ad maiorem plebem ſe quacunque ratione tranſtulerit, & à cathedra pellendum docet aliena, & carendum cenſet propria: vt nec illis præſideat quos per auaritiam concupiuit, nec illis quos per ſuperbiã ſpreuit. Hoc idem etiam probatum fuit patribus Concilij Meldenſis. Et vt modum his apponamus, Gregorius præcipit omnem eum Presbyterum ordine priuandum eſſe, qui per Simoniacam hæreſim in Eccleſiam aliquam, etiam tum vacantem, irrepſerit. & cæt.

7.q.1. can. Si quis Epiſcopus: c. Si quis a ordine.

7.q.1. can. Præſentium.

7. Atque hæc de exauctorandorum ſiue deponendorum conditionibus, & cauſis. Nunc dicendum, de his ad quos exauctorare alios ſpectar. Si de Presbyteri atque Diaconi depoſitione, ab officio ſimul & beneficio agatur, Hiſpalenſis concilij decretis quondam cõſtitutum fuit, vt Epiſcopus id non faceret ſine Concilij examine: propterea quod aliqui ſunt, qui indiſcuſſos, poteſtate tyrãnica, non auctoritate canonica damnant. Subijciunt quoque: Epiſcopus ſacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt: ſolus auferre non poteſt. Patres autem Agathenſes conſtituerunt, vt Diaconus deponendus à tribus vicinis Epiſcopis prius audiatur. Presbyter à ſex: Epiſcopus verò à duodecim, vt cauſa diligentius & ſyncerius examinetur. Eadem ſententia placuit quoque Carthaginienſibus patribus, vt ex horum regulis colligit Grarianus. Reliquorum verò Clericorum ſolus Epiſcopus loci agnoſcat & finiat. Solus autem ad excluſionem aliorum Epiſcoporum, non ſuorum Clericorum, dicitur: ſine quorum præſentia, eius ſententia erit irrita, & cæt. Volunt autem ſi de beneficij ſolummodo priuatione ac depoſitione, non ordinis ſacri, actum fuerit, Epiſcopum cum Clericis ſuis, id poſſe de Sacerdote & Abbate conſtituere, quando præcedens culpa idipſum meruerit, velut ex Concil. Triburienſis & Aurelianenſis legibus confirmatur. Atque hæc quidem antiqua iura.

16.q.7. can. Sexta actione: c. Si quis tumidus: ca. Felix: can. Si autem: ca. Epiſcopus.

16.q.7. can. Inuentum: et 18.q.2. ca. Si quis Abbas: c. Abbates.

Cæterùm, quoniam tot Epiſcoporum numerus ad degradationem conſtitutus, non poteſt de facili conueni-

In ſexto, li.5. De here. c. 1.

uenire,conceſſit Gregorius nonus,vt ſacerdotem,vel alium clericum in ſacris ordinibus conſtitutum(cùm pro hæreſi fuerit curiæ ſeculari relinquendus,aut perpetuo carceri retinendus)conuocatis Abbatibus,aliiſque Prelatis & religioſis perſonis,ac literatis ſuę diœceſis,de quibus expedire videbitur, ſolus poſſit Epiſcopus degradare. Quod non ſolum confirmatum fuit à Tridentinis patribus:verùm etiam decretum,vt & Vicarijs Epiſcoporum generalibus, contra Preſbyterum, etiam ad actualem, atque ſolemnem degradationem ab ipſis ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis,in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia,in numero à canonib. definito,requiritur, etiam abſque illis procedere liceat: adhibitis tamen totidem Abbatibus,vſum mitræ habentibus,aut alijs in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis

Seſſ.13 c. 4. reform.

Epiſcoporum porrò abdicatio, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ,ad quam veluti matrem apicemque omnes maiores cauſæ, & iudicia Epiſcoporum ſpectant, ſententiæ atque iudicio ſanctiſſimorum Leonis & Iulij decretis reſeruatur : nec extra Romanum quicquam ex his decerni debere pontificem.

3.q.6.c. Multum:& can. Dudum.

8. Sic autem tam à iure quàm à Iudice depoſitis, non permittunt iura eccleſiaſtica, vt maiore licentia viuant ſeculariter: ſed agendæ pœnitentiæ gratia, iubent illos in monaſterium regulare coarctari. Nam diuus Gregorius coarguit Epiſcopum Calaritanum,quòd clericos lapſos & depoſitos etiam poſt aliquantam pœnitentiam, ſacrorum miniſterio reſtitueret: ſimulque præcipit Venantio Lucienſi Epiſcopo, vt Saturninum presbyterum abdicatum relegct in inſulam Caprariam: vt eius loci monachis pœnitendo inſeruiat, & viaticum tantummodo exitus ſui tempore percipiat. Et Martinus huius nominis Papa primus ſcribit:Si poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit,& præuaricationis peccato fuerit deprehenſus obnoxius:omnimodò prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſteria ſalutis noſtræ tractare.Eugenius autem ita ſtatuit:

Diſt.50.cap. Peruenit:c. Accedens: c.Poſtquam.

c.Si poſt.

tuit:Sacerdos,aut quiuis alius in ordine Eccleſiaſtico prouectus,ſi in eo ſcelere inuenitur, quo abijciendus comprobetur depoſitus, prouidentia Epiſcopi bene prouiſo loco conſtituatur,vbi peccata lugeat, & vlterius non committat. Synodorum Maguntinenſis ac ſextæ Aurelianenſis patres, idem decretum ſuis quoque ſuffragijs probauerunt.Et Pelagius Papa idipſum opere confirmans,Romanum Tyanenſis Eccleſiæ clericum, pro crimine adulterij, à clericatus ordine depoſitum,in quoddam vrbis Romanæ monaſterium ad agendam pœnitentiam detruſit. Qui autem amiſſo gradu, pœnitentiam agere neglexerit, Cabilonenſis ſynodi decreto, ab Eccleſiæ communione ac Chriſtianorum conſortio penitus ſeparandus eſt. *Diſt.81. cap. Sacerdos:c. Dictum:c. Si quis Clericus:c.Romanus.* *Can. 40.*

9. Nihilominus patres Concilij Gangrenſis hunc rigorem temperantes,authoritate Syluestri & Calixti ſummorum Eccleſiæ Pontificum ſtatuerunt, vt ſi Presbyter ſponte confiteatur peccatum ſuum, & decennalem pœnitentiam (quæ illic deſcribitur)pro eo egerit,poſſit in gradum ac honorem priſtinum reuocari: quod Gratianus confirmat exemplis Mariæ ſororis Moſis, Aaronis, Dauidis, Achabi, Petri & Thomæ: qui peracta pœnitentia,proprios gradus receperunt. Addit ſcriptum Calixti, quo vndecim diuinorum bibliorum tam teſtimonijs, quàm exemplis idipſum corroborat. Subiungit plurimas diuorum Hieronymi, Gregorij, Auguſtini, & Cypriani graues ſententias, quibus idem quoque confirmatur. Sequitur & hoc Concilij Agathenſis decretum: Cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula, gradum ſuum dignitatemque recipiant. Et ne quouis modo ſecum diſſidere aut repugnare veteres ac ſacros canones, aliquis arbitretur, ſic eos conciliantem beatum laudat Iſidorum. Is poteſt, inquit, reſtaurari in proprio gradu, qui per pœnitentiæ ſatisfactionem nouerit priora delicta deflere Qui verò negligit, is nullo modo poteſt ad priſtinum gradum reſtaurari. *Diſt.82. cap. Presbyter.* *Diſt.50. cap. Si poſt:c.Ponderet:c Et probabit, &c.* *Cap. Contumaces.* *Cap Domino ſancto.*

10. Qui-

10. Quibus autem ritibus ac ceremonijs ſint abdicati ab ordine & beneficio, iuxta priſcorum decreta, recipiendi ac reſtituendi, explicabimus: ſi prius de Degradatione, quæ propriè dicitur, & ceremonijs in eadem ſeruandis, quidpiam diſſeruerimus. Etenim cùm Degradatio nihil aliud ſit, quàm de priſtinæ dignitatis gradu deiectio, eam vocem generaliter acceptam, confundunt patres Concilij Maguntinenſis cum Depoſitione & exauctoratione, de quibus ſuperius dictum eſt. Degradatio autem vt ſpecialiter vſurpatur, eſt ea depoſitio realis ſeu actualis, qua poſt ſententiã verbalem, de qua ante diximus, inſignia ſacrorum ordinum cum diris, ſolenniter alicui detrahuntur. Differt autem hæc Degradatio à ſuperius nominata Depoſitione, quòd Clericus depoſitus non eſt illicò de foro ſecularis Iudicis: & ideo non traditur ei puniendus: ſed pœna canonica per Iudices Eccleſiaſticos punitur, videlicet detruſione in monaſterium, vel aliâs. Degradatus autem velut incorrigibilis relinquitur pœnæ ſeculari plectendus, ſicut vniuerſis priuilegijs Clericorum meritò deſtitutus atque exutus, ſcelerum atrocitate omne priuilegium excludente. Præterea, ob multa genera peccatorum quis deponi poteſt ac debet, vt ſuperius euicimus: degradari non ita, ſed duntaxat ob hereſim, falſatas ſummi Pontificis literas, calumnias inſidiaſque in ſuum Epiſcopum, denique homicidium per inſidias perpetratum, quod Aſſaſinatum alij appellant.

Diſtin 81. c. Dictum eſt.

C. ad abolendam, §. 1. & c. excommu. C. ad falſarium: & 11. q. 1. c ſi quis ſacerdotũ, &c.

11. Edicit porrò Bonifacius octauus, vt Clericus degradandus ſiſtetur coram Epiſcopo, veſtibus ſacris indutus, in manibus habens vaſa ſeu inſtrumenta ad ordinem ſuum ſpectantia, ac ſi tunc deberet in officio ſuo miniſtrare. Huic autem Epiſcopus publicè, ſigillatimque omnia auferat, quæ illi iuxta morem ordinandorum Clericorum in ſua ordinatione fuerant tradita, ab illo veſtimento vel ornamento, quod vltimò datum fuerat inchoando, & deſcendendo gradatim vſque ad primam veſtem quæ datur in collatione tonſuræ. Tuncque radatur ſeu tondeatur caput illius, ne tonſuræ ſeu clericatus veſtigium in eodem

Sexti decret. libr. 5. tit. 9. de pœnis, c. 2.

remaneat. Poterit autem Epiſcopus, inquit ſummus ille Pontifex, in degradatione vti verbis ad terrorem, illis oppoſitis, quæ in collatione ordinum ſunt prolata, dicendo Presbytero hæc vel ſimilia verba in remotione Planetæ: Auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & te honore ſacerdotali priuamus. Sicque in remotione reliquorum inſignium ſimilibus verbis vtens. In ablatione vltimi dicat: Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus ſancti, ac noſtra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali.

12. Huius autem rei exemplum graue ac memorabile refert doctor Cochlæus li. 2. hiſtoriæ Huſſitarum, recitans ipſius Ioannis Hus publicã abdicationem in Conc. Conſtantienſi his verbis. Poſtea celebrata eſt à ſeptem Epiſcopis ſolẽniter eius degradatio, dum eſſet indutus omni ornatu ſacro, tãquam Miſſam celebraturus. Incipientes, primò è manibus eius tulerunt ſacrum calicem, deinde planetam ſeu caſulam, poſtea ſtolam, &c. pronũciantes ad ſingula dum aufferrent, ſolenni ritu quædam dira & horrifica verba maledictionis, quale eſt illud: *O Iuda maledicte, quare dereliquiſti conſilium pacis, & iniuiſti conſilium cum Iudæis?* Epiſcopi autem hi erant, Mediolanenſis, Feltrenſis, Aſtenſis, Alexandrinus, Bagarenſis, & Vanrenſis: qui peracta degradatione dixerunt: Hæc ſancta ſynodus Conſtantienſis, Ioannem Hus, attento quod Eccleſia Dei non habeat vltra quod agere valeat, iudicio ſeculari relinquere decreuit. His peractis, Sigiſmundus Rex Bohemiæ & Rom. Imperator, ait ad ducem Bauariæ. Vade, recipe eum Qui recipiens eum; tradidit lictoribus, capite tonſum, & alto pileo papyracæo coronatum, cui inſcriptum erat: Hic eſt hæreſiarcha, &c. *Cochl. in hiſ. Huſsitica.*

13. Sed iam dicendum, quibus ritibus, hi qui vel iniuſtè depoſiti, vel ſufficienti pœnitentia emendati fuerant, in priorem gradum ac dignitatem olim reſtituebantur. Epiſcopus (inquiunt patres Maguntinenſes) presbyter, aut diaconus à gradu ſuo iniuſtè deiectus, *11. q. 3. c. Epiſcopus.*

iectus, ſi in ſecunda ſynodo innocens inueniatur, nō poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altari de manibus Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, orarium, & baculum, & anulum Si presbyter eſt, orarium, & planetam. Si diaconus, orarium, & albam. Si Subdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus in reparatione ſua recipiant ea, quæ cùm ordinarentur perceperant. Hæc quidem illi. Verùm, Iulij Papæ primi authoritate poſtea factum eſt, vt ad ſolum Pontificem Romanum deuoluta ſit poteſtas reſtituendi depoſitos ordine ſuo Epiſcopos, vt idem laudat Gratianus. In his quoque prudentiſſimam cautionem adhibendam cenſuerunt, videlicet, vt quidam reſtituti tantùm manerent in ſuſceptis antea ordinibus, nec ad ſuperiores vnquam promouerentur, velut qui ab hæreticorum reſipiſcerent erroribus. Alij verò vt tantùm in minoribus ſeruirent ac miniſtrarent, quales ſunt qui adulta ætate ſcienterque Simoniaca labe ſeipſos commaculauerunt. Alij denique ad laicam duntaxat communionem admitterentur, veluti auctores ac doctores hæreſeon. Satis habeant, ait Cyprianus martyr, quòd admittantur ad pacem, qui hoſtes pacis extiterunt, &c.

2.q.6. can. Ideo: & de pœnitent. Diſtin 6. ca. qui vult.

1.q. 7. can. Saluberrim.

1.q.5 c. quicunque.

1. q 7. can Si qui presbyt.

14. Verùm, iam ſatis de ſacrorum hominum à ſacris muneribus depoſitione atque degradatione: nunc de laicis ſeu prophanis ſtrictim dicamus. Volunt autem imprimis Exauctorationem ſeu degradationem, eſſe inſignium regiorum, conſularium, aut militarium publicam depoſitionem ſeu priuationem: vt ſi Regibus detrahantur diademata, ſceptra, purpuræ, armillę, cæteraque regiæ dignitatis inſignia: Conſulibus, faſces & ſecures: Senatoribus, pilei ac purpuræ: Equitibus, torques, & calcaria aurata: militibus, cingula & arma: tribunis, haſtæ aut vexilla, &c. Vir Amalecites attulit ad Dauid, vt ad verum Iſraelis Regem, armillam & diadema, quod Sauli detraxerat. Idem quoque Dauid ſublatum à rege Amonitarum diadema, capiti ſuo coaptauit, in ſignum regalis dominij ad ſe, ab illo tranſlati. Ammonius ſcribit Caro-

2. Reg. 1.

2. Reg. 12.

lum Magnum inueſtiuiſſe Ludouicum filium de regno ante mortem ſuam, per Spatham quæ vocatur ſancti Petri, & coronam ex auro & gemmis: eundemque Ludouicum poſtea moriturum, miſiſſe coronam, & ſpatham, ac reliquum regium apparatum filio ſuo Ludouico, mandando illis qui cum eo erant, vt in Regem eum ſacrarent & coronarent. Sed hæc ad inſtitutionem & inaugurationem ſpectant, diſſerimus verò de abdicatione ſeu exauctoratione. *Ammonius l.5.hiſt.Frã. cor.c.36.& 39.*

15. Hanc porrò triplicem conſtituunt. Honeſtam vnam, quando emeritis ſtipendijs, vel ab imperatore indulgetur: Aliam cauſariam, quæ propter valetudinem à laboribus militiæ ſoluit: tertiam ignominioſam, quoties is qui deponit, exauctorat, vel mittit, adijcit nominatim ignominiæ cauſa ſe mittere. Sed & ſi militi inſignia militaria Imperator detraxerit, infamem efficit, etiam ſi non addiderit, ignominiæ cauſa ſe eum exauctorare. Poteſt ergo quis ſine ignominia & probro ab officio & dignitate deponi, vtpotè quando quis ſponte Magiſtratu ſe ſe abdicat: vel quando confecto bello legiones ſacramento ſoluuntur & dimittuntur: vel ſenio, vel aduerſa valetudine correpti milites relicta dignitate aut militia, in proprias ædes ſeſe recipiunt. Ita Samuel Propheta, confirmato Saule in regno, Hebræorum præfecturæ renunciauit Cœleſtinus huius nominis Papa quintus, priſtinæ ſolitudinis deſiderio flagrans, exactis in pontificatu menſibus quinque, coram omnibus in conſiſtorio, mitram, annulum, & ſcandalia deponens, Papatu liberè ſeipſum abdicauit. Non deſunt, qui tantundem adfirment de Cœleſtino ſecundo, & Honorio ſecundo: ſed hunc vniuerſo Cardinalium conſenſu reſtitutum. Zonaras quoque teſtis eſt, Coſmam Patriarcham Conſtantinopolitanum ob Alexij Comneni tyrannidem, gradu ſuo ſponte ceſſiſſe. Sacræ etiam huius dignitatis gradum vltrò poſuerunt Narciſſus, Cyrillus, Gregorius Nazianzenus, Petrus Damianus, & alij propemodum innumeri, vt in Eccleſiaſticis hiſtorijs recca-

Vlpian. Digeſt.li.3.t.2. de his qui notantur infamia. Et li.49 tit. 16.lib 13.§. Miſſionum.

1.Reg.12.

Platina.

Sigon. li 10. regni Italici.

Zonar. to. 3.

recenſetur. Sed de huius ſeculi prophaniſque dignitatibus dicendum.

16. Diocletianus & Maximianus poſt viginti annis adminiſtratum imperium Romanum, eodem die, imperiales faſces ille Nicomediæ, iſte Mediolani, depoſuerunt, Conſtantio & Galerio Auguſtis priùs appellatis. Lucius Sylla propria volũtate Dictaturam reliquit, media populi Romani concione, virgas frangens & ſecures, lictores & corporis cuſtodes à ſe dimittens: vt in eius vita refertur à Plutarcho. Ptolomæus regnum Aegypti, Ariobarzanes Cappadociæ, Seleucus Syriæ, filijs ſuis ſponte tradiderunt. Egnatius quoque author eſt, Iacobum, Sebaſtianum, Ioannem multis rebus bello & pace præclarè geſtis, Venetorum illuſtres dominos, omni dignitate ſeipſos abdicaſſe, Ducum ornamentis alijs vel propria manu datis, vel relictis. Nauclerus & Sabellicus ſcribunt Auguſtulum in Lucullano Campaniæ oppido, purpuram diademaque abieciſſe, & ſe ſe imperio Rom. quod annum vnum, duoſque menſes rexerat, exuiſſe. Timoleon Corinthius, & Scipio Africanus publicam rerum adminiſtrationem ſponte reliquerunt, vt priuati agerent. Cinnamus Parthorum rex electus, Artabano, cuius fuerat alumnus, obuiam profectus, diadema capiti ſuo detractum, illius capiti impoſuit, eumque gentis more adoratum, Regem appellauit. Michael ſenior Conſtantinopolitanum imperium Leoni Armenio conceſſit, diademate, purpura, & calceis coccineis (quæ imperij erant inſignia) ad eum tranſmiſſis, vt eſt apud Cedrenum.

Plut. in vita Syllæ.

Egnat. lib. 4.

Plutarch.

Ioſeph. li. 20. antiq. cap. 2.

Cedren.

17. Fuit autem multò magis honeſta longeque laudabilior ea dignitatum abdicatio, quam pietatis noſtrę ergò conſtanter pertulerunt multi: qui ne à principis Chriſti Ieſu placitis deficerent, huius ſeculi Regum ac principum officia, gradus, horumque inſignia fortiter abiecerunt & contempſerunt. Magnificè à Tertulliano celebratur miles ille Chriſtianus, qui inſtar aliorum commilitonum, lauream caſtrenſem capite ferre noluit, coram præfecto grauiſſimas penulas poſuit, ſpeculatoriam moroſiſſimam (caligam militarem

Tertul. li. de corona mil.

tarem interpretantur Rhenanus & Pamelius) pedibus abſoluit, & gladium reddidit. Euſebius iuſtis dig niſque laudibus euehit Petrum, Dorotheum, Gorgonium, quod in perſecutione Diocletiani præfecturas, vitam denique ponere maluerunt, quàm Chriſti religionem. Ruffinus quendam Beneuolum memoriæ ſcrinijs ſub Valentino & Iuſtina præſidentem, mirificè prædicat, quòd impijs Edictis nulla ratione vt ſubſcriberet adduci potuit: ſed ampliores honores promittentibus, reſpondit. Quid mihi pro impietatis mercede, altiorem promittitis gradum? Hunc ipſum quem habeo tollite, tantùm mihi conſcientia fidei duret illæſa. Hæc dicens (inquit) ante pedes impia præcipientium, cingulum abiecit. Sozomenus etiam illos milites commendat, qui ſub Conſtantio Chloro militare cingulum ponere, quàm Chriſtum abnegare maluerunt. Nicephorus quoque multum tribuit Iouiniano, Valentiniano ſeniori, & Valenti, quos exauthoratos, aula ſua exegit Iulianus apoſtata, propterea quod Chriſtianæ pietati valedicere recuſaſſent. Laudi etiam tribuitur B. Martino, quòd ſub eodem Deſertore principe aliquandiu ſacramentis militaribus implicatus, donatiuum eius tandem recuſauerit, & miſſionem petierit & acceperit, vt ſoli Chriſto militaret. Eucherius Lugdunenſis plurimùm commendat Mauritium legionis Thebaicæ primicerium, Exuperium eiuſdem ſigniferum, Candidum ſenatorem, totamque ſex millium ſexcentorum ſexaginta ſex militum turbam Chriſtianam, eo quod militaribus ordinibus, ſignis, præmijs ſpoliari maluerint, quàm dæmonum cultibus ſeſe commaculare. Metaphraſtes ſummæ gloriæ tribuit Euſtathio, qui & Placidæ nomen habuit, quòd ab Adriano imperatore idololatra, & munere ducendi exercitus, & zona militari ſolutus fuerit, quòd cum illo falſis dijs immolare noluiſſet. Baſilius quanta poteſt eloquentia nunc Gordium, mox alios quadraginta martyres celebrat; eò quod abiecto militiæ baltheo, relictis honoribus ac dignitatum huius ſeculi ſplendoribus,

Euſeb. lib. 8. hiſt. cap. 4. 5. & 6.

Li. 11. ca. 16.

Lib. 1. hiſt. tripart. ca. 7.

Niceph. l. 10. cap. 23.

Seuer. li. 1. de vita Martin.

Epi. ad Sylu.

Metaph. ad 2. Nouemb.

Baſil. hom. in Gord. & hom. in 40. mart.

per glorioſum martyrium ad Chriſtum peruenerint.

18. Ignominioſa porrò fuit ea exauctoratio, qua Cæſar plurimos caſtris eijciens, armiſque & baltheis exuens milites, hos his Lucani verbis conuenit:

Luc. lib. 5.

Iam certè mihi bella geram, diſcedite caſtris,
Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites.

Lamprid. in Alexand. Et apud Lampridium, legione loquente exauctorata, cùm nihilominus poſt iſta fremerent, exclamauit. Quirites, diſcedite, atque arma deponite. Mirando exemplo, depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, non ad caſtra, ſed ad diuerſoria varia diſceſſerint.

Appian. li. 3. belli ciuilis. Quia verò communi lege, rei ante ſupplicium exauctorari debent, ſicut Gallus prætor apud Appianum: noſtro ſeculo idem tam in Belgica quàm in noſtra Celtica Gallia ſeruatum fuit. Nam Comiti Egmondano, Comiti Hornenſi, & Baronibus Battenbergicis priùs detractus eſt aurei velleris torques (domus Burgundicæ ac Hiſpanicæ inſigne) quàm ſublatum ex humeris caput. Cumque Pariſijs Briquemaldus, deinde Mongommerius, læſæ maieſtatis diuinæ ac humanæ pœnas capitis daturi eſſent, prius aduolantem vidimus fœcialem, qui ab illis torquem Michaëlinum, Regibus Francorum dicatum, detraheret, quàm plecterentur. Sed de his iam ſatis. Redeundum vnde digreſſi ſumus.

2. *Eſther conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam.*

OMnia pij & grati animi ſigna præbet beata Eſther, cùm & Mardochæum patruelem ſuum eſſe fatetur; & domi ſuæ, id eſt, toti familiæ, omnibus rebus & negotijs ſuis eum præficit, vt cuncta eius nutu & prudentia diſponantur. Summæ ingratitudinis crimine Deus Iſraelem coarguens & damnans, exprobat eis: *Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui; Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, &c.* Re-

Iſaiæ 1.

ctè er-

ctè ergo poſt Heſiodum monet Tullius vt in refe- *Lib.1.offic.*
renda gratia fertiles agros imitemur, qui plus multò *Idem Philippic. 3.*
adferunt, quàm acceperunt. Cui autem gratia referri
non poteſt quanta debetur, habenda tamen eſt quan
tam maximam animi noſtri capere poſſunt.

Habent rurſum principes in Aſſuero ac Eſthere exemplum, quo diſcant impios pernicioſoſque officiarios dignitatibus ſuis exuere, pios verò ac reipublicæ commodiores eorum loco ſufficere; ſiquidem velint & propriæ & ſubditorum ſuorum ſaluti conſultum eſſe. Nam Dominus propter Ioſephum benedixit tã domui Putipharis, quàm vniuerſo Aegyptiorum imperio cui præfectus fuerat. Laban quoque pecori, & ſubſtantiæ incredibile augmentum contulit, quòd his ſeruum ſuum Iacob præfeciſſet. Hæc & plurima alta mente reuoluens Dauid cecinit: *Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum; ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.* Abhorrebat enim pius princeps infidis, & deprauatis conſiliarijs ac miniſtris, probè ſciens nihil tam iuſtum eſſe quod non ſubuertant, nihil tam ſanctum, quod non polluant & profanent. *Gen. 30. & 39.* *Pſalm. 100.*

Nouerint autem omnes, id eſt, tam principes, quàm conſtituti ab eis, & ſub eis officiarij ac magiſtratus, dignitates ſuas non eſſe perpetuas: ſed varijs mutationibus obnoxias & incertas, vt & ſimilia bona fortunæ, quæ nunc iſtis, mox alijs conceduntur. Et quid mirum ſi in terris hæ rerum viciſſitudines comperiantur, cùm & Angeli de cæleſtibus hierarchijs ac ordinibus aliquando ceciderint, horumque ruinæ ex hominibus inſtaurentur? Enimuerò de thronis ſuis Nabuchodonoſor, Cyrus, Alexander, Cæſar, Auguſtus, tandem aliquando deturbati ſunt: & alij horum locis ſubſtituti: Hinc Syracides: *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipſis gentibus.* Nemo ergo de dignitate ſuperbiat, nemo authoritate ſibi ad tempus à DEO conceſſa abutatur, &c. *Eccli 10.*

Docemur tandem exemplo Mardochæi etiam pios viros aliquando rerum potiri, ac regnorum guberna culis ſalubriter admoueri: Deumque iſta gloria in ter ris eos illuſtrare, quos poſtea etiam coronaturus eſt in cælis. Præficiuntur autem non tam propter ſemetipſos, quàm vt Dei populum ac ipſam Eccleſiam iuuent atque promoueant, liberent, conſolenturque in afflictionibus ſuis. Ob eam rem eligens & conſti-
3. Reg. 10. tuens Dauid in regno ſuo, dixit: *Tu paſces populum meum Iſraël.* Et regina Sabæ dixit Salomoni: *Conſtituit te Dominus Regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam.* Vt Eccleſiam Catholicam à ſæuiſſimis perſecutoribus eriperet, ſublatis tyrannis, mundo præfecit Conſtantinum, Theodoſium, Valentinianum, Honorium & cæt. Rogemus toto pectore, fratres Galli, vt vniuerſis Chriſtianorum regnis præficiat Reges ſecundum cor ſuum, &c.

3. *Nec his contenta Eſther, procidit ad pedes Regis, fleuitq́ue, & locuta ad eum orauit, vt malitiam Haman Agagitæ, & machinationes eius peſſimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri.*

4. *At ille ex more ſceptrum aureum prætendit manu, quo ſignum clementiæ monſtrabatur. Illaq́ue conſurgens ſtetit ante eum, & ait.*

5. *Si placet Regi, & ſi inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur eſſe contraria, obſecro, vt nouis epiſtolis, veteres Haman literæ, inſidiatoris & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis Regis prouinciis perire præceperat, corrigantur.*

6. *Quomodo enim potero ſuſtinere necem & interfectionem populi mei?*

QVod antea ſuo patrueli Mardocheo Eſther promiſerat, etiã cum vitę diſcrimine ſe regẽ Aſſuerum

rum aditurã; vt crudelis ac barbara ſuorũ gentiliũ proſcriptio mutata ſententia reuocaretur; hoc ipſum nũc ſeriò magna cum prudentia aggreditur: Vt enim Regis animum ſemper facilem habeat, ſimul & ſemel omnia non inuoluit: ſed ſuo quæque tempore prudenter digerit. Ac prius quidem opiparis conuiuijs cor illius ſibi conciliauerat, deinde propriam ſibi vitam ſeruari petierat: nunc demum ſupplex poſtulat vt Hamanis ſanguinariæ literæ reſcindantur. Verendum quippe fuerat, ſi hæc primò, coniunctimque petijſſet, ne Rex ſubiratus eam longius à ſe ablegaſſet, tanquam nimis importunam, & facilitate ſua audacius abutentem. Ergo quantum poteſt demiſsè ad pedes eius ſe proſternit, & lacrymis (quibus etiam feri ac barbari animi ad miſericordiam commouentur) largiſſimè fuſis, ſuppliciter orat, vt ſceleratas Hamanis machinationes irritas faciat.

Attende porrò quantam prudentiam modeſtiæ coniungat. Literas à ſcribis regijs exaratas, regio annulo confirmatas, & regios curſores miſſas, appellat *malitiam Hamanis Agagitæ, & machinationes eius peßimas contra Iudæos*, non, edicta regia: vt totam culpam & inuidiam à Rege in caput Hamanis transferat; eidemq; ſuadeat non eſſe quod rem iſtam probro verti, contumeliamque imponi ſibi vereatur: quia non literæ Regis, ſed improbi Hamanis artes fallaciæque antiquarentur. Quod ſi Rex obiecturus fuiſſet decretum illud Perſicum, quo nefas erat literis ſemel à Rege miſſis contrauenire: in promptu remiſſio erat, non agi de literis Regis Perſarum; ſed de cruentis fraudibus & artificijs Hamanis Agagitæ. Prudentia ergo, quam ſcientiam opportunitatis idoneorum ad agendum temporum eſſe volunt, in magni momenti rebus, maximè quæ cum ſummis poteſtatibus ſunt pertractandæ, vtendum eſſe, & ſacræ literæ præcipiunt, & humana ratio ſuadet. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, ait Chriſtus. Et Sapiens ait: *Melior eſt ſapientia, quàm vires: & vir prudens, quàm fortis.* Quanta prudentia Nathan, Abigail, Thecuitis mulier, alijque plures, grauiſſima negotia cum Dauide rege feliciter confecerunt?

Matth. 10.
Sap. 6.

cerunt: Et Chriſtus omnium prudentiſſimè Euangelium ſuo tempore promulgauit, confirmauit miraculis, ieiunauit, orauit, hoſtium manus effugit, eis ſe capiendum obtulit, paſſus, mortuus eſt, & reſurrexit.

Vide etiam quibus artibus cor huius barbari Eſther expugnauit. *Procidit ad pedes eius*, quod ſummæ moderationis fuit. *Fleuit*. quem verò tam gratioſæ fœminæ lachrymæ non emollirent? Nam lacrymæ pondera vocis habent. Cauſam quoque petitionis adiungit, ſed cum grauiſſimo affectu. *Quomodo potero ſuſtinere necem populi mei?* Quaſi dicat. Fateor me tanta accepiſſe à tua regia maieſtate, quanta nullus vnquam mortalium accepit. Quam enim vitam mihi eripere potuiſti, tua ſingulari beneuolentia reddidiſti. Propter me perfidus & ſceleratus Haman dignas ſuis ſceleribus pœnas in patibulo ſuſpenſus perſoluit. Attamen perpende tecum obſecro, quæ mihi in vita voluptas eſſe poteſt, ſi meæ gentis exitium hiſce oculis cogor intueri, ſi liberos ex matrum complexu euelli, infantes (parentum in cælum ſublatis vocibus) crudeliter occidi, alios in patibulum trahi, alios igne cremari, iuuenes ferro tranſuerberari, ſenes animam trahentes laqueo vitam finire, virgines violari, honeſtas matronas pati quæcunque victoribus collibuerit, poſtremò apud meos gentiles, cadaueribus, mœrore, & luctu omnia compleri. Nunquam mihi crede, Rex clementiſſime, in vita ſupereſſe volo, ſi mea gens vniuerſa deleatur: malo cum eius cineribus quieſcere, quàm huius ingratæ lucis vſura diutius perfrui, &c. His itaq; ac ſimilibus affectuũ ardoribus, his ſummiſſioribus precibus, hac imbre lacrymarum cauſam temporalis ſalutis populi ſui egit apud Aſſuerum beatiſſima fœmina, &c. Quanto magis ergo apud Deum omnipotentem ſollicitos nos eſſe oportet tam noſtræ, quàm proximorum æternæ ſalutis? Si necem corporum tantum exhorruit, quantis laboribus & curis decet nos mortem æternam tam corporum quàm animorum deteſtari atque deprecari? *Eum timete*, aiebat Chriſtus,

qui

qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam. Et Da- *Matth.* 10.
uid cum timore & lacrymis precatur: *Anima mea tur-* *Pſal.* 6.
*bata eſt valde: ſed tu Domine, conuertere, eripe animam
meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam, &cæt.
Domine, Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac, &cæt.
Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui re-
dimat, &cæt. Erue à framea Deus, animam meam, & de* *Pſal.* 7.
manu canis, &c. Salua me ex ore leonis, &c. Nam hor- *Pſal.* 21.
rendum eſt incidere in manus Dei viuentis. At,
quàm pauci & rari ſunt, qui de his ſeriò recogi-
tent?

Expendamus quoque hoc beatæ Eſtheris exem-
plo, quàm pretioſa & chara nobis eſſe debet ſalus
totius Eccleſiæ, nimirum vt diutius in terra ſerue-
tur, propugnetur, dilatetur, & floreat: vt ſic Deus om-
nipotens ab omnibus agnoſcatur, inuocetur & cola-
tur, & vniuerſum genus humanum ſaluetur. Pro his
totis viribus laborandum & certandum quamdiu
vixerimus; adeoque cùm opus fuerit, pro his forti-
ter & conſtanter occumbendum. Aaron non ſe-
mel ſeipſum cæleſtibus flammis obiecit, vt Iſrael
ſaluus eſſet. Et Moſes incredibili Eccleſiæ ſeruan-
dæ ſtudio permotus, aiebat: *Aut dele me de libro tuo* *Exod.* 32.
quem ſcripſiſti, aut dimitte eis hanc noxam. Abraham o-
rans pro Sodomeis dixit: *Nunquid perdes iuſtum cum* *Gen.* 18.
impio? Chriſtus ipſe non pro ſemetipſo paſſurus ad-
uenit, ſed pro Eccleſia, vt eam ſanctificaret laua- *Epheſ.* 5.
cro aquæ in verbo vitæ. Apoſtoli, diſcipuli, innu-
meri martyres, omnium hominum odia, minas, ſup-
plicia pertulerunt, vt Eccleſia ſuper terram inſtaura-
retur, propagaretur, ſarta tectaque maneret. Sancta
Eſther quieſcere non poteſt, donec populus Synago-
gæ in libertatem aſſeratur. Non timet dici impor-
tuna, nec periculum ſubire legis Perſicæ, non voca-
tam ad Regem iterum atque iterum accedere; ſeip-
ſam ad pedes eius proſternere non veretur, tamdiu-
que ſuſpirare, flere ac orare, donec exaudiatur. Nunc
eheu! omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Eccle- *Philip.* 2.
ſiæ Ieſu Chriſti.

Docemur rurſus huius ſanctæ Heroidis ſtudio, quanta diligentia ſedulitateque cauſam eorum agere debeamus, qui pro fide Catholica periclitantur, domo atque patria exulant, obſidentur in vrbibus, de-
Heb. 13. gunt in carceribus & vinculis, &c. *Mementote vinctorum*, ait Paulus, *tanquam ipſi vincti eſſetis*. Res namque noſtra tum agitur, cùm proximi paries ardet. Laudat
2. Tim. 1. idem Apoſtolus Oneſiphorum, quòd catenam ſuam non erubuiſſet: ſed Romam veniens eum ſolicitè quæ-
Philem. v 7. ſiuiſſet ac inueniſſet. Celebrat & Philemonē, quòd viſcera ſanctorum per eum refocillata requieuiſſent, Docet denique piarum matronarum officium fuiſ-
1. Tim. 5. ſe, vt priſcis illis martyrum temporibus, pedes ſanctorum lauarent, &c. Hoc autem tempore, vt abundat iniquitas, ita refrigeſcit charitas multorum. Multi exorta perſecutione, deficiunt. Alij temporalium facultatum iacturam timentes, hoſtibus pietatis adhærent. Alij, ſi quem viderint zelo fidei tuendæ feruere, eundem ſeditioſum, & pacis oſorem conclamant. Plerique omnes, pro Chriſti Eccleſia exulantes, afflictos, vel oppreſſos erubeſcunt, & flagitiosè propudioſeq; in ærumnis & tormentis deſerunt, cùm maximè eos vel eripere, vel facultatibus iuuare, vel ſaltem, cùm aliud non datur, feruentioribus precibus ſpiritum fortitudinis, conſtantiæ, & patientiæ illis à Deo precari deberent.

7. *Reſponditq; rex Aſſuerus Eſther reginæ, & Mardochæo Iudæo. Domum Haman conceſsi Eſther: & ipſum iuſsi affigi cruci, quia auſus eſt manum*
8. *mittere in Iudæos. Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet, ex Regis nomine, ſignantes litteras annulo meo. Hæc enim conſuetudo erat, vt epiſtolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere.*

HAec tertia capitis pars copioſam Codicillorū crudelium reuocationem continet. Rex enim, cor

nim, cor eius barbarum cicurante Deo, & in fauorem populi ſui animum illius flectente, non ſolùm proſtratæ coram ſe Estheræ virgam auream extendit, in ſignum clementiæ & omnis beneuolentiæ: verùm & cunctis poſtulationibus eius benignè annuit, & omnem facultatem ipſi & Mardochæo concedens, literas nouas conſcribere permittit, quibus priores antiquentur. Quaſi dicat. Quod in me fuit, in gratiam veſtram aduerſus Hamanem præſtiti: quod supereſt, ipſi nomine meo pro veſtro deſiderio perficite. Habetis ſcribas regios, annulum regium, curſores regios, adeoque ipſam poteſtatem authoritatemq; regiam, ipſa pro libertate veſtra contra hoſtes veſtros vtimini.

Sed vnde tam mirabilis repentinaque mutatio? Profectò non niſi conſilio & voluntate Dei omnipotentis, qui quæcunque vult facit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Poteſt enim ſolus auferre cor lapideum, & dare cor carneum atque docile. Et ſapientiſſimus Hebræorum ait: *Cùm placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Saul aliquoties Dauidi reconciliatus eſt: Laban & Eſau obſequia ſua Iacobo obtulerunt: Tobiæ dedit gratiam in conſpectu Salmanaſaris: Ioſepho Pharaonem conciliauit: Danieli & ſocijs reges Chaldæorum & Perſarum: Alexandrum proſtrauit coram Iaddo, Gainam coram Chryſoſtomo, ſummos denique orbis Monarchas iugo Eccleſiæ & fidei Catholicæ ſubmiſit. Studeamus ergo omni modo ac ratione huic optimo & maximo Patri grati eſſe, & nihil nocebunt hoſtes, quantumuis immanes ac barbari.

Ezech. 11. *Prou. 16.* *Gen. 31. & 32.* *Tob. 1.* *Ioſephus.* *Theodor. l. 5. cap 33.*

Verùm, potuit ne Aſſuerus omnem poteſtatem regiam ſatis prudenter transferre in Eſtherem & Mardochæum, cùm paulò ante Haman tam flagitioſe turpiterque abuſus eſſet pari conceſſione? Reſpondeo: Niſi fidem, pietatem, & prudentiam horum prius habuiſſet exploratiſſimam, certè non poſſet temeritatis & imprudentiæ ſuſpitione liberari. Sed ſicut quondam Putiphar attendens Deum eſſe cum *Gen. 39.*

Ioſepho, & omnia quæ ageret dirigi in manu illius, tutò vniuerſam domum & familiam ſuam eidem commiſit: eidemque poſtea Pharao dixit: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, &c.* Danielem denique conſtituit Darius ſuper centum viginti ſatrapias imperij ſui: ſic & Aſſuerus perſpectam probatamque habens fidem & prudentiam tam Mardochæi quam Eſtheris, ſecurè tantam eis poteſtatem conceſſit. Fieri etiam potuit, vt ille omnia quæ ſcripſerunt prius perlegeret, quam annuli ſigno confirmarentur. Ergo velint nolint Reges ſigilla miniſtris committunt, cùm rebus omnibus adeſſe non valeant: multum tamen tam ipſorum, quàm reipublicæ intereſt, quibus illa concredant. Certè pauci nunc ſunt Beneuoli, ac Mauri; plurimi verò Achitopheles, Hoſpitales, &cæt.

Gen. 41. *Dan. 6.*

Expende etiam egregiè modeſtum, & facilem huius Regis animum. *Scribite*, inquit, *Iudæis ſicut vobis placet, ex Regis nomine ſignantes literas annulo meo.* Agnoſco me vnius adulatoris impijque nebulonis artificio circumuentum, vniuerſo populo veſtro innocenti ac pro magnum periculum excitaſſe, nec ſatis video quomodo contra leges Perſicas Edicta reuocare poſſim: vos ipſi prudenter rebus illorum proſpicite, & quicquid deſignaueritis, à me probabitur, &cæt. Ergo Reges frequentius in conſilijs fallunt & falluntur, nec ſunt expertes errorum, vt ſcelerati Gnathones quibuſdam perſuadere ſunt conati: quapropter & Doctorum correptionibus ſeipſos ſubijcere, & admoniti reſipiſcere debent; ac ſi quæ pernicioſa crudeliave Edicta promulgauerint, eadem reuocare vel mitigare tenentur. Non eſt enim conſtantia; ſed cæca potius contumacia obſtinato animo rebus malè decretis, aut malis promiſſis, etiam ſi iuramento firmata fuerint, pertinaciter inhærere.

Leges enim Eccleſiæ Chriſtianæ his contrariæ ſunt, vt: In malis promiſſis reſcinde fidem: In turpi voto, muta decretum. Non eſt obligatorium contra bo-

22. q. 4. cap. In malis.

tra bonos mores præſtitum iuramentum. In malis *Regul. 58. & 69.*
promiſſis fidem non expedit obſeruari. Quod Hero-
des temerè promiſit ſaltatrici, magna impietate ad- *Mar. 6.*
impleuit. Quod autem Dauid iuramentum de occi- *1. Reg 25.*
dendo Nabale non impleuit, maioris pietatis fuit.
Hinc Ambroſius de Iephte, filiam ex voto immo- *Iudic. 11.*
lante ſcribit: Miſerabilis neceſſitas, quæ ſoluitur par *Lib. 3. offic.*
ricidio. Melius eſt non vouere, quàm vouere id quod *22. q 4. can.*
ſibi is cui promittitur, nolit exolui, &cæt. Non ſem- *Iurauit can.*
per igitur promiſſa ſoluenda ſunt omnia: cùm & *Vnuſquiſq;.*
Dominus ipſe (ſicut ſcriptura indicat) frequenter *c. Magnæ:*
ſuam mutet ſententiam Auguſtinus ſubijcit: Magnæ *c. Diſfinitio, &c.*
ſapientiæ eſt, hominem reuocare, quod malè locutus
eſt. Et in concilio Elibertino dictum eſt: Diffinitio
incauta laudabiliter ſoluenda eſt: nec eſt præuarica-
tio, ſed temeritatis emendatio. Non puduit Pau-
lum conſtanter Euangelium prædicare, quod ante
acriter oppugnauerat. Auguſtinus hæreſes Mani-
chæorum diligentius profligauit, quàm paulò ante
aſſeruerat. Nullos ergo vnquam pudeat errores ag-
noſcere ac emendare: ſiquidem *omnis homo mendax,* *Pſal. 115.*
omnes declinauerunt, omnes peccauerunt & egent gratia *Pſal. 13.*
Dei.

Animaduerte rurſus vnius Aſſueri exemplo, tyrannos omnes velint nolint, tandem aliquando errores ac peccata ſua cognoſcere; victoſque Deo, & veritati herbam palmamque concedere. Hic namque rebus ipſis ſatis fatetur, ſe non parum deliquiſſe in populum Dei, cùm vnius Hamanis libidini eum excruciandum & delendum reliquerit: nunc verò cupiat emendari, quod impiè fuerat admiſſum.
Multis duriſque flagellis coactus Pharao dixit Mo-
ſi & Aaroni: *Peccaui etiam nunc, Dominus iuſtus: & e-* *Exod 9.*
go, & populus meus, impij. Et Saul iniquitatem ſuam
palam fatetur, dicens Dauidi: *Iuſtior me es. Tu enim*
tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Antio- *1. Reg. 24.*
chus cæleſti vltione percuſſus vociferatur: *Nunc remi-*
niſcor malorum quæ feci in Ieruſalem, &c. Et quidam in *Mach. 6.*
inferis gemunt & ſuſpirant his verbis: *Nos inſenſati,* *Sap. 5.*
vitam ſanctorum æſtimabamus inſaniam, &c. Ergo errauimus

mus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis,&c. Sed nimis eheu! nimis ſerò ſapiunt, cùm nullus ſuperſit effugij locus, nullum detur amplius veræ pœnitentiæ tempus.

Præterea, Aſſuerus inops conſilij non videt quo modo rebus Iudæorum conſuli poſſit, quando iam Epiſtolæ per Hamanem eſſent miſſæ, vt omnes perirent, *litteræ*, inquam, *Regis annulo ſignatæ, quibus nemo auderet contradicere*: eaſdemque reuocare impoſſibile iudicaret. Sed quod impoſſibile eſt hominibus, facillimum eſt Deo. Rex iſte non poteſt auertere pericula, quæ populo Dei creauerat: Deus tamen populum ſuum ſaluaturus, Mardochæo ac Eſtheri ſuggerit, vnde ſeruetur. Sic Dauid aliquando deſperabat euadere manus Saulis, Dominus tamen diſponebat media quibus liberaretur. Hebræis viſum eſt impoſſibile Pharaonem effugere: & Dominus mare eis aperuit. Ionas, Ezechias, tres pueri, Daniel, Suſanna, Petrus, Paulus, cùm præſentem intentarent omnia mortem, diuina ope euaſerunt. Nunquam igitur deſpondeamus animis, nunquam deſperemus de ſalute noſtra, & conſeruatione Eccleſiæ, etiam ſi impiorum Principum & Magiſtratuum edicta aduerſus pietatem confici, promulgari, vrgeri videamus. Faciamus cum Dei timore, quod in nobis ſitum eſt, ipſe ſuo tempore vindex erit. Qui fecit, vt Nabuchodonoſoris leges de ſtatua colenda, Maximini de Chriſto abnegando, & Valentis de exilio Baſilij irritæ eſſent, idem facere poteſt vt & horum placita & ſenatuſconſulta facilè antiquentur & pereant.

1. Reg. 23. *Exod. 14.* *Dan. 3.* *Euſeb. lib. 9. hiſt. cap. 10.* *Theodorit. Lib. 4. c. 19.*

Sed finge nec Hamanem ſuſpenſum, nec crudele edictum mitigatum aut reuocatum: verùm vniuerſos in Perſia Iudæos crudeliter mactatos & deletos fuiſſe. Num propterea tota Dei Eccleſia perijſſet? Nullus relictus eſſet, qui Deum verum agnoſceret, inuocaret, adoraret, coleret? Reſpondeo. Nec ſic tamen Eccleſia beatorum illorum ſpirituum, qui cum Abraham conſolabantur, nec ea quæ adhuc ſuper terram militabat perijſſet. Qui occubuiſſent in fide, ſpe, & gratia Chriſti venturi, martyrij lauream reportaſſent: & mors

Luc. 16.

mors eis lucrum fuiſſet, non detrimentum: finiſq; huius vitæ miſeræ ac ærumnoſæ, initium alterius longè felicioris ac tranquillioris. Deus autem qui *poteſt ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ*, quique ex vno fecit vniuerſum genus humanum ſuper faciem terræ, modis quos nouerat Eccleſiæ ſuæ prouidiſſet. Aliquos profectò, vel vt tempore generalis diluuij, extra periculum ſeruaſſet: vel eoſdē Perſas, Medos, Chaldæos, Græcos, & Romanos agnitionis ſuæ vera luce colluſtraſſet. Manebit itaque pro certo, manebit, & inuicta permanebit Eccleſia Chriſti in terris ad extremū vſque diem huius mundi, manebit prædicatio euangelij, manebunt Baptiſmus, Confirmatio, Miſſa, cæteraque ſacramenta, quibus colligitur & ſanctificatur, donec IESVS CHRISTVS viuorum & mortuorum iudex veniat: quantumuis aduerſus ea ſæuiant tyranni, bacchentur hæretici, furantque omnes dæmones, & miniſtri impietatis eorum. Sequitur.

Luc. 3.

1. Cor. 11.
Matth. 16, & 28.

9. *Accitiſq; ſcribis & librarijs Regis (erat autem tempus tertij menſis, qui appellatur Siban) viceſima & tertia die illius ſcriptæ ſunt epiſtolæ, vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos & ad principes, procuratoreſq; & iudices, qui centum viginti ſeptem prouincijs ab India vſque ad Aethiopiam præſidebant: prouinciæ atq; prouinciæ, populo & populo, iuxta linguas & literas ſuas, & Iudæis: pro vt legere poterant, & audire.*

10. *Ipſæq; epiſtolæ, quæ ex Regis nomine mittebantur, annulo ipſius obſignatæ ſunt, & miſſæ per veredarios: qui per omnes prouincias diſcurrentes, veteres literas nouis nuntijs præuenirent.*

11. *Quibus imperauit Rex, vt conuenirent Iudæos per ſingulas ciuitates, & in vnum præciperent congre-*

congregari, vt ſtarent pro animabus ſuis, & omnes inimicos ſuos, cum coniugibus ac liberis & vniuerſis domibus, interficerent atq; delerent, & ſpolia eorum diriperent.

12. Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltionis dies, id eſt, tertia decima menſis duodecimi Adar.

ECce quid accepta ab Aſſuero omni poteſtate, fecerint Eſther & Mardochæus. Ne quid longior mora detrimenti adferret, eodem ipſo die regios amanuenſes cunctos accerſunt, Epiſtolas eiuſdem quidem ſententiæ, ſed diuerſis characteribus & linguis dictant, ac conſcribi curant ad omnes Iudæos hinc inde diſperſos & afflictos: & ad ſatrapas, prætores, & rectores omnium imperij Perſici prouinciarum Quid verò ſcriptum fuit? Primò, Iudæis ſacra eorum lingua ſignificatum eſt, Regem ipſis poteſtatē facere, *vt in omnibus vrbibus coire poſſent*; quod illis antea non licuerat. Solent enim Tyranni gentes à ſe deuictas & libertate ſua exutas, hinc inde diſpergere, ijſq; direptis armis omni conuentu interdicere. Secundò, poſſe illos, ex conceſſione eiuſdem Regis, *ſtare pro animabus ſuis*, id eſt, ſeipſos vitamque propriam non ſolùm tueri: verùm etiam omnes milites, plebeios, prouinciales, à quibus eſſent infeſtati, excindere ac perdere, vnà cū paruulis, ſenibus, & fœminis. Tertiò, poſſe *omnes facultates eorum diripere*, ac in proprium vſum dominiumq; vendicare: idque tertia decima die menſis duodecimi, quæ dies eorum lanienæ deputata erat. Quartò, cæteris omnibus Perſici imperij ſubditis ſignificatum eſt, cautum eſſe Imperatoria maieſtate, ne quis Iudæis impedimentum afferre præſumeret; quin potius manus adiutrices præberent omnes in ſumendo de ſuis hoſtibus ſupplicio. Poſtremò, ad maiorem rei fidem & authoritatem, literæ nomine Regis ſcriptæ, eiuſdemq; annulo ſignatæ fuerunt, & per Curſores, mulis, & dromedarijs ſeu camelis ad maiorē celeritatem equitantes, ad omnes prouincias tranſmiſſæ.

Scriptu-

Scriptura porrò meminit menſis & diei, videlicet, *viceſimæ tertiæ diei menſis Siuan*, qui reſpondet partim Maio, partim Iunio noſtro, vt inducet quanto tempore Iudæi verſati ſint in maximis periculis & anguſtijs, ſine vlla externa conſolatione derelicti. Nam in primo menſe, qui dicitur Adar, euulgatum fuit edictũ crudele & ſanguinarium, vt omnes interficerentur, vt ſupra dictũ fuit. Nunc autem reuocatur illud in tertio menſe, & die viceſima tertia menſis huius: igitur ſupra duos integros mẽſes fuerunt in luctu, fletu, plangore, & ieiunio, grauiſſimiſque tentationibus de tam crudeli internecione toti populo imminente. Quis hac in re non mirabitur altiſſimum Dei conſilium? Decreuit pro certo ſeruis ſuis adeſſe, hos mirabiliter liberare, & grauem de hoſtibus eorum vindictam ſumere: ſed non illicò id facit, verùm aliquandiu ſuſtinet in magna patientia, tum vt fidem & patientiam ſuorum exerceat, tum vt inimicos eorum ad pœnitentiam expectet. Deinde, liberationem iucundiorem vult reddere, & pro magna afflictione præſtare maius gaudium: vt cum Pſalmiſta dicere poſſint, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala, &c.* *Eſther 3.* *Pſalm 93.* *Pſal 65.* *Pſal. 89.*

Frequens eſt autẽ ſimile iudicium Dei erga ſanctos ſuos. Non enim mox liberauit Noë de diluuio, non Iſraelem de Aegypto aut Babylone, non Ioſeph de carcere, non Dauidem de manu Saulis, non Chriſtum hominem de paſſione & morte; non Petrum, non Paulum, non primam Eccleſiam illicò liberauit de violentis perſecutoribus: non quod nollet, aut non poſſet citius opem ferre, ſed quod ſapienter ad tempus differret, vt excitaret ad feruentiores preces, denique glorioſius eriperet, ac tandem magnificentius coronaret. Dicit enim in Iſaia: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momẽto indignationis abſcondi faciẽ meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui: dixit Redemptor* *Iſaiæ 54.*

de mpto

Thren. 3. *demptor tuus Dominus.* Et Ieremias: *Non repellet in ſempiternum Dominus.* Quo ergo maiores & diuturniores ſunt Sanctorum afflictiones, tanto certiorem ſpem de liberatione & ſalute concipiamus; & eam fiduciā continuis & ardentibus precibus ſuſtentemus: *Si moram fecerit, expecta eum. Etiam ſi occiderit, ſpera.*

Habac. 2.

Iob 13.

In eo autem quod Eſther & Mardochæus accepta ab Aſſuero poteſtate ſcribendi nomine regio ad omnes prouincias, illicò Secretarios acciuerunt, & per veredarios, curſores regios literas conſolatorias Iudæis miſerunt, ne videlicet inter moras quidam mactarentur, duo præſertim obſeruanda notandaq; proponuntur. Primùm, regios vicarios ac officiarios cauere omnino debere, ne abutantur accepta ab illis authoritate & poteſtate: quin potius prudenter & moderatè ea bene vtantur ad correptionē malorum, laudem verò bonorum, conſolationem afflictorum, conſeruationem & propugnationem Eccleſiæ diuinæ, ſicut hìc faciunt Eſther & Mardochæus. Ab eis ergo diligenter obſeruata eſt hæc beati Apoſt. regula: *Dominus dedit poteſtatem in ædificationem, & non in deſtructionem.* Ioſaphat pius Rex iudicibus à ſe conſtitutis dicebat: *Videte quid faciatis. Non enim hominum exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit.* Ioſephus factus Regis Aegypti vicarius, mox frumenta collegit, quibus vitam multis ſeruaret. Tyberius magiſtratum conſtituens dicebat: Cape ferrum hoc, & ſi imperium rectè geſſero, pro me: ſin malè, contra me vtere.

2. Cor. 10.

2. Par. 19.

Gen. 41.

Suetonius.

Niceph. lib. 1. cap. 17.

Secundum quod ex Mardochæi & Eſtheris facto notandum proponitur, illud eſt, in rebus pijs, in ſeruanda Eccleſia, & afflictis omni ſtudio iuuandis & ſolandis non eſſe procraſtinandum, præſertim cùm etiam de Dei cultu & gloria agitur. Vbi enim iſtis facta eſt pro Iudæorum ſalute ſcribendi facultas, nullas moras nectunt, non in alium diem negotium differunt; ſed continuò rem aggrediuntur, ne aliqui piorum interea necarentur. Ita ſi extirpandæ ſint hæreſes, tollendæ corruptelæ, inſtauranda Eccleſiæ diſciplina, ſcelera cohibenda; rem in longum non

protra-

protrahamus, ſed primo quoque tempore aggreſſi, quod noſtri muneris eſt ſedulò peragamus. Rectè ait Poëta:

Principijs obſta, ſerò medicina paratur, *Ouid.lib.1. remed.*
Cùm mala per longas conualuère moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Idem rurſum:

Vidi ego, quod fuerat primò ſanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

Sed cùm pleriſque in rebus gerendis tarditas damnô fuerit, tū maximè periculoſa eſt in conuerſione ac emēdatione vitæ: quapropter oēs ſedulam operam demus, ne nobis ipſis defuiſſe, neve patientia & longanimitate Dei noſtri in noſtræ dānationis augmentū abuſi fuiſſe dicamur. Quis enim nouit, an ad decrepitam ætatem vſque victurus ſit? Quot florente adhuc ætate, ſubitò & imparati quotidie abripiuntur? Quot ſubitis caſibus oppreſſi, in peccatis ſuis pereunt? Quot in huiuſmodi morbos incidunt, vt omnem mentis ac ſenſuum vſum amittant? Scitè igitur ſcribit Auguſtinus. Quem pœnitet, omnino pęniteat, & dolorem lacrymis oſtendat: repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotes, præueniat iudicium Dei per Confeſſionem. Idemque rurſum. Si quis poſitus in vltima neceſſitate ſuæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quod bene hinc exit. Si ſecurus hinc exierit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem non poſſumus. Nunquid dico, damnabitur? Sed non dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? Vis quod eſt incertum euadere? Age pœnitentiam dum ſanus es, &c. Apertiſſimæ & certiſſimæ ſunt hę voces Chriſti: *Vigilate, neſcitis enim quando tempus ſit, &c.* *Aug. lib. de vera & falſa pœnit. c. 10. De pœnit. diſt. 1. C. Quē pœnitet: & diſt. 7. c. Si quis poſitus. Marc. 13. Luc. 12.*

Iure autem hîc quæri poteſt, an Eſther & Mardochæus rectè fecerint in expetenda, atque ſcriptis etiam mandanda Iudæis, tanta de hoſtibus ſuis vltione, vt neque mulierculis aut paruulis quicquam condonaretur? Idem certè diuinus Spiritus, qui ſub lege di-

Deut.32. xit, *Mihi vindictam, & ego retribuam*: ſub Euangelio prohibet
Matth. 5. *reſiſtere malo. Sed ſi quis te percuſſerit in vnam ma-*
Rom. 12. *xillam*, ait, *præbe illi & alteram*. Et per Apoſtolum: *Non vos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.*

Reſpondeo, hæc intelligenda eſſe de vindicta ſingulari & priuata, quæ omnino prohibetur, niſi contra vim apertam, quam etiam vi maiore repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Caſus enim adeo repentinus poteſt eſſe, vt Magiſtratus non poſſit auxiliari: tunc ergo poſſumus nos tueri, adhibita nihilominus tam magna defenſionis moderatione, vt nos & nobis commiſſos tantummodo tueri ſtudeamus: non ſatagentes aduerſarios lædere vlciſcendi animo: ita vt illa actio, non ex odio, ſed ex charitate,
23. q. 4. c. & defenſionis neceſſitate proficiſcatur. Rurſum, ſi in
quid ergo: ſumenda vindicta ſpectetur præcipuè animi incan-
c. Ecce: c. deſcentis ſatisfactio, & malum ita proximo inferen-
quiſquis. c. dum vt ſola ira placetur: peccatum lethale, ac gehen-
Hæc autem, na plectendum eſt, quemadmodum prolixè probat
&c. Gratianus. Sin autem ſermo ſit de vindicta publica, quæ fit per legitimum magiſtratum, & zelo iuſtitiæ, nimirum ad correptionem malorum, vt alij timeant, ceſſentque ab impietatibus ſuis; iuſtitiæ planè opus eſt ac laude dignum. Nam Magiſtratus in hoc à Deo
Rom.13. conſtitutus eſt, vt ſit *vltor ad iram ei qui malum operatur*: ergo qui ad opem Magiſtratus aduerſus infeſtos ſibi confugiunt, vindictam Deo relinquunt, qui eos ad hoc præſtandum inſtituit. Cùm itaque Aſſuerus rex eſſet legitimus, rectè pieq; ad eius opem Mardochæus ac Eſther vt de violentis tyrannorũ ac homicidarum impreſſionibus aſſererentur, confugerunt: nec affectatæ vindictæ, læſæve charitatis debent inſimulari:
Aug. ep. 54. ſed potius de iuſtitia laudari. Appoſitè ſcribit Augu-
23. q. 5. can. ſtinus. Non fruſtra ſunt inſtituta poteſtas Regis, cog-
Miles: c. offi- nitoris ius, vngulæ carnificis, arma militis, diſciplina
cia, can. Non dominantis, ſeueritas etiam boni patris. Hæc cum ti-
eſt, can. Non mentur; & mali coercentur, & boni quieti inter ma-
fruſtra, c. cũ los viuunt. Officia vindictæ poſſunt implere boni
homo, c. prin bono animo: quomodo Iudex, & quomodo lex. Nec
cipes, &c. eſt iniquitatis, ſed potius humanitatis ſocietate deuinctus,

uinctus, qui propterea criminis eſt perſecutor, vt ſit hominis liberator, &c. Sic enim cum magna laude Abraham aperto etiam marte, Lot nepotem ſuum vindicauit, & Dauid ſuas atque commilitonum vxores & paruulos, & Iudices populum Hebræorum, &c. *Geneſ.14.* *2.Reg.1.*

Sed quamobrem etiam coniuges & paruuli, quibus in bello parci ſolet, etiam morti adiudicantur? An non in lege ſcriptum erat, *Inſontem non occides?* *Exod.23.* *Non portabit filius iniquitatem patris? Non occidentur patres* *Ezech.18.* *pro filijs?* *Deut.24.*

Reſpondeo. Domino Deo ſeuerè iudicante, nullus eſt innocens, nemo pius: ſed omnes natura filij iræ, ac proinde etiam mortis. Illo iudicante, iuſtè perierunt paruuli in diluuio, in Sodomis, in AEgypto, etiam ſi nondum per ætatem licuiſſet eis parentum ſuorum actualibus peccatis conſentire. Itaque ſi hîc in Perſide interfecti ſint etiã cum parentibus paruuli, ſicut & in Babylone, quando ſycophantæ cum liberis dati ſunt *Daniel.6.* leonibus, iuſtitiæ opus fuit, non crudelitatis.

Adhæc, oportuit omnes ſtupendæ vltionis exemplo, reſcire, quàm nefarium fuerat Hamaniſtarum aduerſus populum Dei conſilium.

Præterea, ſuperius viſum eſt in vxore & conſiliarijs Hamanis, omnes fuiſſe impietatis illius participes. Denique, etiam ſi Iudæis data fuerit in fœminas & paruulos infidelium poteſtas: nihilominus non legitur aliquos eorum trucidaſſe, præter decem filios Haman. Ergo non abhorret à vero, illos ab horum nece abſtinuiſſe, ſicut & à ſpoliorum direptione.

13. *Summaq́; Epiſtolæ hæc fuit, vt in omnibus terris ac populis, qui regis Aſſueri ſubiacebant imperio, notum fieret paratos eſſe Iudæos ad capiendam vindictam de hoſtibus ſuis.*

14. *Egreſsiq́; ſunt Veredarij celeres nuntia perferentes, & edictum Regis pependit in Suſan.*

CERTE feſtinandum erat pro imperij amplitudine: & citius quã fieri potuit Iudæis permittẽda facultas ſeſe defendẽdi ab infeſtatoribus;

ſi quis Perſarum prioribus mandatis pertinacius inhærens, in eos vellet inſurgere. Iam enim multi Hamaniſtæ paſſim ſibi gratulabantur, occaſionem nacti trucidandi Iudæos; & eorum bona, vt fit, diripiendi,
Leuit.26. quòd hæc gens Iudaica nunquam non habuerit acerrimos hoſtes, tum quòd Deus peccata illorum hac maledictione plecteret, vt velut folium arboris ſemper trepidarent: tum quod in odium veræ religionis, potiſſimum autem venturi Chriſti, diabolus iras gentilium
Apoca.12. in eos incitaret atque inflammaret. Sic enim draco rufus inſidiabatur mulieri prægnanti, vt fructum eius deuoraret, ne genus humanum ex captiuitate illius liberaret. Ad hoc pertinent hę ſatellitum eius vo-
Pſalm.82. ces: *Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltra.* Iidem gentiles euerſis Ieroſolymis, putantes actum eſſe de vniuerſo ſemine Abraham,
Thren. 2. *plauſerunt* (ait Hieremias) *manibus ſuis, ſibilauerunt, & mouerunt caput ſuum: Haccine eſt vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ? Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui, ſibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt; Deuorauimus: en iſta eſt dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus, &c.*

QVIA verò integrum literarum regiarum exemplar extat in fine libri huius, præſtat vt illud hoc loco ſuo reſtitutum, perſtringamus, vt à Ioſepho Hebræo, deinde à Græco interprete, poſtremo & à Latino vulgato, quondam editum fuit. Poſtea ad ea quæ ſequuntur de Mardochæi gloria, reuertemur.

LIBRI ESTHERIS CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

1. *Rex magnus Artaxerxes, ab India vſque ad Aethiopiam centum viginti ſeptem prouinciarum ducibus, ac principibus, qui noſtræ iuſſioni obediunt, Salutem ducit.*

HAEC prima pars epiſtolæ regiæ continet inſcriptionem, qua primò ſignificatur eius autor, nimirum, *rex magnus Artaxerxes*, qui & Darius, & Aſſuerus quoque nominabatur, vt initio dictũ eſt. Deinde, notantur hi ad quos mittitur epiſtola, videlicet, *centum viginti ſeptem imperij Perſici prouinciarum ſatrapæ & rectores.* Poſtremò, quid optet illis Rex, *Salutem* nempe, & omnem proſperitatem mentis & corporis.

Quantum ad titulum regium attinet, certè conſtat ex Dione, Iſocrate, ac Plutarcho, omnes Perſarum reges *μεγάλου βασιλέως* cognomen aſſumpſiſſe; vel ab adulatoribus, qui & ſemper, & in omni aula frequẽtes ſunt, delatum non reſpuiſſe. Conſentit duobus locis *Herod. lib. 5.*
Herodotus: priore, cùm Ariſtagoram ita ad Ionios loquentem inducit: Iuxta fluuium Choaſpem ſita ſunt Suſa, vbi Rex magnus domiciliũ habet. Poſteriore, in *Herod. lib. 8.*
oratione Alexandri ad Athenienſes, quã claudit hac de rege Perſarũ coronide; Rex magnus vobis Græcorum ſolis iniurias remittens, cupit effici amicus. Sub- *Xen. li. 1. de*
ſcribit & Xenophon referens, fuiſſe magno Regi, is *expeditione*
autem Perſarum eſt, in Cælenis, regiam munitam, ad *Cyri.*
Marſyæ fluminis fontes. Tribuunt & Syri eundem titulum Regi Aſſyriorum, dicentes Holoferni: Me- *Iudith. 3.*
lius eſt vt viuentes ſeruiamus Nabuchodonoſor regi magno.

Nec hoc titulo contenti Perſarum reges, ſeſe etiam

Reges Regum tandem appellauerunt, vt patet in hoc
1. Eſdræ 7. Artaxerxis ad Eſdram epiſtolio: *Artaxerxes rex regum, Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ legis Dei cæli doctiſſimo, Salutem, &c.* Saporis quoque Perſarum regis ad Conſtantinũ
Ammian. lib. 17. literas cum huiuſmodi inſcriptione refert Ammianus: Rex regum Sapor, particeps ſyderum, frater ſolis & lunæ, &c. Strabo etiam teſtatur Cyrum in monumenti ſui inſcriptione, Regem regum appellari.
Strabo li. 15. Quinetiam poſtquam in Parthorum nomen, poteſtatemq; Perſæ tranſierunt, eundem quoque ſibi nominis honorem Reges vindicarunt, vt eſt facile colligere ex Plutarcho, in Pompeio. Chaldæorum etiam
Plutarch. Regibus idem epitheton tribuitur, Daniele ad Nabuchodonoſorem dicente: *Tu Rex regum es, & Deus cæli*
Daniel. 2. *regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi, &c.* Eundem rurſus honorem ſibi quondam tribuit Antonius, quando Orientis imperium inter liberos ex ſe & Cleopatra ſuſceptos, partitus, eos voce ſua,
Plutarch. Reges regum renunciauit, vt in eius vita ſcriptum reliquit Plutarchus.

Cæterùm, ferenda quidem hæc ſummorum Regum oſtentatio & gloriatio, modò Deum agnoſcant, inuocent, & timeant, cuius duntaxat vicarij & ſerui
Apoc. 17. & 19. ſunt ſuper terram. Is enim ſolus verè *Rex magnus eſt ſuper omnem terram. Solus Rex regum, & Dominus dominantium,* vt in Apocalypſi non ſemel conteſtatur Angelus. Vbi verò faſces & ſceptra ſua illi ſubmittere noluerint, faſtus eſt planè ſatanicus; quem ſuo tempore vindicabit acerrimè, vt in Nabuchodonoſore, Pharaone, Antiocho, Herode, aliiſque gygantum fraterculis iam manifeſtum fecit.

2. Multi

7. *Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam.*

8. *Et non ſolùm ſubiectos Regibus nituntur opprimere, ſed datam ſibi gloriam non ferentes, in ipſos qui dederunt moliuntur inſidias.*

ISTO veluti Exordio graphicè deſcribuntur Aulicorum ambitus, mores, ac fallaciæ, quæ poſtea in vno Hamane clarius apparebunt & monſtrabuntur. Ac primò quidem Ευεργετούντων, i. eorum qui bene de ipſis alijsque merentur. Latina editio, *Principum.* Hebræi hos NEDIBIM vocant, eò quòd Principes viros maximè deceat liberalitas & magnificentia. Horum ergo beneficentia, μεῖζον ἐφρόνησαν, multo magis ſuperbierunt, dum quò maiorem honorem adepti ſunt, eò potiorem de ſe opinionem habuerunt. Notum eſt illud Claudiani: Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum. Sic Doeg abutens animo aureque Saulis, Dauidem tetris calumnijs prægrauauit, octoginta quinque viros ſacros, veſtitos Ephod lineo trucidauit, & ciuitatem eorum percuſſit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemque & aſinum, & ouem: vt hac immanitate & barbarie maiorem apud truculentum principem iniret gratiam, & ex mulione (paſcebat namque mulas Saul) fieret miles aut princeps. Iuuenes Roboami conſiliarij, vt ſupra ſenes intelligere viderentur, & ſtolidi Regis facilitate, & ſua ipſorum dignitate turpiter abuſi, pernicioſiſſimum ſempiternumque ſchiſma in Iſraele fecerunt. Sed quid vetera exempla quærimus, cùm recentia plurima in ore & oculis omnium verſentur? Videmus adhuc in Gallijs non ita pridem obſcuros citharedos, trapezitas, medicos, chirurgos, diobolares nobilicaſtros, imò etiam impuriſſimos lenones ac cynedos, nimia facilitate, atque profuſione Regum noſtrorum abuſos; nunc clariſſimis quibuſque præferri: ac ſummis in regno dignitatibus

Claudian.
1.Reg.21. & 22.
3.Reg.

nequiter inſigniri,&c. Vtinam, iterum autem vtinam, hominum ſolummodo facilitate ac beneficijs abuterentur impij, non autem Dei omnipotentis, veluti contigit præuaricatori Angelo: cùm nobiliſſima ſorte ſua non contentus, voluit æquari altiſſimo. Primus quoque Parens, cùm in honore eſſet, non intellexit: ſed comparatus eſt iumentis inſipientibus, &c.

Superbiam & ambitionem Aulicorum frequenter comitatur ſumma in omnes crudelitas & barbaries, qua non ſolùm in ſubiectos, imbecillos, & tenuioris ſortis homines ſæuiunt, ac eos opprimunt: ſed rerum abundantiam, conceſſamque ſibi dignitatem moderatè quieteque ferre non valentes, in ipſos ſuos benefactores tandem inſurgunt, malum machinantur, ac nonnunquam eos tollunt de medio. Hinc natum eſt prouerbium: Satietas ferociam parit. Huiuſmodi autem peſtes, ſeu potius ſerpentes, in ſinu ſuo alunt, fouentque dulciſſimè huius mundi Reges ac principes, à quibus cùm nihil ſibi metuunt, tum grauiora imminent pericula Nam Zacharias rex Iſrael percuſſus eſt

4. Reg. 15. à Sello ſeruo ſuo: idem Sellum interemptus eſt per Manahem: Phaceia filius eius itidem à ſuo milite Phacee filio Romeliæ interfectus fuit: & Phaceam occidit Oſeas filius Ela, & regnauit pro eo: id eſt, quatuor Reges Iſraelis à ſeruis ſuis neci dati fuerunt. Adeo verũ eſt quod Alexander apud Curtium refert: Philippus

Cur. lib. 9 (Macedo) in acie tutior, quàm in theatro fuit: hoſtiũ manus ſępe vitauit, ſuorum effugere nõ valuit. Aliorum quoque Regum exitus ſi reputaueritis, plures à ſuis quam ab hoſte interemptos numerabitis. Nam Darius à Beſſo, Caracalla à Macrino, Philippus à Decio, Mauritius à Phoca; & vt de noſtris Gallis aliquid dicamus, Chilpericus à Landerico, id eſt, ſummi Imperatores ac Reges à domeſticis & ſubditis ſuis fuerunt vel per inſidias, vel aliâs interfecti. Sed de miſera horum conditione diſſeruimus ſupra, ca. 2. ver. 23.

4. *Nec contenti ſunt gratias non agere beneficijs, & humanitatis iura violant: ſed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur ſe poſſe fugere ſententiam.*

AVLICOS rurſum coarguit turpiſſimæ ingratitudinis in Principes, qui ipſos opibus & honoribus auxerunt: deinde, ſummæ impietatis in Deum viuum & verum, cuius vultum, iudicium, ac vltrices pœnas poſſe ſe euadere putant. *Gratias*, inquit, *non agunt pro acceptis beneficijs.* Aut vt Græcus interpres ait: τὴν εὐχαριϛίαν οὐ μόνον ἐκ τῶν ἀνθρώπων ἀνταναιροῦντες, bonam gratiam ex hominibus delentes, ipſius naturæ iura violant: quę docent ijs plurima deferre, à quibus mul ta accepimus. Ingratum autem volunt eſſe eum primò, qui beneficium accepiſſe ſe negat, quod accepit: deinde, qui id diſſimulat: hinc, qui non reddit: omnium autem ingratiſſimum, qui beneficium obliuiſcitur. Rectè verò monet Seneca: Ingratitudinem eſſe *Senec. lib. de* rem per ſe fugiendam; quoniam nihil æquè concor- *beneficijs.* diam generis humani diſſociat atque diſtrahit, quàm hoc vitium. Ingrata fuit Agar erga Saram dominam *Geneſ. 16.* ſuam, & ideo ab Angelo reprehenditur. Ingratus La- *Geneſ 31.* ban de beneficijs quæ accepit à Iacob: ingratus pin- *& 40.* cerna Aegyptius in Ioſeph: ingrati Saul, Ceilani, Zi- *1. & 2. Reg.* phæi, & Abſalon erga Dauid. Ioas rex Iuda occidit *2. Paral. 24.* Zachariam filium Ioiadæ ſummi ſacerdotis, immemor beneficiorum, quæ in illum contulerat pater illius. Quod ſi tam graue ſcelus eſt, immemorem eſſe beneficiorum acceptorum ab hominibus, multo certè grauiore facinore ſe ſe commaculat, qui in Deum ingratus eſt, cui nihil non debet.

Sunt & plerique Aulici impij in Deum, exiſtimantes ſe iudicium eius euaſuros impunè, quaſi aut nullum eſſet futurum, aut Deus ipſe nec facta, dicta, cogitata ve hominum vllo modo curaret. Quidam namque eorum cum Pharaone dicunt: *Quis eſt Dominus,* *Exod. 5.* *vt audiamus vocem eius?* Alij verò: *Non videbit Dominus,* *Pſalm. 93.*

nec

2. Pet. 3. *nec intelliget Deus Iacob.* Atque hi ſunt illuſores (quos in nouiſſimis temporibus venturos eſſe ſummus Apoſtolorum prædixit) & iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, & dicentes: Vbi eſt promiſſio aduentus Domini? Verùm, nõ tardat Dominus promiſſionem ſuam ſicut illi exiſtimant: ſed patienter agit propter electos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. In quib. ergo latebris tunc ſe impij iſti abſcondere, aut quibus artificijs iudicium Domini ſubterfugere poterunt? Planè hæc omnia *videntes turbabũtur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ* Sapient. 5. *ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, Hi ſunt quos habuimus aliquãdo in deriſum,* &c. Dicentq́; montibus & petris: *Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipſorum. & quis poterit ſtare?* Sequitur. Apocal. 6.

5. *Et in tantum veſaniæ proruperunt, vt eos qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, & ita cuncta agunt vt omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conentur ſubuertere:*

6. *Dum aures Principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt.*

NIHIL præterea, inter aulicos magis vulgare ac ſolenne eſt, quàm melioribus ac præſtantioribus inuidere, eiſdem detrahere, inſidiari, & in ſummum diſcrimen illos adducere. Hoc ſemel iterumque expertus eſt Daniel in aula Chaldæorum ac Perſarum: expertus & Dauid in domo Saulis: ſed magno ipſorummet inuidentium ac detrahentiũ incõmodo, quandoquidẽ Deus omnipotens ſeruos ſuos ab eorum dolis ſeruauit, ipſis proprijs dolis & artibus ſuis pereuntibus. Docent autem hanc Inuidiam, quæ eſt triſtitia de bono alterius, in quantum eum excedit in bo-

Daniel. 6. & 14. 1. Reg.

Thom. 2. 2. q. 34. 35. & 36.

in bonis, peccatum eſſe mortale; quia directè oppo nitur charitati ac dilectioni quæ proximis debetur. Hæc autem parit Suſurrationes, quibus fratrum gloria in occulto minuitur: Detractiones, quibus fama petitur apertè: Exultationes in aduerſis: Afflictiones in proſperis: Odia denique, quibus mala eis deſiderantur & quæruntur: quæ omnia coarguit Spiritus diuinus in ſcripturis dicens: *Paruulum occidit inuidia.* Iob. 5.
Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius. Prouerb. 24.
Non efficiamini inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem mordentes. Galat. 5.

7. *Quæ res & ex veteribus probatur hiſtorijs, & ex his quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam ſuggeſtionibus Regum ſtudia deprauentur.*
8. *Vnde prouidendum eſt paci omnium Prouinciarum.*
9. *Nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate: ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt reipublicæ poſcit vtilitas, ferre ſententiam.*

HIS ſtudet Aſſuerus notam leuitatis ac inconſtantiæ à ſe remouere, qua propter literas ſecum pugnantes & contrarias inuri poterat. Rationes ſunt, quod non eſt recens, ſed omnibus gentium ac temporum hiſtorijs peruulgatum, quoſdam ſemper abuſos eſſe Regum facilitate ac humanitate. Non mirum ergo ſi id quoque ei contigerit, vt circumueniretur. Deinde, pro imperij ſui conſeruanda pace & tranquillitate, operæpretium fuit priores aduerſus Iudæos emiſſas literas antiquari. Quis verò non probet Imperatorem pacis & ſalutis ſubditorum ſtudioſum? Poſtremò, vt medici pro ætatis & infirmitatis varietate, diuerſa quidem, ſed commoda & ſalubria ſtatuunt: ita quoque laudandum potius quam vituperandum, ſi Magiſtratus pro qualitate & neceſſi-

tate

tate temporum & rerum leges quaſdam figant & refigant.

Apologia pro Dauid. Perpende verò, quàm rectè ſcienterq́; dixerit quondam D. Ambroſius: Peccauit Dauid, quod ſolent Reges: ſed pœnitentiam egit, quod non ſolent Reges. Tanto ſiquidem gloriæ ac famæ ſuæ amore tenentur, vt quiduis potius admittant, quàm ſe erraſſe ingenuè fateantur, vel ſententias ſemel latas decretaſq́;, tametſi duras ac tyrannicas reſcindant. Perſuadent enim ſibi, ſe ἀναμαρτήτους eſſe, nec poſſe errare: timentes ne ſibi aliquid de authoritate ac dignitate decidat, ſi ſe peccaſſe confiteantur. Idcirco, vt graues, ſapientes, conſtantes videantur, nonnunquam impia decreta mordicus tuentur & vrgent. At quanto melius eſſet, peccata lapſusq́ue ſuos humiliter agnoſcere, & pro virili emendare, quàm pertinaciter defendere? Non puduit eximium imperatorem Nabuchodonoſorem *Daniel. 3. & 6.* leges ſuas de adorāda ſtatua ſua reuocare: aut Darium pro Daniele ſtatuere aduerſus eos, qui eum ad decernendum aduerſus illum impulerant. Rex Niniuitarum, Achab rex Iſrael, Manaſſes rex Iuda pœnitudine iram Dei à ceruicibus ſuis depulerunt, &c.

Quicquid verò de Regum ſimplicitate ac facilitate dicat, certè ſagaces & prudentes eos eſſe decet, & *Eccli. 19.* incautam credulitatem ſedulò cauere. *Nam qui citò credit, leuis eſt corde, & minorabitur.* Audientes vna aure accuſantem, alteram defenſori reſeruent. Chriſtus *Matth. 10.* quidem iubet Apoſtolos ſuos ſimplices eſſe ſicut co- *3. Reg. 3.* lumbę: veruntamen prudentes vt ſerpentes. Salomon inter litigantes fœminas, ab effectis viq́ue naturæ ſumpta litis iuſtitia & cognitione, prudenter dijudicauit.

10. *Et vt manifeſtius quod dicimus, intelligatis, Haman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusq́ à Perſarum ſanguine, & pietatem noſtram ſua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis ſuſceptus eſt:*

11. *Et tantam in ſe expertus humanitatem, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus, poſt Regem ſecundus:*

12. *Qui in tantum arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, vt regno priuare nos niteretur, & ſpiritu.*

13. *Nam Mardochæum, cuius fide & beneficijs viuimus, & conſortem regni noſtri Eſther, cum omni gente ſua nouis quibuſdam atque inauditis machinis expetiuit in mortem:*

14. *Hoc cogitans, vt illis interfectis, inſidiaretur noſtræ ſolitudini, & regnum Perſarum transferret in Macedonas.*

QVAE ſuperius in genere dicta ſunt de varijs ſceleribus aulicorum, nunc ſingulariter tribuuntur Hamani: cuius malitia ſigillatim hoc loco recitatur, cùm vt appareat omnibus Regem in eum ſummo iure animaduertiſſe, tū literas eiuſdem fraude contra Iudæos extortas meritò reſcidiſſe & antiquaſſe.

Ac de genere Hamanis, qui & Agagæus, & Amalecites, & Buggæus, & hîc, *animo ac gente Macedo, alienuſque à Perſarum ſanguine* dicitur, diuerſæ ſunt interpretum ſententiæ, quas ſuperius vtcunque conciliauimus. Hic tantum obſeruo, Aſſuerum omnem crudeliſſimorum & nefariorum Edictorum culpam in Hamanem referre, vt totius barbariei ac immanitatis eorum infamia ſuos Perſas liberet. *Erat*, inquit, *& animo & gente Macedo*; cum Macedonibus autem & Græcis, Perſæ nihil habent commune. Illi natura aſperi & crudeles; nos autem ad omnem comitatem & huma-

humanitatem compoſiti. Illi aſtuti ac veteratores; nos recti, fideles, ac ſimplices. Iniurioſus ergo ac contumelioſus in humanam ac præſtantem Perſarum gentem fuit impius Haman, quando *pietatem noſtram ſua crudelitate commaculare* ſtuduit. Hoc itaque ſcelus nemo nobis Perſis tribuat; ſed Græcis ac Macedonibus, a quibus ad nos peregrinus & hoſpes aduenerat. Ergo boni viri officium eſt, eniti pro viribus, vt patria bene audiat, & ab omni opprobrio vindicetur. Deinde, Regibus, magiſtratibus, ac vniuerſis qui præſunt, omnino proſpiciendum, ne ſceleratorum conſuetudine dedecore ac infamia notentur, bonorumque virorum nomen & exiſtimationem amittant.

Quantis verò beneficijs Haman ab Aſſuero fuerit affectus, quantaque arrogantia & ſuperbia intumuerit; præterea, quo odio in Mardochæum, totamq; gentem Hebræorum exarſerit, copioſius relatum atque explicatum fuit ſuperioribus commentarijs.

Supereſt, vt de eius aduerſus Regem regnumque conſpiratione hæc ex Ioſepho Gorionis addamus. Cùm ſederet (inquit) Mordochai in porta Regis, aduertit ſuſurrium duorum eunuchorum Regis cuſtodientium portam, & conſultantium quomodo leuarent manum contra Regem, & ablatum eius caput deferrent ad Regem Macedoniæ, qui iam bellum indixerat Regibus Perſarum. Cùm autem eunuchi ſuſpenſi eſſent in cruce, iratus eſt Haman valde, quòd conſiliarij ſui ſic acti eſſent in crucem. Et conatus eſt exterminare omnes Iudæos, &c. Conſentit & libri Eſtheris contextus ille, vbi habetur: *Haman filius Hamadathi* *Eſther. 12.* *voluit nocere Mardochæo, & populo eius, pro duobus eunuchis, qui fuerant interfecti.* Ex quibus manifeſtè apparet, Hamanem regni fuiſſe appetentiſſimum, atq; vt hoc ſuo deſiderio faceret ſatis, Regi Reginæque necem adferre manibus eunuchorum tentaſſe. Ex quo conſpicis, quam tetra feraque bellua ſit regnandi cupiditas. Hac *2. Reg. 15* correptus Abſalon in pium parentem, ſanctumque *Iudic. 9.* Dei Prophetam inſurrexit: Abimelec ſeptuaginta *4. Reg. 11.* fratres occidit. Athalia omne ſemen regium interemit,

emit,&cæt.Et vt paucis dicam,Peſtis maior eſſe nulla in amicitijs poteſt,quàm honoris certamen & gloriæ,in quo inimicitiæ maximæ ſæpè inter amiciſſimos extiterunt. Et Bernardus ambitus incommoda hoc compendio colligit: Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis,liuoris parens, vitiorum origo,tinea ſanctitatis,excæcatrix cordium,ex remedijs morbos creans,& ex medicina langorem generans,&c.

15\. *Nos autem à peßimo mortalium, Iudæos neci deſtinatos,in nulla penitus culpa reperimus, ſed econtrario iuſtis vtentes legibus.*

16\. *Et filios Altißimi & maximi, ſemperqúe viuentis Dei,cuius beneficio & patribus noſtris & nobis regnum eſt traditum, & vſque hodie cuſtoditur.*

VIDES, vt Aſſuerus omnem crudelium Edictorum inuidiam à ſe perpetuò amoliatur, & in Hamanis malitiam iniquitatemque referat? *Nos*,inquit, ὑπὸ τοῦ τρισαλιτηρίου, *à ter prauo, peſtilentißimoque mortalium, Iudæos neci deſtinatos reperimus.*Sic ergo deforme,fœdum, ac inhoneſtum eſt omne peccatum, vt etiam authores eius pudeat, nec velint eiuſdem authores appellari. Nemo enim tametſi ſanguinem humanum fundat, mœchetur, bona proximi ſurripiat, nomen DEI in vanum aſſumat, aut quid aliud turpe deſignet; vult tamen aut homicida, aut adulter, aut prædo, aut blaſphemus, aut flagitioſus, aut infamis appellari. Eſt quidem hominis ingenui velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris: ſed id veris virtutibus ac benefactis conſequendum; non ſola ſpecie ambiendum eſt.Etenim memorem famam, qui bene geſſit,habet.

Perſpice etiam impiorum famam, etiam poſt mor-

mortem inhoneſtam & maledictam eſſe, quãdo Haman poſt infelicem furcam, poſt facultatum proſcriptionem, &c. hîc etiam ab ipſo Rege Perſarum, & publicis per orbẽ legibus declaratur, *peßimus mortalium*, ſummæque impietatis in Deum & homines adhuc carpitur, coarguitur, & damnatur. Verè itaque Salo-
Prouerb. 10. mon ait: *Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet.* Sic ingrata iam eſt atq; fœtida recordatio Caini, Pharaonis, Antiochi, Herodis, Neronis: nemoque ſine execratione meminit Iudæ, Simonis Magi, Manichæi, Sabellij, Arij, ac ſimilium, de quibus in pſal-
Pſalm. 15. mo dicitur: *Nec memor ero* (ſcilicet cùm honore) *nominum eorum per labia mea.*

Nec prætereundum, tantam eſſe veræ pietatis atque virtutis efficaciam, vt quantumuis periclitetur, ſemper tamen emergat: laudemque conſequatur etiam ab his, qui eam impugnauerunt. Nam Aſſuerus, qui paulò ante Iudæos velut maleficos, imperijq; ſui certiſſimas peſtes, funditus euertendos perdendoſq;, ſuaſore Hamane, præceperat; nunc eoſdem *penitus innocentes, iuſtis legibus vtentes, filiosque Dei altißimi* eſſe pa-
Daniel. 3. lam aſſerit. Ita & Nabuchodonoſor conſtantiam fidemque trium puerorum in cælum extulit; quos paulò ante manibus pedibuſque colligatos, velut læſæ maieſtatis reos, in fornacem ardentem detrudi fecerat. Pilatus, milites, latrones, imò & dæmones, Chriſti innocentiam, deitatemque confeſſi ſunt; quam anteà acriter oppugnauerant.

Apparet quoque hunc Aſſuerum ad vnius verique Dei notitiam fuiſſe perductum, quando ſumptis ex lege & prophetis proprijs illius epithetis ac titulis, ap-
Geneſ. 14. pellat eum, *Altißimum, Maximum, ſemperque viuentem.*
Num. 4. Dicitur autem Deus excelſus & altiſſimus, propter
Pſalm. 9. immenſam maieſtatem, & infinitam potentiam, qua
Deut. 6. ſolus & vnus eſt ſuper omnia. Appellatur quoque
Pſalm. 46. paſſim, Dominus rex magnus ſuper omnem terram,
47. 76. 85. 88. magnus & terribilis, Deus magnus qui facit mirabi-
94. 95. 98. lia, Rex magnus ſuper omnes deos; quoniam om-
Danie. 9. nes ſuperat huius mundi regulos, deos fictitios; denique omnes vires tam humanas, quàm diabolicas, &

ange-

angelicas. Prędicatur etiam, ſemper viuens ac immortalis, quòd non ſolùm omnis finis ac interitus ſit expers; verùm & omnibus largiatur ſpiritum & vitam. Hanc porrò Dei veri notitiam didicit Aſſuerus à Mardochæo ac Eſthere; qui pro ſua pietate illius cognitionem ac cultum inter ethnicos quantum poterant, promouebant Sic & Ionas Niniuitis, & Daniel Chaldæis legem Dei perſuaſerunt. Ergo nec captiuitas, nec exilium, nec ſeruitus vlla poteſt verbum Dei præpedire. *Verbum Dei non eſt alligatum*, etiam in præconibus alligatis. 2. Tim. 2.

Palam denique profeſſus, Dei veri beneficio regna terræ conferri & ſeruari; ſanctam rectamque de illius prouidentia ſententiam ſe tenere demonſtrat. Is enim verè eſt, per quem Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. *Ego conſtitutus ſum ab eo*, ait Dauid. Denique Daniel docet, eum ſolum mutare tempora & ætates, transferre regna atq; conſtituere. Longè itaque melior eſt hic barbarus illis, qui regna ſua proprijs viribus, prudentiæ, conſilijs, carnique ac ſanguini accepta ferunt, &c. Aug. lib. 22. de ciuit. Prouerb. 8. Pſalm. 2. Daniel. 2.

17. *Vnde & eas literas, quas ſub nomine noſtro ille direxerat, ſciatis eſſe irritas.*

18. *Pro quo ſcelere ante portas huius vrbis, id eſt, Suſan, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, ſed Deo reddente ei quod meruit.*

19. *Hoc autem edictum quod nunc mittimus, in cunctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus ſuis.*

20. *Quibus debetis eſſe adminiculo, vt eos qui ſe ad necem eorum parauerant, poſſint interficere tertia decima die menſis duodecimi, qui vocatur Adar.*

21. *Hanc enim diem Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.*

HIS tangitur præcipuus iſtius Epiſtolæ regiæ ſcopus, quando ab Hamane extorta edicta reuocantur; deinde, Iudæis quietè viuere, ac ſuis legibus liberè vti conceditur. Reuocationem his verbis Græcus extulit: *καλῶς οὖν ποιεῖτε, μὴ προσχρησάμενοι τοῖς ὑπὸ Αμαν Αμαδαθοῦ ἀποσταλεῖσι γράμμασι. Pulchrè igitur facite, non vtentes miſsis ab Hamane Hamadathu literis.* Quaſi dicat. Cùm literæ illæ priores non fuerint noſtrę, ſed ſcelerati ſycophantæ Hamanis; rectè & bene facietis, ſi

Herod. li. 7. eas non fueritis exequuti. Reges autem Perſarum ab-
Iuſtin lib. 2. ſoluta in ſubditos ſuos poteſtate aliquoties vſos eſſe,
Valer. Max. lib. 9. ca. 5. ſatis manifeſtat iſta Xerxis, Greciæ bellum illaturi, ad principes ſuos oratio: Ne viderer meo tantummodo vſus conſilio, vos contraxi. Cæterùm, mementote parendum magis vobis eſſe, quàm ſuadendum. Et
Daniel. 5. Daniel de magno Nabuchodonoſore dicit: *Quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat.* Vt ergo alter
Danie. 6. Darius antiquata reſciſſaque lege, de non orando quemquam intra triginta dies, Danielem è lacu eripuit, & calumniatores illius leonibus tradidit diſcerpendos: ſic & iſte Aſſuerus potuit ſuperiora Edicta reuocare; præſertim cùm non tam ſua fuiſſent, quàm impij Hamanis, vt iam aliquoties annotatum fuit.

Docentur porrò his exemplis Principes & magiſtratus, vt leges impias, inhumanas, & crudeles, à ſe vel alijs editas & promulgatas reſcindere non vereantur; & melius poſtea ſapere. Sic Iuſtinus martyr
Iuſt. ad finë Apolog. 2. refert Epiſtolas A A A. Adriani, Antonini, & Marci, quibus diſtrictè prohibent ne Chriſtiani accuſentur ſolius pietatis ergo: tametſi eos omnibus modis excruciandos priores ſtatuiſſent imperatores. Earundem epiſtolarum meminerunt quoque Tertullianus, Euſebius, Nicephorus, Paulus Diaconus, & alij plerique.

Agnoſcens deinde Aſſuerus, Hamanem *Deo reddente ei quod meruit,* in crucem actum fuiſſe; profitetur

ſe piè

ſe piè ſatis ſenſiſſe de diuino aduerſus omnes impios ac tyrannos iudicio: quo tandem ipſis, ac cunctis mortalibus pro meritis repoſita ſunt ſupplicia vel præmia. Mihi certè veriſimile ac probabile eſt, Estherem pijſſimam fœminam hunc virum ſuum familiaribus ac dulcioribus colloquijs frequenter admonuiſſe, de his quæ ad ſalutarem Dei omnipotentis cognitionem pertinerent: ſimulque Mardochæum huic pietati operas ſuas haudquaquam denegaſſe. Potuerunt ergo Aſſuero proponere diuinas vltiones in angelos apoſtatas, in Adamum & poſteritatem eius, in Cainum, in Sodomæos, in Pharaonem, in Nabuchodonoſorem; quorum omnium peccata, ſuo tempore, grauiſſima vltione caſtigauit. Denique in diuinis codicibus & oraculis ſcriptum eſſe, *Deum reddere vnicuique iuxta opera ſuá*. &c. Hæc vtinam ſedulò attenderēt, ac diu noctuque animis reuoluerent huius ſeculi tam ſacri quàm prophani principes, &c. *Pſalm. 66.*

Cùm verò aliquanto poſtea tempore, quàm hæc geſta fuerant, hunc librum ſcripſerint & probauerint Mardochæus, & viri magnæ ſanctæque Synagogæ, rectè vereque potuerunt addere his regijs literis, omnem quoque Hamanis cognationem cum eo appenſam fuiſſe in patibulis, tametſi non vno die id factum fuerit. Quapropter & flagitioſè & præfractè hunc ſacræ ſcripturæ locum falſitatis coarguere niſi ſunt quidam hæretici; vt ſtomacho ſuo indulgentes, additiones iſtas de canone diuinorum oraculorum ſubmouerent.

Quando autem Perſarum rex publico edicto permittit *Iudæis liberè vti ſuis legibus*, id eſt, iuxta Moſis legem Deum colere, externis etiam ceremonijs religionem patrum exercere, oſtenditur longè feliciꝰ eis fuiſſe ſub Ethnicis, quàm ſub quibuſdam proprijs eorum Regibus. Enimuerò eis non licuit ſub Ieroboamo, Achabo, Ieſabele, Manaſſe, & alijs apoſtatis principibus, Deo vero & ſoli ſacrificare; ſed coacti ſunt nunc vitulos aureos, mox Baal & alios fictitios Deos venerari; ſyncetis Prophetis occiſis, religioſis con-

concionibus carere;& ſuffoſſis euerſisq́; ſacris altaribus,profanam gentilium idololatriam amplecti: nūc verò ab Aſſuero illis liberum fit,paruulos ſuos circuncidere,ſabbatha ſanctificare,næomenias, cæteroſque ſacros dies obſeruare,alijſque ſuæ religionis ritibus vti.Sic nunc ſub imperio Turcarum,Perſarum,ethnicorumque permittitur Chriſtianis omnia ſacra ſua pro more patrum ſeruare:non licet autem ſub tyrannide principum ac Magiſtratuum, qui à fide Catholica ad hæreſes defecerunt.Adeò crudelius deſæuit in Abelem Cain,quam omnis bellua: Iſmael in Iſaac, Eſau in Iacob,Saul in Dauid generum ſuum,Iudas & Iudæi in Chriſtum;id eſt,hypocritæ, apoſtatæ,ac domeſtici hoſtes,quàm externi longè inhumaniores & crudeliores aduerſus pios exiſtunt.

Vide præterea ſingulares diuinæ prouidentiæ effectus ergaSynagogā.Primū,quando filijs ac diſcipulis eius facit Deus ethnici Regis ſeruos ac miniſtros ſubſeruire.*Vos*,ait Aſſuerus,*Iudæis debetis eſſe adminiculo, vt eos qui ſe ad necem eorum parauerant, poſſint interficere.*

3.Reg.18. Ecquid mirum,cùm & corui Heliæ,Deo præcipiente,
Euſeb.lib.8. hiſt. miniſtrauerint: & ipſos leones, vrſos, tigres, carnifices ſanctis martyribus ſuis Deus obſequioſos frequenter reddiderit?

Secundus prouidentiæ diuinæ effectus in eo relucet,quòd ea ipſa die,ad necem Iudaici populi ab Hamane deſtinata, idem Iudaicus populus memorabilem de hoſtibus ſuis vltionem ſumpſit. *Hanc*,inquit, *diem mœroris & luctus, Deus omnipotens vertit eis in gaudium.*

Tob.3. Ita poſt tempeſtatem,*tranquillum facit; & poſt lacrymationem & fletum,exultationem infundit.* Pollicetur-

Ioan.16. que electis ſuis:*Triſtitia veſtra conuertetur in gaudium.* Nemo ergo in aduerſitate deſperet, nemo in proſperitate iuueniliter exultet,&c.

22. *Vnde & vos inter cæteros feſtos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, vt & in poſterum cognoſcantur,*

23. *Omnes qui fideliter Perſis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem inſidiantur regno eorum, perire pro ſcelere.*

24. *Omnis autem prouincia & ciuitas quæ noluerit ſolennitatis huius eſſe particeps, gladio & igne pereat, & ſic deleatur, vt non ſolùm hominibus, ſed etiam beſtijs inuia ſit in ſempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.*

CLAVDITVR epiſtola regia graui ſanctaque ad Iudæos exhortatione, qua monentur, vt tam miræ memorabiliſque liberationis nunquam obliuiſcantur: ſed publica ſolennitate hunc inter reliquos feſtiuitatum ſacrarum dies, in ſempiternum celebrent. Subiungitur ratio, ſed minus præcipua & ſecundaria, nimirum, vt hac publica externaque ceremonia moneantur omnes Perſarum imperio fideliter ſubeſſe, vt eis bene ſit: aut cæleſtem vltionem pro certo expectare, ſi eidem non fuerint obſequuti, cuius rei exemplum ſpeculumque perſpiciant in Mardochæo & Hamane. Nam potior feſtiuitatum ratio eſt, vt Deus per opera ſua cognoſcatur, laudetur, colatur, & inuocetur ab hominibus, quorum tam ſedulam piamque rationem habet. Siquidem de die liberationis AEgyptiacæ dicitur Hebræis: *Habebitis hunc* Exod. 12.
diem in monumentum, & celebrabitis eam ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Sequitur poſtea. *Et cùm dixerint vobis filij veſtri, Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael, &c.* Feſtorum ergo ratio non eſt in otio captando, in conuiuijs, in ſpectacu-

lis, in choreis ; ſed in beneficijs diuinis recolendis, &c. Sed de his infra dicemus copioſius.

Interea tamen verum ac manifeſtum eſt, his bene futurum; non tantum qui Perſis, ſed & quibuſcunque alijs legitimis Regibus ac Magiſtratibus fideliter obediunt ac ſubſeruiunt, tanquam à Deo omnipotente ſuper terram conſtitutis, vt eius vices referant, curentque vt omnia honeſtis ac pijs legibus inter homines adminiſtrentur ; atque pij vitam viuant tranquillam ; impij verò iuſtis pœnis ſubijciantur. Iſtius modi magiſtratus officium eſſe docet Apoſtolus, (Rom. 13.) ſcribens: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa.* Etenim (2. Reg. 18. & 20.) malè ceſſit Abſaloni, Sebæ, ac vniuerſis alijs perduellibus, qui aduerſus legitimas poteſtates inſurrexerunt: quandoquidem iudicante Deo, rebellionum ſuarum pœnas tandem exoluerunt. Sed de his iam diximus non ſemel.

Cæterum, memorabile eſt, quod Edicto etiam regio poſtremæ internecioni adiudicantur omnes (Iudæi nimirum, de quibus hîc tantùm agi videtur), qui noluerint huius ſolennitatis eſſe participes, vt alijs & poſteris ſint exemplo contemptus & inobedientiæ cauendæ. Ita Dominus voluit etiam ethnicos principes ſuis legibus Eccleſiæ aliquando eſſe protectioni (Daniel. 3.) & conſolationi : ſicut cùm Nabuchodonoſor decretum poſuit, *vt omnis populus, & tribus, & lingua quæcunque locuta fuiſſet blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, diſperiret, & domus eius vaſtaretur.* Et M. (Iuſtin. mart. Apolog. 2.) Aurelius Antoninus, impetrata per Chriſtianorum militum preces pluuia, lege ſanciuit, vt ſi quis Chriſtianum detuliſſet, hoc ſolo nomine quod Chriſtianus eſſet, delatus Chriſtianum ſe impunè fateretur, (Euſeb. lib 7. cap. 26.) delator verò eius viuus combureretur. Aurelianus quoque ſanctè decreuit aduerſus Paulum Samoſatenum hæreſiarcham, vt de Eccleſia (quam vi retinere nitebatur) propelleretur: is autem eidem præeſſet, qui

ſet,qui cum Romano Pontifice literarum & communionis eſſet particeps. Surgent ergo in iudicio hi ethnici, & condemnabunt prauam Politicorum noſtratium generationem, qui beati Petri ſucceſſoris diplomata manu carnificum comburenda, & omnem obedientiam ei detrahendam palam cenſuerunt: tametſi Christiani & Catholici (ſi inferis placet) haberi velint, &c. *In Francia 1591.*

AT QVE hæc de literis Aſſueri, toteque decimoſexto huius libri capite: nunc ad finem capitis octaui, vnde digreſſi ſumus, redeundum.

EX CAPITE OCTAVO.

15. *Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regijs, hyacinthinis videlicet & aërinis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo. Omniſq; ciuitas exultauit atque lætata eſt.*

16. *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.*

IAM deſcribitur Mardochæi prius abiecti maieſtas, ſimulque immenſum Iudæorum gaudium: quibus ſingularis in populum Iſraelis prouidentia Dei, ac æquiſſimorum iudiciorum eius effectus mirabiles prædicantur. Hebręi porrò ver. 15. legunt: *Egreſſus eſt in veſte regni, hyacinthi, & candoris, & diademate auri magno, & amictu byſſi & purpuræ, &c.* Siquidem à colore candido nobiles olim dicti ſunt HORIM, quaſi candidati. Eiuſdem aũt coloris veſtes induebant quondam diebus feſtis ac lętis.
Eccleſ. 9. Ex quo illud dictum putant à Salomone: *Omni tempore*
Danie 7. *ſint veſtimenta tua candida*, id eſt, eſto omni tempore læ-
Apocal. 1. 19. tus, eo quod veſtimentis candidis notetur lętitia. Ete-
20. nim in ſacris perſępe legitur, Deum, angeloſque bea-
Zach. 1. & 6. tos felicia nuntiantes in albis apparuiſſe. Hyacin-
Ioan 20. thum autem, à quo color hyacinthinus, dicunt eſſe
Marc. 16. genus violæ vernæ, coloris obſcuræ purpuræ, quam à
Actor. 1. Romanis vacinium appellari author eſt Dioſcorides.
Apocal. 4. 6. Hinc Perſius: Hic aliquis, cui circũ humeros hyacin-
7. & 19. thina læna (id eſt veſtis militaris) eſt. Gallicè, *De couleur de pourpre.* Haman non legitur coronam geſtaſſe, quod hîc tamen & ſupra, de Mardochęo refertur. Fortè eam Mardochæo Rex imponi voluit, quòd vitam

illi

illi ab inſidijs eunuchorum ſeruaſſet: oſtenderetque vniuerſis quantum illum prę cunctis alijs Satrapis faceret. Byſſus tenuiſſimi lini genus eſt, ex quo ſubtiliſſimæ fiunt veſtes, quę mulieribus olim fuerunt in delitijs. Plinius author eſt byſſum olim æquali cum auro pondere commutatum. Purpura piſcis eſt ex conte charum genere, in faucibus habens liquorem tingendis lanis maximè expetitum: hincque veſtes purpureę, quibus olim Imperatores, Reges, & Magiſtratus Romani vtebantur. In aulęis, tentorijs, cortinis, & ſacris veſtibus tabernaculi Moſaici, frequens fuit vſus byſſi & purpuræ, &c. *Plin. lib. 19. ca. 1. & 13.*

Ex his autem primùm apparet, pijs Regibus ac principibus licere vti externo veſtium ſplendore ac magnificentia; tum ad ſtatus ſui gradum honoremque coram ſubditis conſeruandum; tum ad poteſtatis à Deo in alios acceptæ ſymbolum. Modò autem abſit omnis faſtus, vana gloria, arrogantia, contemptus inferiorum: ſed externas iſtas glorias conuertant ad cultum Dei, patrocinium Eccleſiæ eius, oppreſſorum ſubleuationem, & afflictorum conſolationem, inde non ſunt coarguendi; ſed potius ſuſpiciendi & probandi. Habent enim in verbo Dei exempla Ioſephi, *Geneſ. 41.* Dauidis, Salomonis, Danielis & ſociorum eius, qui *2. Reg.* piè huiuſmodi ſplendore ſunt vſi; nec more deprauatorum, mentem cum cultu mutauerunt, ſed eundem *3. Reg.* *Dan. 3. 5. 6.* modeſtiæ & pietatis ſpiritum ſeruauerunt, ab omni arrogantia & oſtentatione alieni. Eſto enim omnes ab Adamo ortum ducamus, tamen alios alij proſapia, virtutum laude, dignitate, & loco præſtare, nemo prudens inficiabitur. Paulus quoque ſcribit: *Cui honorem, honorem.* Et Petrus: *Regem honorificate.* Ergo cùm *Rom. 13.* *1. Pet. 4.* Mardochæus iſta virtutum ſuarum præmia & ornamenta meruiſſet, iiſdemq; vteretur ad afflicti tum populi diuini conſolationem, protectionem, & congratulationem, nemo pius ea damnare poterit.

Appoſitè itaque ſubijcitur populi Iudaici communis lętitia & exultatio de ſalute & liberatione ſua: quando non tantùm Suſis, ſed per omnes prouincias & ciuitates quocunque perlatum erat nouiſſimum

Regis edictum, lętitia geſtierunt,& conuiuijs dies læ-tos omnes Iudæi egerunt. Enimuerò ex iſtis manda-tis intelligebant, Regem impensè ſibi fauere, hoſtem Eccleſię digna morte ſuſtuliſſe, Mardochęum princi-pem exulum primum à Rege locum obtinuiſſe, ho-ſtes vlciſcendi poteſtatem ſibi fieri,&c. *Iudæis* (inquit) *noua lux oriri viſa eſt*, tanquam de denſiſſimis tenebris ad lucem,& de morte ad vitam redijſſent exultabant. Sæpe enim tenebræ pro ſumma triſtitia & afflictione ponuntur; lucis autem metaphora lætitiam ac ſalu-

Pſalm. 96. tem denotat, vt in illo, *Lux orta eſt iuſto*. Et in Iob: *Dedit*

Iob. 3. *afflicto lucem*, id eſt conſolationem & gaudium. Item:

Iob. 17. *Poſt tenebras, ſpero* lucem, id eſt, poſt calamitates quie-tem & lætitiam. Ergo Deus poteſt mœrorem cum lę-titia, noctem cum clariſſima die, mortem denique cum vita beatiſſima commutare. Paulò enim ante Mardochæus & Iudæi omnes in præſentiſſimo peri-culo verſabantur, in ſacco, cinere, ieiunio triſtes de-gebant, nunc gaudent & triumphant. Ecquid igitur in rebus afflictis deſperamus? Quin potius cum Apo-

Rom. 5. ſtolo noſtro, *gaudeamus in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, pro-*

Iacob. 1. *batio verò ſpem, ſpes autem non confundit? Beatus vir, qui ſuffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Noe, Abraham, Iacob, Ioſeph, Dauid, omnis Sanctorum chorus, vt aurum ex fornace, ſic ex afflictionibus clariores euaſerunt. Chriſtus caput Eccleſiæ quo maiore cum dolore ac ignominia crucifixus & mortuus eſt, eo maiore glo-ria & triumpho nunc viuit, reg-nat & imperat.

17. *Apud omnes populos, vrbes, atque prouincias, quocunque Regis præcepta veniebant, mira exultatio, epulæ atque conuiuia, & feſtus dies: in tantum vt plures alterius gentis & ſectæ, eorum religioni & ceremonijs iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.*

ATTENTE conſidera diuinam in electos prouidentiam. Non ſolùm enim Iudæi ex ſumma internecione liberantur; verùm etiam magno honore afficiũtur à gentibus. Non ſolùm hac crudeliſſima perſecutione non imminuũtur; ſed proſelytorum acceſſione multiplicantur. Nam multi hac occaſione veram cognitionem Dei amplexantur: & abiecta idolorum vanitate, fiunt veræ religionis ſectatores. Memoria certè æterna dignum exemplum, quo cernimus, qualis ſit finis ſummorum periculorum Eccleſiæ Synagogam manebat extremus interitus in regno Perſarum. Multi Iudæos ſannis, probris, ac maledictis inceſſerant dicentes, Vbi eſt DEVS eorum? Si liberauit ex Aegypto, cur etiam nunc non liberat? Si potens & bonus eſt, cur ſuos iam turpiter deſerit? Sed quo grauius eſt periculum, illuſtrior fit liberatio, amplior gloria Dei & populi eius. Quanta fuit tyrannis Aegyptiorum, qua oppreſſi fuerunt Hebræi? Et tamen quo crudelior erat, eo propinquior & glorioſior fuit liberatio. Vetus & verum dictum eſt: Tunc venit Moyſes, cùm duplicantur lateres: hoc eſt, tunc proxima eſt ſalus, cùm maxima eſt afflictio. Capta arca Domini à Philiſteis, videbatur religio Iſraelitarũ interijſſe: ſed hac occaſione multo magis illuſtrata fuit. Deuaſtatis Ieroſolymis à Nabuchodonoſore, Synagoga videbatur perijſſe: ſed eo magis dilatata fuit in Aſſyria, Chaldæa, Media, Perſide, totoque Oriente, vt ex hac, & Danielis hiſtoria manifeſtũ eſt. De Eccleſia Chriſtiana dicitur:

Exod. 3.

1 Reg. 4. 5. & 6.

Inijcient

Matth.10. *Inijcient vobis manus ſuas, & perſequentur. Trademini etiam à parentibus, fratribus, cognatis & amicis.* Marc.13. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.* Ioan.16. *Eritis ſicut oues in medio luporum, &c.* Sed continuò ſubijcitur: *His fieri incipientibus, leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Lucæ 21. His autem exemplis teſtatur Deus admirabilem poteſtatem, prouidentiam, induſtriam, & clementiam ſuam, qua vult ſuos mirabiliter ſeruare: ne vnquam deficiamus animis, in temporibus quantumcunque aduerſis & calamitoſis.

Quod autem de ſalute vniuerſæ Eccleſiæ dicitur, idem quoque pertinet ad quemque priuatum, qui eſt ouis ac membrum Eccleſiæ ouilis Chriſti. Non enim tantùm pro Apoſtolis orauit CHRISTVS, ſed & pro his omnibus qui per doctrinam illorum in ſe credituri erant, vt & ipſos ſeruaret Pater cæleſtis. Ioan.17. Rurſumque ait: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & animam meam pono pro ouibus meis.* Ioan.10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Quare, eſto viuum membrum corporis CHRISTI, eſto in ouili & grege eius & numero & merito, is nunquam te deſeret: ſed & hîc ſua miſericordia te conſequetur omnibus diebus vitæ tuæ, tandemque in cælis ſecum ſuſcipiet ac coronabit. Quantumcunque magnæ ſint Eccleſiæ calamitates, caue ne eam deſeras, ſed multo magis fide, ſpe charitate, patientia, confirma animam tuam: breui aderit ſponſus & ſaluator corporis eius, &c. Epheſ.5.

In his etiam conſpice, quàm ſit varium & mutabile vulgus. Qui non ita pridem armis accincti erant ad delendos Iudæos, quòd his & Haman & Aſſuerus aduerſarentur: nunc quoniam illos fauore ſuo complectitur Rex, eoſdem ſuſpiciunt, honorant, venerantur: quinetiam eorum ſacros cœtus frequentant, & religioni adiunguntur. In imperita multitudine eſt varietas & inconſtantia, & crebra

crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio. Poëtæ multis in hanc vulgi luſerunt inconſtantiam.

Vtque comes radios per Solis euntibus vmbra eſt, Ouid. lib. 1. de Triſt.
Cùm latet hic preſſus nubibus, illa fugit:
Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus,
Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.

Et Seneca in ſua Octauia:

O funeſtus multis, populi
Diruſque fauor, qui cùm flatu
Vela ſecunda rateis impleuit,
Vexitque procul, languidus idem
Deſerit alto, ſæuoque mari, &c.

LIBRI

LIBRI ESTHERIS CAPVT NONVM.

1. *Igitur duodecimi menſis, quem Adar vocari ante iam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini, verſa vice Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, & ſe de aduerſarijs vindicare.*

2. *Congregatiq́ ſunt per ſingulas ciuitates, & oppida, & loca, vt extenderent manum contra inimicos, & perſecutores ſuos Nullusq́ auſus eſt reſiſtere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrârat.*

3. *Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores, omnisq́ dignitas, quæ ſingulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi: quem principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerant.*

4. *Fama quoque nominis eius creſcebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.*

PROMVLGATIS & cognitis vbique locorum imperij Perſici legibus in fauorem Iudæorum, ſequitur earum executio. Ac primò quidem, deiectos prioribus edictis animos Iudæi in magnam fiduciam & ſpem attollunt, & coniunctis animis viribusq; ad vltionem de hoſtibus ſumendam ſe præparant. Secundò, eam mirabili ardore, condicta die exercent cùm in generali, tum in ſpeciali in familiam Hamanis, ac in vrbe Suſorum. Tertiò, ne ingrati eſſent Deo, feſtum quotannis celebrandum eſſe decernunt in memoriam mirabilis

bilis ac planè diuinæ liberationis ſuæ. Poſtremò, tam Mardochæi quàm Estheris ad vniuerſos Iudæos datis literis, confirmatur hæc religioſa feſti Sortium obſeruatio.

In primis autem hîc notanda proponitur ſortium ac ſortilegiorum, diuinationumque omnium ſumma vanitas atque fallacia. Haman etenim menſe primo, qui eſt Niſan, curauerat ſortem coram ſe iaciendam: & ductis ordine menſibus ac diebus, menſis duodecimus qui dicitur Adar, ſorte acciderat: quem ſibi fauſtum felicemque ad conficiendum quod animo deſignauerat, omnino confidebat. Sed attende mirabilem rerum conuerſionem. Decimo tertio eiuſdem menſis Adar, perlatis Aſſueri pro Iudæorum ſalute legibus, quo die ſperauerant Hamaniſtæ Iudæos opprimere, contrà à Iudæis ipſis opprimuntur. Caueamus ergo ab omni ſuperſtitioſa dierum ac temporum obſeruatione, quaſi alia aliis eſſent ad conficienda negotia fauſtiora vel infauſtiora. Diuina ſiquidem prouidentia tempora in annos, menſes, dies, & noctes ſecreta ſunt; quando *eius ordinatione perſeuerat dies, miſit tenebras, & facta eſt nox, vocauit lucem diem & tenebras noctem, æſtatem & ver plaſmauit.* Fecit duo luminaria magna in firmamento cæli, vt diuiderent diem ac noctem, eſſentque in ſigna & tempora & dies & annos. Et ad alterum generis humani parentem dicitur: *Cunctis diebus terræ, ſementis & meßis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies, non requieſcent.* Quattuor igitur annorum tempora ſuas acceperunt à Deo mutationes, quas obſeruare agricolis vtile erit, vt ſuo tempore operibus ſuis vacent: nunc terram colant, deinde ſerant, conſarriant, auerruncent quæ noxia ſunt, metant, triturent, recondant in horrea: ſic omni tempore erit, quo ſeſe in operibus exerceāt, expectentque diuinam pro laboribus benedictionem. Nihil tribuant cæcæ cuidam fortunæ, nihil ſortibus; nihil quoque cælorum motibus, aut influentiis aſtrorum; niſi quatenus cauſæ ſecundæ, Deo (qui omnium rerum ac euentuum prima cauſa eſt) ſubſeruiunt.

Pſalm 118.
Pſalm. 103.
Geneſ 1.
Geneſ. 8.

Intuere

Intuere poſtea, diuino plerumque iudicio fieri, vt fraudes & violentiæ in authores ſuos reuoluantur; eoſque vita & opibus frequenter exui, qui alios eiſdem ſpoliare feſtinant. Exemplum habes ſupra in Hamane, qui eidem cruci affixus eſt, quam Mardochæo parauerat. Sic Aegyptij eodem mari obruti ſunt, ad quod coegerant Hebræos obruendos. Et Saul, qui toties obiecerat Dauidem Philiſtinis trucidandum, à Philiſtinis oppreſſus eſt. Caueamus ergo ab omni fraude & violentia: ac fortiter impiorum feramus inſectationes; conſtantiſſimè nobis perſuadentes, circumretire fraudem atque iniuriam vnumquemque, atque vnde exorta eſt, ad eum plerumque reuerti.

Exod. 14. 15.
1. Reg. 28.

Vide etiam quàm verè ſanctéque prædicet Eccleſiaſtes, *Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſuperuenerit.* Cùm enim ſperarent Hamaniſtæ Iudæos omnes trucidare, tum ab illis perimuntur. Sic ſecuris maximè, imminent pœnæ atq; calamitates grauiſſimæ: & dum voluptatibus immerſi, genio indulgemus, noſtræque potentiæ confiſi Epinicium ante victoriam cantamus; frequenter ex inſperato ab aduerſarijs fuſi excindimur. Gallos deuictis ad Alliam fluuium Romanis, inſolenter, & ſine excubijs incautè agentes, Camillus nullo negotio cecidit. Eoſdem rurſum Brenno duce, cùm Getarum Triballorumque copias fudiſſent, victoria inſolenter exultantes, & ſine vllo militari ordine ad diripiendas victorum naues procedentes, ibi incredibili cæde eos trucidârunt nautæ. Adeo nimia ſecuritas ingentium detrimentorum mater & nutrix eſt. Cùm extremis temporibus impij dixerint, pacem & ſecuritatem; tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. Et Iob de reprobis ait, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Eccle. 9.
Plutarch. in Cam.
Liuius, deca. 1. lib. 9.
1. Theſſ. 5.
Iob. 21.

Sed mirum eſt, quod in tanto imperio, in tanto gẽtilium & Hamaniſtarum numero, *nullus auſus eſt eis reſiſtere.* Verum, Deo pro eis pugnãti ac dimicãti, quis obſtitiſſet? Abrahæ ſemini promiſerat, *Benedicam benedi-*

Geneſ. 12.

nedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Et rurſum: *Gentem cui ſeruituri ſunt tui, ego iudicabo* Iterumq́; *Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam.* Et in Deuteronomio ait: *Hodie incipiam tantum terrorem incutere omnibus gentibus, vt ad tui nominis auditum perhorreſcant.* Et iterum: *Diſperdet Dominus omnes Gentes iſtas ante faciem veſtram, & poßidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis ſunt. Nullus ſtabit contra vos; terrorem veſtrum & formidinem dabit Dominus Deus veſter ſuper omnem terram, quam calcaturi eſtis.* Et per Ieremiam dicitur: *Poßidebit Iſrael poſſeſſores ſuos, ait Dominus. Quis erit ſimilis mei? Et quis ſuſtinebit me? Et quis eſt paſtor qui reſiſtat vultui meo?* His ergo & ſimilibus promiſſis ſuis Deus & olim fidem fecerat, quando Ioſue Chananæos, Ionathan Philiſtæos, Dauid Syros incruentis propemodum prælijs confecerant: & nunc quoque idem rurſum magnificè præſtat, cùm incuſſo ſui, & totius gentis Iſraeliticę terrore, omnem his ethnicis animum fiduciamq́; ſeſe defendendi mirabiliter adimit. Gentilium ſcriptores finxerunt quendam Pana deum, qui mentes attonitas hominibus aliquando redderet: at ſcriptura ſacra docet Deum omnipotentem erigere meticuloſos, & animoſis terrorē ſuum immittere: aliquando intus eos perturbans, aliquando (vt de Ben-adad legitur) externum terrorem immittens.

Geneſ.16. Exod.23. Deut.22. Deut.11. Ierem.49. 4.Reg.7.

Ex quibus rurſum perſpicis, veriſſimum eſſe prouerbium iſtud Chriſtianum, Homines quidem ciere ac cogere bella, Deum autem impertire victorias. Quod & his ſcripturarum oraculis planè confirmatur. *Facilè eſt concludi multos in manu paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis & in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt.* An non Samſon ſolus exercitum Philiſtinorum profligauit? Et Gedeon cum trecentis, Machabæus cum octingentis, hoſtium numeroſos exercitus contriuerunt?

1.Mach.3. Iudic.15. Iudic.6.

Ac vt de gentilium hiſtorijs aliquid ſubijciamus,

Iuſtin.l.24. Nouē millia Spartanorum,agros Aetolorū vaſtantia, *Xenoph.* quingentis Aetolis paſtoribus, tumultuariè tantùm *Herodot.* coactis,trucidata ſunt. Xerxis ſtupendum exercitum, *Bapt.Egn.* quàm pauci Græci fuderunt? Balduinus Godefredi *lib.3.* Bulonij frater, & in regno Ieroſolymorum ſucceſſor,cum ducentis ſexaginta equitibus, peditibus autem nongentis, Calyphæ exercitum,in quo equitum nouem millia, peditum viginti millia erant, tam egregiè vicit, vt in vno conflictu equitum quinque *Cæſarius Ciſtertienſ.* millia præter pedites trucidauerit. Simon comes à monte forti, decem tantùm peregrinorum Catholicorum millibus ſtipatus, centum millia hæreticorum Albigenſium vno prælio fregit,fugauit,cecidit. Amat enim Deus(vt Agathias inquit)in extrema anguſtia conſtitutos, modò non ſint improbi. Neque illi ſemper bello victores euadunt, qui numero & viribus ſuperiores ſunt: ſed potentes ab infirmis debellari, & magnas copias à parua manu deleri ſæpe contingit.

Docet etiam hic locus,etiam victos ac proſtratos homunciones à tyrannis ipſis metuendos eſſe: quandoquidem Deus poſſit illos erigere,inſuper armis in-*Exod.14.* ſtruere in horum exitium. Pharao vndis perijt, E-*Iudic.3.et 4.* glon gladio ſerui ſui,Siſara clauo tabernaculi,Holo-*Iudith.13.* fernes proprio mucrone, & imbellis fœminæ manu. Inde natum prouerbium: Muſca etiam ſplenem habet, & formica bilem. Fingunt Aeſopus & Ariſtophanes,Scarabeum viliſſimum inſecti genus, vt illatam ſibi ab aquila iniuriam vindicaret, clam ſe in plumis eius abdidiſſe, vt eo modo ad nidum illius perueniret; eaque poſtmodum abſente, oua eius omnia confodiſſe. Quo apologo admonent, hoſtem quamuis infimæ fortunæ,non eſſe contemnendum: nec quemquam vel omnium minimum & con-*In Mimis.* temptiſſimum eſſe prouocandum. Siquidem Publius ait:Inimicum quamuis humilem, docti eſt metuere.

Denique conſidera, Deum ſic hominum corda regere ac flectere, vt qui Mardochæum totumque populum Iudaicum non ita pridem exoſos haberent,

mox eoſdem ament,colant, & magnopere vereãtur. Quin & principes,ſatrapæ,prætores,eoſdem iuuant, & armis communiunt,quibus ſe defendant ac tueantur. Attendebant Mardochæum maximum eſſe in aula, primum à Rege locum tenere, & omnia poſſe. Vbiuis terrarum ferebatur, quæ inter Regem & eum interceſſerant, quomodo proditionem in Regem ab Hamaniſtis factam detexiſſet,patruelis eſſet Reginę, idemq́ue ad ſummam dignitatem euectus,in dies fieri maior & potentior. Idcirco Perſæ ac Medi omnes illius gratiam certatim aucupabantur, & Iudæos beneficijs ſibi deuincire ſtudebant. Poteſt itaque Deus auferre cor lapideum ac ferreum, & carneum dare quod tractabile ſit. Potuit flectere animum Salmanaſaris vt amaret Tobiam; Nabuchodonoſoris vt de ſeruando Ieremia ſollicitus eſſet, & cæter. Subijcitur. *Ezech.11.*

5. *Itaque percuſſerunt Iudæi inimicos ſuos plaga magna,& occiderunt eos,reddentes eis quod ſibi parauerant facere:*
6. *Intantum vt etiam in Suſan quingentos viros interficerent, extra decem filios Haman Agagitæ hoſtis Iudæorum:*
7. *Quorum iſta ſunt nomina, Pharſandatha, & Delphon, & Eſphatha,*
8. *Et Phoratha,& Adalia,& Aridatha,*
9. *Et Phermeſta, & Ariſai, & Aridai, & Iezatha.*
10. *Quos cùm occidiſſent, prædas de ſubſtantijs eorum agere noluerunt.*

NVTV quidem diuino, ſed Mardochæi miniſterio ac authoritate erecti confirmatiq́ue Iudæi, Hamaniſtis cæteriſq́ue hoſtibus ſuis reddunt malum,id eſt,ſupplicia,quod eis parauerant. Ac primò quidem in ipſa metropoli Suſorum, quingentos ex domeſticis & clientibus Hamanis, vt

eſt vero ſimillimum, interfecerunt. Deinde decem Hamanis filios, quorum nomina ſigillatim recenſentur: qui veſtigijs parentis inhærentes, cum eo in cædem Iudæorum conſpirauerant, quoque perimunt. Hos conſentaneum eſt non fuiſſe infantes, ſed ad iuſtam ætatem perueniſſe: ac nihil magis in optatis habuiſſe, quam vniuerſum genus Hebræorum excindi. Adeò verum eſt vetus prouerbium: Mali corui malum ouum. Adijcitur denique, *Iudæos de ſubſtantijs interfectorum prædas agere noluiſſe*, tum ne damnum adferrent fiſco regio, tum vt oſtenderent ſe non lucri gratia hanc cædem patrare: ſed tantùm defendendi ſui, & quod neceſſitas ita poſtularet, cùm edictum Regis aliter reuocari aut antiquari non poſſet.

Hîc autem in primis quæritur, an piè iuſteque fecerint Iudæi, tantam vltionem de hoſtibus ſumendo,
Deut.32. cùm ſcriptum ſit: *Mea eſt vltio, & ego retribuam, dicit*
Rom.12. *Dominus*? Reſpondetur, verbum Dei non ſignificare, nullam prorſus iniuriam eſſe vindicandam: ſed quod non debeat vindicari priuata temeritate, ac illegitimè. Hæc porrò eſt legitima, quoniam non quoſuis Perſas trucidant, ſed eos tantùm, qui nixi priori edicto regio, iam manifeſtas iniurias etiam ante dictam diem ſibi intulerant, quoſdam neci tradendo, alios facultatibus ſuis ſpoliando. Inſuper, non trucidant eos priuata authoritate, ſed Dei in primis, qui promiſerat eis victoriam de hoſtibus ſuis, vti paulò ſuperius ex ſcripturis oſtendimus. Deinde, authoritate Regis Perſarum, dantis illis edicto publico gladium in manus, vt vlciſcerentur hoſtes ſuos. Quare hæc eſt diuina vltio, quam Deus retribuit impijs, mi-
Deut.32. niſterio Iudæorum. Dixerat enim per Moyſen: *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes & cæt.* Quicunque autem inter Perſas hoſtis fuit ſeminis Abrahæ, fuit
Exod.23. & hoſtis DEI; qui eidem promiſerat, *Inimicus*

ero

ero inimicis tuis, & affligentes te affligam: quapropter hæc vltio non fuit tam Iudæorum, quàm ipſius Dei, legibus Aſſueri, & manibus vtentis Iudæorum.

Iſtud porrò exemplum nobis propoſitum eſt, non vt priuato arbitrio iniurias nobis illatas vlciſcamur, *Benefacite*, ait Dominus, *ijs qui oderunt vos*, &c. ſed vt agnoſcamus quàm terribilis & horribilis ſit ira Dei aduerſus impios omnes, præſertim Eccleſiæ ſuæ perſecutores: & vt in perſecutione conſtituti, vocationi diuinę conſtanter obediamus, certi quod ſuo tempore Deus familiæ ſuæ aderit, & in hoſtes eius, velut proprios, ſæuerè animaduertet. Nam Cainum poſt innocentis fratris cædem, ſententia iudicij ſui adeo perterruit, vt quò tenderet neſcius deſperauerit. Impiam Cainitarum & Gygantum familiam horrendo cataclyſmo demerſit. AEgyptios plurimis & grauiſſimis plagis afflixit, quod populum ſuum duriter afflixiſſent. Dathan, Core, Abiron, cum ducentis quinquaginta alijs ſchiſmaticis ac perduellibus viris horrendo terræ rictu viuentes abſorbuit, propterea quod Moſi & Aaroni ſummis Eccleſiæ viris ſubeſſe noluiſſent. Duos quinquagenarios Heliam irridentes flammis cæleſtibus abſumpſit. *Horrendum eſt itaque incidere in manus & iudicium Dei viuentis, &c.*

Matth.5. *Gen. 4.* *Gen.7.* *Exod.4.5.6.7.&c.* *Num.16.* *4.Reg.1.* *Hebr.10.*

Quærat rurſum aliquis, An iuſtè filij quoque Haman fuerint interfecti, dicente Domino, *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus: ſed vnuſquiſq; pro peccato ſuo morietur*? Et iterum: *Non portabit filius iniquitatem patris?* Laudatur quoque in ſacris Amaſias, quod patris ſui interfectores quidem peremerit, verùm filijs eorum inſontibus pepercerit. Reſpondeo, filios Hamanis, etiam cum patre, matre, conſiliarijſque in necem Iudæorum conſenſiſſe, vt ſupra dictum eſt: & ideo vnà cum eis iuſto Dei iudicio perijſſe. Quid, quod ſuperſtites relicti, niſi morte patris vindicata, nunquam conquieuiſſent? Philippus Macedo dicebat, illum ſtultum eſſe, qui patre cæſo, liberis parceret. Illos enim paternæ necis vltores aliquando futuros. Accedit, quod iudicante Deo, illi

Deut.24. *Ezech.18.* *2.Paral 23.*

profectò nocentes, ac mortis filij inuenti ſunt, & idcirco cum parentibus iuſtas pœnas luerunt: ſicut & in diluuio, & in Sodomis, & in Aegypto ſimul perierunt parentes & liberi. Hæc porrò ſcribi voluit Spiritus Sanctus, in admonitionem parentum; vt excitentur ad ſectandam pietatem, ne ſecum etiam liberos trahant in exitium, id quod contigit Heli, Sauli, Ieroboamo, Achabo, Antiocho, & plurimis a-
Exod.20. lijs. Iuſta enim ſeueritate Deus omnipotens vindicat iniquitatem patrum in filios, vſque in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt leges ſuas. Addit Auguſtinus, Deum punire poſſe filios pro parentibus: quia & ſi eos affligat in hoc ſeculo, poteſt eoſdem in altero ſeruare (ſi inſontes ſint); & pro hac ærumnoſa vita, meliorem illis reddere.

Verſ.10.15. Ad hæc, primò, ſecundò, & tertiò repetitur hoc
16. capite, Iudæos nihil de ſpolijs occiſorum in rem ſuam conuertiſſe, ſed ne quidem ea tetigiſſe, tametſi per regium edictum illis omnino liceret: quod non fruſtra à Spiritu Sancto commemoratum eſt. Primò etenim oſtenderunt ſe dumtaxat diuinæ religionis, vitæque ſeruandæ zelo ductos fuiſſe, non rapina vel auaritia: proindeque cæleſtis ſententiæ executores, non prædones aut latrones. Secundò, maluerunt cæſorum facultates ad fiſcum regium, quàm proprium commodum referri, vt vel ſic Regi de ſua erga illos humanitate gratificarentur, triſtitiamque lenirent de cæſis tot ſubditis. Tertiò veriſimile eſt eos monitos fuiſſe à Mardochæo ac Eſthere, quomodo Saul olim reprehenſus fuiſſet, quòd prædas feciſ-
1.Reg.15. ſet ex Amalec: dicente Samuele, *Melior eſt obedientia, quàm victimæ; & auſcultare, magis quàm offerre adipem a-*
Ioſue 7. *rietum*. Item quod contigiſſet Achan, ob pallium raptum de anathemate Iericho: Deprehenſus enim lapidibus obrutus eſt cum vxore ac liberis; facultates verò igne conſumptæ. Rectè ergo Dauid ait in Pſal-
Pſal.61. mis: *Rapinas nolite concupiſcere: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*. Quantum verò nunc diſtent militum, ducum, ac principum, qui bellum adminiſtrant, mores ab

res ab hac veteri Iudæorum temperantia, non eſt facilè dicere. *Principes* enim, vt verè ait Iſaias, *infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera*. Et cùm illis præceptum ſit à Domino: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Rurſumque: *Eſtote contenti ſtipendijs veſtris, neminem concutiatis, &cæt.* ipſi econtrario velut alij Sabbæi aut Chaldæi, in fortunas omnium graſſantur, oues, boues, aſinas rapiunt, diripiunt, mactant, occidunt tam impunè ac ſi nullus eſſet Deus in cælo, aut Magiſtratus in terra, qui tot rapinarum aut cædium rationem eſſet aliquando requiſiturus.

Iſa. 1. *Pſal. 81.* *Luc. 3.* *Iob. 1.*

11. *Statimq́ numerus eorum, qui occiſi erant in Suſan, ad Regem relatus eſt.*

12. *Qui dixit Reginæ. In vrbe Suſan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Haman: quantam putas eos exercere cædem in vniuerſis prouincijs? Quid vltra poſtulas, & quid vis vt fieri iubeam?*

13. *Cui illa reſpondit. Si Regi placet, detur poteſtas Iudæis, vt ſicut fecerunt hodie in Suſan, ſic & cras faciant, & decem filij Haman in patibulis ſuſpendantur.*

14. *Præcepitq́ Rex vt ita fieret. Statimque in Suſan pependit edictum, & decem filij Haman ſuſpenſi ſunt.*

15. *Congregatis Iudæis quartadecima die menſis Adar, interfecti ſunt in Suſan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta ſubſtantia eſt.*

VT paſtor ouium ſuarum curam diligentem habere debet, ita & Rex ſubditorum ſuorum. Refert enim Xenophon, Cyrum dicere ſolitum, ſimilia eſſe boni paſtoris & boni Regis opera. *Xenoph. l. 8. de inſti. Cyri*

Aſſuerus ergo diligenter inquirens numerum cæſorum ciuium ſuorum, ad eum relatus eſt. Quo autem animo id tulerit,& ſi palam non aperiatur,tamen ex adiunctis colligitur eum æquanimiter minuſq; grauatè audiuiſſe. Nam filij Haman non ceſſaſſent patris ſui maleuolentiam ſectari in Iudæos, ac Regi etiam tendere inſidias. Quingenti alij occiſi Hamanis fuerant vel familiares,vel fauiores,qui & Regi ac Reginæ ſemper negotium feciſſent,ſicut & duo illi Eunuchi, quos diximus eiſdem inſidiatos eſſe: ne quis miretur tam facilè admiſſam ab Aſſuero tantam ſubditorum ſuorum lanienam. Sibi ergo & Reginę congratulans de patrato à Iudæis tam præclaro facinore,ait: Tantam ediderunt Iudæi hoſtium ſuorum ſtragem in hac regni mei metropoli, quantam putas eos exercere cædem in vniuerſis centum & viginti ſeptem prouincijs? Et tamen, quod vltra poſtulaueris, concedetur tibi. Age ergo,cùm Regem habeas non ſolum propitium,ſed & obſequentiſſimum, ne cunctêris id rurſum poſtulare, quod genti tuæ commodum videbitur. Cui illa. Si Regi placet, liceat etiam cras Suſenſibus Iudæis facere omne quod in ea ſupereſſe repererint hoſtium ſuorum, & decem Hamanis filios in crucem tollere. Dictum,conceſſum,illicò factum: adeo vt in ſolis Suſis, decem ſupra octingentos ſint occiſi. Hinc ergo diſcant omnes, quantum ſcelus ſit perſequi Eccleſiam, & perſequutoribus eius ſeſe coniungere. Oſtendit iſtud Dominus in exordio mundi: prædixit,& comminatus eſt per Prophetas: exemplis tandem adimpleuit, euertens funditus crudeles tyrannos cum tota eorum poſteritate, vt hîc pereunt Hamanis liberi,& vniuerſi aſſeclæ: & poſtea perierunt Herodes,Pilatus,Antiochus,Romani imperatores,cæterique familiæ Chriſti inſectatores: peribit denique & horum caput Antichriſtus.

Gen. 4. & 15. *Pſal.* 104. *Zach.* 2. *Exod.* 14. 2. *Mach.* 9. *Act.* 12.

Sed quæritur primò,an regina Eſther ſanctè pieq; fecerit,virum incitando ad permittendas tot hominum infidelium cædes: cùm è contrario exempla Ioſephi, Moſis, Dauidis, Chriſti, Stephani doceant *inimicos noſtros diligere, benefacere his qui oderunt nos, orare*

Matth. 5.

pro

pro perſequentibus & calumniantibus nos? Paulus quoque doceat: *Non vos defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ*. Salomon quoque in Prouerbijs: *Ne dicas, reddam malum pro malo: expecta Dominum, & liberabit te*? Accedit, piarum matronarum officium eſſe, cohibere virorum iracundiam, & ad omnem humanitatem moderationemque flectere. Sic enim prudens Abigail, Dauidem à cædibus reuocauit: Thecuitis Abſalomo infenſum reconciliauit: & vxor Pilati eum commonefecit, vt à Chriſti ſanguine penitus abſtineret. Rom. 12. Prou. 20.

Primò reſpondetur, ſuperioribus exemplis ac locis tantùm prohiberi priuatam, perſonalem, illegitimamque vindictam, videlicet, quæ propter iniuriam propriam, propriaque authoritate ſuſcipitur: & præ hac eam charitatem & patientiam commendari, quæ olim effulſit in martyribus, veluti Stephano, Potamiena, & multis alijs. Martyres namque priuatæ perſonæ fuerunt, ideoque maiorem laudem & coronã meruerunt moriendo, quàm reſiſtendo. *Aeſtimati ſumus*, inquiunt per Prophetam, *vt oues occiſionis*. Et de Chriſto capite martyrum dicitur: *Tanquam ouis ad occiſionem ducetur, &c.* Qui & diſcipulis dixit: *Mitto vos ſicut oues in medio luporum*. De martyribus quoque canit Eccleſia: Cæduntur gladijs more bidentium, non murmur reſonat, non querimonia, &c. Eſther autẽ ac Mardochæus nihil priuata poteſtate aut vltione fecerunt: ſed Deo in primis de impijs idololatris & perſecutoribus gregis ſui iudicante, & Aſſuero principe ac magiſtratu legitimo publicis legibus præcipiente, adeo vt hac in re fuerint tantùm Dei miniſtri: & publici magiſtratus decretorum, non priuatæ libidinis aut vltionis, executores. Quod ne quis pietati eorum indignum putet, animaduertat id munus etiam beatis angelis aliquando commiſſum fuiſſe, quando Cherubim cum gladio flammeo ac verſatili Adamum de terreſtri paradiſo expulerunt; alij globis ſulphureis Sodomæos perdiderunt, alij 70. millia Iſraelitarum, alij 185. millia in caſtris Aſſyriorum percuſſerunt. Hoſtibus quoque ſuis Dauid imprecatur vias tenebroſas & lubricas, inſuper & an- Pſal. 48. Rom. 8. Iſa. 53. Matth. 10. Gen. 3. Gen. 19. 2. Reg 24. 4. Reg. 19. Pſalm. 34.

gelum Domini impellentem & perſequentem illos.

Reſpondetur ſecundò, Haman & conſcios impietatis atque crudelitatis eius, non tam fuiſſe hoſtes Eſtheris aut Mardochæi, quàm totius Synagogæ ac ſeminis Abrahæ, atque etiam ipſius Dei omnipotentis, qui ex eo venturum Meſſiam repromiſerat. Manifeſtis porrò Dei & Eccleſiæ eius hoſtibus non debetur

Pſal.25. 118. 138. Pſalm. 68. tanta indulgentia, dicente Dauide: *Odiui Eccleſiam malignantium: Iniquos odio habui: Nonne qui oderunt te Domine, oderam? Deleantur de libro viuentium, &cæt.* Nec ſolùm aduerſus huiuſmodi hoſtes Dei iudicium auxiliumque implorare docemur, verùm & manus inferre, ſi quando vel Magiſtratum geſſerimus, vel à legitimo magiſtratu datum fuerit. Nam Moſes Aegyptium Hebręo viro iniurias inferentem peremit, Abra ham quinque Reges, & Ioſue triginta iuſto bello expugnauit, Samuel Agag concidit, Leuitæ cultores vituli aurei confoderunt, Helias miniſtros Baalis trucidauit; Matthathias, Iudas, Ionathas, Simon impios legis apoſtatas iuſto bello ſunt perſecuti, &c. Itaque bea ta Eſther neutiquam culpanda eſt, cùm diuino zelo populum Domini ſaluum eſſe ab hoſtibus annititur: hoſtes autem ipſos qui præcedenti die euaſerant, craſtina die ferro tollendos procurat. Diſcant ergo impij contra Deum non eſſe pugnandum.

Exod.3. Geneſ.14.

Vtinam verò nos tantam operam daremus in excindendis ſpiritalibus ac internis noſtris hoſtibus, id eſt, vitioſis affectibus, motibus, & paſſionibus, quantam illa in tollendis externis adhibuit. Hi enim ſunt Hamaniſtæ, Perſæque noſtri ſpiritales, qui nobis tot negotia faceſſunt, qui ſempiternum exitium animis ac corporibus noſtris adferre conātur; quos niſi ſubegerimus, neque cuiquam ſecum, neque cum alio vera pax conſtare poterit. *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram* (ait Apoſtolus) *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, &c.*

Coloſſ.3.

Secundo etiam loco quæri poteſt, An Eſther filios Hamanis iã ferro truncatos, in patibulis ſuſpendi rectè pieque poſtulauerit? Certè tam fœdum & horrendum ſpectaculum videtur eſſe vetitum in lege, qua

probi-

prohibetur corpus humanum manere in cruce poſt ſolis occaſum. Iudæi quantumuis in Chriſtum immanes, noluerunt corpus eius remanere in ligno: ſed rogauerunt Pilatum vt tolleretur. Deus ipſe excidiũ Moabitis comminatur, quod obliti legum naturæ, oſſa Regis Idumæorum, qui in pugna ceciderat, in calcẽ combuſſiſſent. Coarguũtur Philiſtęi quòd Saulis & filiorum eius corpora de mœnium ſuorum pinnis ludibrij cauſſa ſuſpenderint: contra verò Dauid benedixit viris Iabes, qui noctu ea ſuſtulerint, & honorificè ſepelierint. Ad hæc, Gentiles etiam docent, Mortuorum corpora non eſſe improbè & contumeliosè habenda. An non (inquit Plato) illiberalis, auari, & effœminati animi ſignum dixeris, cæſorum cadauera deſpoliare, & in demortui corpus tanquam in hoſtem deſæuire; hoſte, qui in corpore pugnarat, iam egreſſo? Mihi quidem facere videntur, vt ſolent canes, qui cùm ſunt percuſſi lapide, non tam petunt illum qui iecit, quàm eum ipſum lapidem, quo icti ſunt, mordent. Referunt quoque hiſtorici Alexandrum corpus Darij honorificè ſepelijſſe: & Cæſarem viſo Pompeij capite, illacrymaſſe, &c. *Deut. 21.* *Ioan. 19.* *Amos 2.* *1. Reg. 31.*

Reſponſio tamen in promptu eſt. Eſtherem nihil ex crudelitate, vel odij exſatiandi libidine feciſſe: ſed vt terrorem cæteris hoſtibus Iudæorum incuteret, nulluſque à cætero auderet in eos inuadere. Deus autem id permiſit, vt vel hinc conſtaret, eos qui contra eius Eccleſiam familiamque inſurrexerint, certo certius cum multiplici dedecore ac ignominia tandem aliquando perituros. Præterea, ſcelera illorum publica fuerant, & aduerſus rempublicam commiſſa: debuerunt ergo pœnis publicis coërceri, vt cæteri timorem haberent. Nec ſine exemplo iſtud eſt aggreſſa Regina; quandoquidem Moſes (iubente Domino) *duodecim principes tribuum Iſraelis ſuſpendit in patibulis contra ſolem*, propterea quod populũ cum filiabus Moab fornicari permiſerant. Ioſue capta vrbe Hai, Regem eius ſuſpendit in patibulo vſq; ad veſperam & ſolis occaſum. Idẽ rurſus quinque Reges Amorrhæorũ, pedibus calcatos, cæſoſque ſuſpendit ſuper quinque ſtipi- *Num. 25.* *Ioſ. 8.* *Ioſ. 10.*

ſtipites,fueruntque ſuſpenſi vſque ad veſperam. Sic
Iudith 14. & Holofernis caput longiori haſtæ præfixum,deque altiſſima turre appenſum oſtentauerunt Bethulienſes. Et Machabæi poſtea caput, brachiumque impij Nicanoris ſuſpenderunt ante templũ Domini, quod ſe prophanaturum iactauerat.Quicquid ſit,nihil habent impij ac crudeles tyranni, quando iudicante Deo,redditur illis ſecundum opera ſua: opera porrò eorum merentur non ſolùm temporale, ſed & ſempiternum opprobrium.

16. Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni Regis ſubiacebant,pro animabus ſuis ſteterunt Iudæi, interfectis hoſtibus ac perſecutoribus ſuis: in tantum vt ſeptuaginta quinque millia occiſorum implerentur,& nullus de ſubſtantijs eorum quicquam contingeret.

17. Dies autem tertius decimus menſis Adar vnus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere deſierunt. Quem conſtituerunt eſſe ſolennem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis,gaudio,atque conuiuijs.

18. At hi qui in vrbe Suſan cædem exercuerant tertiodecimo & quartodecimo die eiuſdem menſis in cæde verſati ſunt: quintodecimo autem die percutere deſierunt. Et idcirco eundem diem cõſtituerunt ſolennem epularum atque lætitiæ.

19. Hi verò Iudæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem menſis Adar conuiuiorum & gaudij decreuerunt, ita vt exultent in eo, & mittant ſibi mutuò partes epularum & ciborum.

HIs in genere deſcribitur quo pacto Iudæi hoſtes ſuos perdiderunt:deinde ſpeciatim exponuntur quæ Suſis, poſtea quæ in alijs oppidis ac regionibus contigerunt. Ac primò quidem dicitur,re-

tur, reliquos Iudæos Suſanorum exemplum ſequutos, coiuiſſe pro vitæ ſuæ defenſione, & quiete ab hoſtibus conſequenda, & aduerſariorum ſeptuaginta quinque millia peremiſſe. Quod minus mirabile videbitur, ſi Perſici imperij amplitudinem, & multiplices prouincias, regioneſque ſpectauerimus. Quoniam verò laniena iſta duobus diſtinctis diebus Suſis peracta fuit, Iudæi Suſani diſtincto quodam modo ab alijs diem lætitiæ, epularumque celebrauerunt.

Principiò autem quis non tantùm mirari, ſed & horrere quoq; poterit tantam hominum lanienam, ab his præſertim patratam eſſe, qui & humanitate exculti, & diuina religione(quæ tam diſtrictè homicidium prohibet) inſtructi eſſe dicebantur? Alij cauſabuntur, fieri non potuiſſe, quin in tanta hominum frequentia multi innocentes cum nocentibus cæſi fuerint. Verùm, ſepoſita omni humana ratiocinatione, recogitemus hoc fuiſſe diuinum in ethnicos homines iudicium. Deo autem iudicante, vel vnius tantùm originalis labis ratione, vniuerſos eſſe filios mortis ac gehennæ. Deinde, omnes iſti fuerunt veri Dei ignari, blaſphemi, idololatræ, ingrati, contemptores: qui familiam Dei exulem, afflictumque populum altiſſimi ſine vlla cauſſa; imò contra omnem rationem legemque de terra delere conati fuerant. Poſtremò, in hoc facinore perpetrando manus ſuas diabolo conſecrabant, qui hac vniuerſi Iſraelis cęde, nitebantur venturi Meſſię auos patreſq; ſic interimere, vt nunquã veniret ſemen mulieris promiſſum, nunquam humanũ genus redimeretur, nullũ foret Euangelium, nulla fides Catholica, nulla Eccleſia in mundo, nulla ſalus, &c. Quis autem huiuſmodi non iure cæſos exiſtimabit? Sic iudicauit Deus vniuerſum genus humanum corrupiſſe viam ſuam, & in omnes iuſtum induxit diluuium. Iudicauit de Sodomis, & nemini eorum pepercit. Iudicauit de primogenitis, militibus, nobilibus, Rege, Aegyptiorum, & iuſtiſſimæ neci hos tradidit. Iudicauit de calumniatoribus Danielis, & hos cum vxoribus & liberis iure perdidit.

Gen. 3.

Gen. 6. 7. 19.

Exo. 12. 13 14

Dan. 6. 14.

Pſalm 35. didit. Ergo *iudicia Dei abyſſus multa*: *Horrendumque*, vt
Heb. 10. Paulus obſeruat,*incidere in manus Dei viuentis.*Merito-
Pſal. 118. que ait Dauid: *A iudicijs tuis timui.*

Hoc quoque exemplo probatur, ſubditos non eſ-
ſe culpandos, qui gladio ſibi à magiſtratu legitimo
porrecto vſi, ſe, coniuges, liberos, libertatem, maxi-
mè autem diuinam religionem defendunt: illatam-
que vim vi repellunt ac propulſant. Nam magiſtra-
tus officium eſt gladio ſibi commiſſo per ſeipſum, vel
Rom. 13. per adminiſtros & ſatellites vti in vltionem malorũ,
laudem verò bonorum. Quod autem Anabaptiſtæ &
conſimiles autumant, ante Chriſti aduentum pug-
nandi locum fuiſſe, poſt Chriſtum natum omnem
bellandi rationem vſumq; damnatum: toto cælo ab-
errant. Quãdoquidem per Euangelij prædicationem
confirmata eſt Magiſtratus, Regumq; piorũ poteſtas;
non ſublata. Nec Ioannes militibus conciones ſuas
audientibus dixit, vt arma ponerent: ſed vt ſtipendijs
Luc. 3. *contenti, neminem concuterent.* Centurionis fidem Chri-
Matth. 8. & ſtus extulit, alterius pietatem Matthæus deſcripſit,
27. tertium Petrus baptizauit, quartus Paulum ne à mili-
Act. 10. 27. tibus necaretur ſeruauit: adeo à viris bellatoribus
Chriſtiana religio non abhorruit. Imperatores Con-
ſtantinus, Valentinianus, Theodoſius, Arcadius, Ho-
norius, Carolus, & alij bella geſſerunt, & externas in-
iurias à ſubditis pro viribus propulſarunt. Beatorum
martyrum, qui mortem à tyrannis oblatam volentes
ſubierunt, conditio priuata fuit, &c.

Ex his etiã diſcant principes, ſubditos ſibi populos
benignè ac clementer tractare, iuſtitiã tueri, Deumq;
in primis timere ac venerari; facilè namq; Deo eſt, po
pulum quantumuis attritum, ſpoliatum, ac oppreſ-
ſum, denuò in integrum reſtituere: gentemq; contẽ-
ptam & imbellem armare, & victricem reddere. Iudæi
exules, inermes, mox delendi, hoſtes ferociſſimos &
fortiſſimos ſuperant. Quid ita? Nempe Deus illis ani-
mum ſuggeſſit & vires. Philiſtæi, qui aliquoties felici
bus ſignis contra Hebræos pugnarunt, ab eis tandem
ſunt cæſi. Sic & Madianitæ, & Moabitæ, & Idumæi, &
Pſalm. 143. Syri. *Benedictus Deus*, ait fortiſſimus Regum, *qui docet*

manus

manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum &c.æt. Quot hiſtoriæ referunt, ſummos Reges cum fortiſſimis exercitibus, ab agricolis & paucis ruſticis profligatos & cæſos fuiſſe?

Hinc rurſum diſcant omnes, Peregrinos comiter & humaniter habendos eſſe. Deus enim profitetur ſe patronum & vindicem eorum futurum: nobiſq; multis in locis eos commendat. Ait enim: *Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Aegypti.* Et iterum: *Dominus facit iudicium pupillo, & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atq; veſtitum. Et vos amate peregrinos, quia et ipſi fuiſtis aduenæ in terra Aegypti.* Et cũ de morticinijs loquitur, ait: *Quicquid morticiniũ eſt, ne veſcamini ex eo: peregrino qui intra portas tuas eſt, da vt comedat.* B Iob profitetur his verbis domũ mẽ ſamq; ſuam patuiſſe peregrinis: *Foras nõ manſit peregrinus*: quòd exemplis auorum ſuorum Abrahæ & Lot didiciſſet Deum ipſum aſſumpta aliquando hominũ aut Angelorum ſpecie, hoſpitio exceptum fuiſſe. &c. *Exod. 22.* *Deut. 10.* *Deut. 14.* *Iob. 31.* *Hebr. 13.*

Quin & gentiles ſola duce natura, agnouerunt peregrinos curæ Deo eſſe, proindeq; non eſſe lædendos aut violandos. Phocylides namq; ait: Exulem in domũ recipe, & ducito cæcum. Et paulò poſt: Sint tibi pari honore digni ciuibus aduenę. Omnes enim experimur peregrinationem vagam, quoniam terra non habet conſtantem aliquem locum hominibus. Multæ quoq; extant præceptiones apud Heſiodum, Theognidem, & Homerum, maximè verò in Odyſſea, quę tota propè de exulibus, ſupplicibus, mendicis, atq; naufragis eſt conſcripta: quibus ſtatuunt, hos non eſſe lędendos, ſed amicè & humaniter habendos. Plato deniq;, quem Cicero non dubitauit Philoſophorum Deũ appellare, ſcripſit in legibus: Cũ ipſis peregrinis ſanctiſſimum nobis pactũ commerciumq; intercedere. Omnia namque vel ipſorum peregrinorum, vel ciuium peccata atque delicta aduerſus peregrinos admiſſa, in ipſum potiſſimum Deum, ceu vltorem ac vindicem redundant. &cæt. Quæ cùm ita ſint, omnem operam dabimus, ne peregrinos verbis aut factis lædamus, ſed potius opibus & cõſilio iuuemus: præſertim *Phoc. poem. admonit.* *Plat. 5. de Legibus.*

cùm

cùm omnes in hunc mundum hoſpites veniamus, & varijs excipiamur ærumnis, exules à cæleſti patria; ad quam velut ſedem certam & tranquillam pariter ex huius vitæ iactatione & miſerijs eluctati, peruenire cupimus.

Diſcendum poſtremò, Mardochæi, Eſtheris, & reliquorum Iudæorum exemplo, magnam diligentiã ſtrenuitatemq́ue requiri in exequendis operibus atque iudicijs Domini. Sunt enim omnes iſti peruigiles, ſeduli, indefeſſi in executione conſiliorum eius: nec quicquam intermittunt, quod ad propriam, totiuſq́ue Eccleſiæ Iſraeliticæ ſalutem, hoſtium eius in-
Ierem. 48. ternecionem pertinet. Clamat enim Propheta: *Male-*
1. *Reg.* 15. *dictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Saul pœnas dedit, quod Agag, & opimis Amalecitarum gregibus pepercíſſet. Et Achabo, qui Ben-adad ethnico & ho-
3. *Reg.* 20. ſti Eccleſiæ indulſerat dictũ eſt à Propheta: *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius: & populus tuus, pro populo eius.* Noluit filius Dei diſcipulos ad Euangelij prædicationem pergentes, longas moras trahere in ſalutandis ſibi occurren-
Luc. 10. tibus in via, aut etiam in parentibus ſepeliendis. *Va-*
Luc. 9. *de,* inquit, *& annuncia regnum Dei.* Vtinam ſedulitatem iſtam quilibet in vocatione ſua imitaretur, &c.

20. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus Regis prouincijs morabantur, tam in vicino poſitis quàm procul.*

21. *Vt quartam decimam & quintamdecimam diẽ menſis Adar profeſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſolenni celebrarent honore:*

22. *Quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de inimicis ſuis, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiumq; conuerſi ſunt, eſſentq; dies iſti epularum atq; lætitiæ, & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur.*

23. *Suſce-*

23. *Suſceperuntqúe Iudæi in ſolennem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandauerat.*

HAC capitis tertia parte recenſetur, quomodo authore Mardochæo, hæ res geſtæ ſcriptis ad omnes Iudęos ſint perlatę: inſuper, ne Deo pro tantis beneficijs ingrati eſſent, dies feſti quotannis cõſtituti: quibus deniq; ritibus in tota Hebręorum gente ſeruati fuerint. Magna ergo ſedulitate ac diligentia princeps exulum Mardochæus totam hanc hiſtoriam, cuius magna pars fuerat, literis comprehendit; & codicillos ad Iudæos propinquos ac remotos, qui erant in omnibus prouincijs regis Aſſueri tranſmittit, vt totius hiſtoriæ partes ſigillatim diſcerent, & binos illos dies Adar, quibus eſſent ab hoſtibus quietem conſecuti, quotannis feſtos & ſacros haberent.

Ex his autem colligebamus initio vnà cum Lyrano, Rikelio, & plurimis alijs, Mardochæum huius libri præcipuum ſcriptorẽ fuiſſe: quod nec Annianus Philo in fragmento ſuo de temporibus, negat; tametſi opinetur Ioachin Pontificem Libellum iſtum conſcripſiſſe, & authoritate ſua confirmaſſe inſtitutionẽ feſti, quod vocauerunt Phurim. Mardochæus namq; res geſtas literis ſuis annotauit, & ad eum miſit: Pontifex verò hiſtoriã ordine digeſſit, & ſacri conuentus Ieroſolymitani (qui vniuerſã Iſraelis Eccleſiã repræſentabat) authoritate inter canonicos & ſanctos veteris teſtamenti libros retulit. Scriptus eſt autem non ſolùm propter Iudæos, qui tunc ſub monarchia Perſica degebant: aut eorum poſteros, vt diuina in genus ſuũ miracula & beneficia grata mente perpetuò recolerent: ſed omnium maximè propter Eccleſiam Chriſtianam, vt omnes agnoſcamus, quanta cura, induſtria, & potentia Deus eam ſeruet atque tueatur: quanta item ſeueritate & grauitate deijciat impios populi ſui perſecutores. Eccleſia (inquit Euſebius) radices egit, & vſque ad aſtra ſanctorum virorũ *Euſeb lib.1. præparat. Euang. cap.3.*

orationibus glorificata, luce ac fulgore orthodoxæ fidei ſplendet, neque hoſtibus terga dat, neq; ipſis ianuis mortis cedit, propter pauca verba, quę Sponſus
Matth.26. illius protulit: *Super lapidem ædificabo Eccleſiam meam, et*
Hil. lib. de *portæ inferi non præualebũt aduerſus ipſam.* Et Hilarius de
Trin. eadem: Dum perſequitur, floret; dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc ſtat, cùm ſuperari videtur.

Miſeræ Iudæorum reliquiæ, aut potius quiſquiliæ nunc per orbẽ diſperſæ, mirum in modũ ſibi placent lectione huius hiſtoriæ. Et ſi pius quidam Magiſtratus tractauerit eos ſeueriter, vel de terris ſuis expulerit: Hamanem eum appellant, & hoc vnum ſuſpirant, vt liceat ipſis vindictam ſumere de illo ac ſubditis, qualem olim de Perſis. Hæc eſt impiorum recutitorum gratitudo, quam rependunt Gallis, & Hiſpanis, qui eos frequenter, & ob grauiſſimas cauſas de finibus ſuis eiecerunt, pro hoſpitio & nimia in eos humanitate. Verùm, nihil nunc habent quod de hac hiſtoria plauſus triumphoſque ſibi repromittant: quandoquidem ex quo Chriſtum, verum ſemen Abrahæ ad eos miſſum reprobauerunt & crucifixerunt, iam non ſunt populus Dei electus, non filij promiſſionis, non regale ſacerdotium, non Eccleſia Dei: ſed rami præciſi ac inutiles, Idumæi, Iſmae-
Dan.13. litæ, imò vt etiam Prophetæ loquuntur, *Semen Cha-*
Iſaiæ 1. *naan & non Iudæ: populus Sodomæ, & principes Gomor-*
Ezech.16. *rhæ: pater eorum Amorrhæus, & mater Cethæa: ſynagoga*
Apoc.2. *Satanæ, & nati ex patre diabolo*: qui Iſraelem ſecun-
Ioan.8. dum ſpiritum, id eſt, veram & Catholicam Dei Eccleſiam infeſtis odijs execrantur; & armis quoties datur, crudeliſſimè perſequuntur. Perquire hiſtorias, & comperies omnium crudeliſſimos hoſtes Chriſtianorum fuiſſe Iudæos excæcatos.

Sed quid? Poſſunt ne laici viri, qualis Mardochæus fuit, de ſacris diſſerere: aut Magiſtratus politici ac ciuiles de rebus ſacris ſtatuere, vt ille quoſdam dies ſacros habendos eſſe conſtituit?

Ad primum reſpondeo, Nec Dauidem, nec Salomonem, nec Iſaiam, nec Danielem fuiſſe de tribu Leuitica

uitica & ſacerdotali, quorum tamen ſcripta nullus non ſuſpicit, amplexatur, & vt ſacra Dei verba veneratur. Tobias quoque de tribu Nephtalim hiſtoriæ quæ de eo fertur, author habetur: ſicut & Ioſuæ Hebræorum imperator, illius libri, qui nomine eiuſdem inſcribitur. Duodecim Prophetarum minorum maior pars de alijs quàm à tribu Leui fuerunt: quorum tamen vaticinia, vt ſacra exoſculamur. Ergo cùm diuinus Spiritus non fuerit acceptor perſonarum aut tribuum, ſed cuicunque vt voluit, ſua dona impertiuerit: & Mardochæi de tribu Ben iamin opera ſtudioque vti potuit ad hunc conſcribendum libellū: & multorum aliorum piorum laicorum ſtudijs ac laboribus poſtmodum vſus eſt ad illuſtrandā confirmandamque Philoſophiam Chriſtianam. Etenim Minutius, Arnobius, Lactantius, Prudentius, Boethius, nullo (quod ſciam) ſacerdotio initiati, præclaris multiſque ſcriptis religionem noſtram aduerſus ethnicos propugnârunt. Noſtro quoq; ſeculo Pighius, Maſius, Staphylus, Ficklerus in Germania: Henricus 8. & Morus in Anglia: Albertus Carpenſis in Italia: Bullengerus, Morelus, Balduinus, & alij plures in Gallia, labaſcentem fidem Catholicam pro virili exceperunt, ſuſtinuerunt, fulcierunt: nec eorum ſcripta coarguit; ſed laudat probatque Eccleſia Catholica.

Ad ſecundum dico, Mardochæum non tam abſoluta propriaque poteſtate dies feſtos inſtituiſſe, quàm Ioachin ſummum Synagogæ Pontificem de hac re monuiſſe, vt ex Philone mox audiuimus. Deinde, cùm ille ſpiritu prophetico polleret, eſſetque dux & princeps exulum in Perſide, potuit hos externos ritus inter ſuos inſtituere; quos poſtea Concilium ſacrorum Ieroſolymorum ſua authoritate probauit & cōfirmauit. Nec ſine ſanctorum virorum exemplis iſtud fecit Mardochæus, quando & Dauid & Salomon plurima prius inſtituerant, quę ad ampliorē cultum Dei pertinerent. Inſuper Ioſaphat publicum ieiunium in toto Iuda obſeruandum præceperat. Denique Rex Niniuæ tametſi ethnicus, voce præ- *1. Paral. 20.* *Ion. 3.*

conis publicari iuſſerat, vt ieiunio ſeſe conficerent omnes; clamarentque ad Dominum in fortitudine, &cæt.

Denique, cùm Reges ac Magiſtratus Chriſtiani, non ſolū cuſtodes & defenſores ſint religionis Chriſtianæ, verùm etiam primum & potiſſimum locum inter Chriſtianos laicos teneant, multa ſancta vtiliaque poſſunt Paſtoribus Eccleſiæ ſuadere, eoſdem de officio monere, ſimulque eiſdem adeſſe, vt quæ communi conſilio ſtatuerint, fixa firmaque maneant, & à ſubditis ſibi populis ſanctè conſtanterque ſeruentur. Sic enim Conſtantinus, Theodoſius, Martianus, Iuſtinianus, Carolus Eccleſiæ decretis & inſtitutis plu-

Aug. epi. 50. rimum profuerunt. Malo autem Diui Auguſtini verbis quod huic quæſtionis ſolutioni ſupereſt efferre. Aliter ſeruit (inquit ille) Rex Deo, quia homo eſt: aliter quia Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter: quia verò etiam Rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti

2. Paral. 14. vigore ſanciendo: ſicut ſeruiuit Ezechias, lucos &

2. Paral. 34. templa idolorum deſtruendo: ſicut ſeruiuit Ioſias, ta-

35. lia & ipſe faciendo: ſicut ſeruiuit Rex Niniuitarum,

Ion. 3. vniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum com

Daniel. 14. pellendo: ſicut ſeruiuit Darius idolum frangendum

Dan. 3. in poteſtatem Danieli dando: ſicut ſeruiuit Nabuchodonoſor omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. &c. Habent in his Chriſtiani magiſtratus, quid agant, quid prohibeant, quod probent, quod tollãt, ſi reapſe pij & Chriſtiani eſſe velint. Meminerint verò ſemper, ſe non eſſe Eccleſiarum paſtores, ſed oues: laicos, non ſacerdotes: Chriſtum denique Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem commiſiſſe Petro, & coapoſtolis Epiſcopis: non Auguſto, non Tiberio, non Herodi, non Pilato, aut eorum præfectis.

Quod autem Mardochæus vult Iudæos, duos dies liberationis eorum feſtos & lætos agere, videlicet, in perpetuam huius beneficij diuini memoriam, confirmandamque in omni calamitate & perſecutione de diuino auxilio fiduciam; pro certo à di-

uino

uino Spiritu profectum eſt. In memoriā etenim creationis, ab initio Sabbathum inſtitutum perpendebat: Paſcha, ob liberationem ex Aegypto: Pentecoſten, quòd Legem cum prodigijs à Deo per Moſen Iſraelitæ acceperant: Scenopegiam, propterea quod quadraginta annis degerant in deſerto ſub vmbraculis: reliquosque feſtos dies in memoriam diuinorum mirabilium & beneficiorum conſtitutos fuiſſe. Ergo vt tam ſtupendæ, planeq; cæleſtis liberationis perpetua grataq; haberetur inter Hebræos memoria, ſcripſit vt quartam decimam & quintamdecimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent: quod & gratioſo & libenti animo ſe facturos eſſe receperunt. Ita & in Eccleſia Chriſtiana, præter diem dominicam, Chriſti nati, Circuncisi, à Magis cogniti & adorati, in templum iuxta legem oblati & ſuſcepti, morientis denique ac reſurgentis, aſcendentis, ac Spiritum Sanctum ſecundum promiſſa mittentis in Apoſtolos, gratam recordationem plurima feſta ſanctè & religiosè ſeruantur: idque ex Apoſtolorum traditione, viuæq; vocis per totum orbem doctrina & inſtitutione, ſicut omnibus ampliſſimi teſtes ſunt Clemens Romanus, Libro 5 conſtit. cap. 13. 20. & 21. & lib. 8. c. 39. Nazianzenus, Baſilius, Euſebius, Chryſoſtomus; & inter Latinos Cyprianus, Ambroſius, Leo, Hieronymus, & alij. Vnius tantùm Auguſtini verba ſubijciam. Beneficiorum Dei (inquit) ſolennitatibus, feſtis, & diebus ſtatutis dicamus ſacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata ſubrepat obliuio. Quanta porrò beneficia, æternum Dei Filium nobis naſci, circuncidi, mori, reſurgere? *Aug. l. 10. de ciuit. cap. 4. Epiſt. 115.*

DE FESTIS DIEBVS *B. Deiparæ ſacratis.*

QVod ad feſta Beatiſſimæ Deiparæ nomini conſecrata pertinet, magnum profectò ac impudēs Sectariorum huius æui mendacium eſt, *Antiquos nulla habuiſſe: ſed hæc omnia noua ſuperſtitioſorum hominum eſſe inuenta* Atque vt de primo, id eſt, eius puræ & ſanctæ CONCEPTIONIS feſto, priore loco

dicamus, *Non in concilio Baſilienſi* (vt autumant) *ortum habuit, anno Domini* 1439. ſed duntaxat in eo publica ac communi ſententia confirmatum & promulgatum eſt, quod longè antea multæ & maximæ Eccleſiæ per orbem obſeruabant. Conſtat enim Epi-
ep.174.
ſtola D. Bernardi, Lugdunenſem Eccleſiam, quæ primatum in Gallijs obtinet, trecentis plus minus annis ante ſynodi Baſilienſis decretum, hunc diem ſacrum habuiſſe. Scripſerat etiam paulò antea D. Anſelmus, id diuinis reuelationibus & viſionibus è cælis ſignificatum fuiſſe, & in Dania, Anglia, Normanniaque receptum. His omnibus ſuperiores Vſuardus & Beda, in martyrologijs, ſignauerant, ſexto idus Decembris, Conceptionem ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, celebrari. Quinetiam Græci in ſuo Calendario notant; Septembris die 7. Profeſtum (vigiliam appellamus) Natiuitatis Virginis. Die octaua, Feſtum Natiuitatis Mariæ. Decembris die nona, Conceptionem B. Annæ Dei & Domini auiæ. Eiuſdem etiam meminerunt Emmanuel Imper. in Nouel. Theodorus in Nomoc. Photij, titul. 7. quibus ſatis euincitur, nec nouum, nec ſuperſtitioſum eſſe hoc feſtum: ſed antiquiſſimum, ſanctiſſimum, & in vniuerſa Eccleſia ſiue Latina ſiue Græca vulgatiſſimum.

Falſum quoque eſt, quod ſcribunt hæreſeon Miniſtri, *De feſto Natiuitatis eiuſdem Deiparæ nihil in libris authenticis reperiri*: quandoquidem Bernardi, Guerrici, Petri Damiani, Hildephonſi; addo etiam conſtanter, diui Aurelij Auguſtini præſto ſint de ea ad populum habiti perdocti & antiquiſſimi ſermones. B. quoque Gregorius in Antiphonario, & Sacramentario, annotauit, officium pro Natali S. Mariæ celebrandum. Sunt etiam inter Græcos Chryſoſtomi, Procli, & Damaſceni de eadem elegantes Homiliæ.

At bene habet, quod vel inuiti fateantur, *Annunciationis feſtum, Græcis dictum* Ευαγγέλισμος, *perantiquum, vtpotè ſub Ludouico Pio, à ſynodo Aquiſgranenſi, circa annum Chriſti DCCC.XIX. inſtitutum*. In hoc enim ſecum ipſi pugnant: illud ipſumque tetri menda-

dacij conuincunt, quod prius effutiuerãt, *Antiquos nulla Deiparæ feſta habuiſſe.* Interim verò vel turpi ignorantia, vel flagitioſa malitia etiam in eo falluntur, quòd tum putent hoc feſtum inſtitutum; cùm plurimis antea ſeculis de eodem meminerit magnus Athanaſius, Oratione de ſanctiſſima Deipara. De eodem quoque diſſeruerint Damaſc. Andreas Hieroſ. Gregor. Neocæſ. & inter Latinos Auguſt. Chryſologus, &c. Imò tam disertè, tam copiosè, tamq; eleganter à beato Luca huius diei ratio deſcripta fuerit. *Luc. 2.*

Non aberrant autem à vero ſcribentes, *feſtum Purificationis inter hæc feſta, antiquiſsimum haberi*: falſitatis coarguentes ſuum illud axioma: *Antiquos nulla huiuſmodi feſta habuiſſe, ſed noua hominum ſuperſtitioſorum eſſe inuenta.* Sed turpiter hallucinantur in eo quod contendunt illud à *Iuſtiniano Imperatore conſtitutum.* Etenim multis ante Iuſtiniani tempus ſeculis exſtãt orationes Amphilochij, Nyſſeni, Chryſoſtomi, & Cyrilli Alexandrini, de huius diei celebritate. Sed quæ elegantior ea, qua beatus Lucas Euangeliſta totam huius diei rationem deſcripſit? *Luc. 2.*

Viſitationis Mariæ feſtum (inquiunt) *Vrbanus ſextus Papa indixit ſub annum Domini M. CCC. LXXX.* Et hîc duplex eſt hæreticorum mendacium. Primum, quòd Vrbanus ſextus adhuc ſuperſtes fuerit anno Domini 1380. ſecundum, quòd hoc feſtum primus inſtituerit, cuius tam expreſsè eleganter hiſtoriam recitat Euangeliſta: acutè autem & religiosè explicant Ambroſius, Auguſtinus, Chryſologus, & prioris notæ patres Orthodoxi. Græci ſub Emmanuele Comneno, .1. ante 400. illud celebrauerunt.

Glorioſiſſimæ Aſſumptionis eius feſtum, *volunt inſtitutum fuiſſe circa annum Domini M. CC. LXXIII. in Lugdunenſi concilio.* Atque huic mendacio iſthæc addunt planè impia & blaſphema: *Certè Aſſumptionis feſtum plenum eſt fabularum, plenum item ſuperſtitionis: quoniam de Mariæ obitu nihil proditum eſt memoriæ à fide dignis ſcriptoribus.* In his autem tot ſunt ferè mendacia, quot verba. Nam feſti huius ante ſeptingentos annos meminerunt Vſuardus &

Beda in martyrologijs:ante nongentos annos Hildephonſus Toletanus in ſermonibus:ante mille annos Gregorius in Antiphonario & Sacramentario: & ante Gregorium, Hieronymus, ceu mauis, Sophronius ei æqualis, Epiſtola ad Paulam & Euſtochium. Et ſanè illud quoque prodigio ſimile eſt, quod noui iſti miniſtri exiſtiment, Nicephorū, Glycam, Metaphraſten, Andræam Cretenſem, Damaſcenum, Iuuenalem, Euthymium, Athanaſium magnum, Euſebium Cæſ. qui omnes de beatiſſimæ Deiparæ obitu, & in cælos aſſumptione miro conſenſu docuerunt & ſcripſerunt, quę traditione à patribus, adeoq; Apoſtolicis viris acceperant; hæc inquam, totius Orientis præclara lumina non eſſe fide dignos ſcriptores. Apagete tantam maledicendi rabiem: cùm etiam Bullingerus & Brentius non grauatè concedant, *Deiparæ virginis Sacroſanctum corpus deportatum eſſe in cælum.*

Lib. de origine err. cap. 16. *Hom. 1. de Aſſumptione.*

His coronidis vice tantùm adijciam, quæ pridem de ſacris Beatiſſimæ virginis Mariæ ferijs, publicis Græcorum imperatorum legibus decreta & ſancita fuerunt toto Oriente. Manuelis, ceu Emmanuelis Comneni conſtitutionibus ſtatuitur: Natales dies puriſſimæ Dominæ ac Dei genitricis, qui eſt octauo Septembris, feriatus eſt. Item nonus Decembris, quippe quia tunc genitrix Dei noſtri Conceptio celebretur. Item ſecundus Februarij, quòd tum Seruatori obuiam itum ſit. Item vigeſimus quintus Martij, boni nuntij ergô ad Dei genitricem delati. Item decimus quintus Auguſti, propter glorioſam ſanctæ Dei genitricis emigrationem, &c. Et de his hactenus. Ad Mardochæum & Iudæos redeo.

Conſtitution. imp. cap de ferijs.

Vt ille authoritate Prophetica iuſſit, prænominatos dies feſtos agendos eſſe, ſic iſti promptè & religiosè ſuſceperunt & ſeruauerunt quod ille mandauerat. Quid ni? Agnoſcebant enim eum optimum exſilij ſui ducem ac principem, diuino Spiritu præditum, non niſi piam ac religioſam rem præcipere: proinde libenter ei morem gerunt: exemplo poſteris relicto ſanctæ erga Paſtores & præfectos obedientiæ. *Melior eſt*, ait Samuel, *obedientia, quàm victimæ: & auſcultare magis quàm*

1. Reg. 15.

gis quàm offerre adipem arietum. Quinctiã de his qui ſunt moribus corruptis dicitur: *Quæcumq; dixerint vobis ſeruate & facite, ſecundum autem opera eorum nolite facere.* Matth. 23.

Sed & hoc inter ritus feſtorum iſtorum obſeruandum eſt, quod mutuis epulis moderatè vtentes, pauperum ac egenorum memores eſſent, munuſcula eiſdẽ largiendo. Equidem gratum & acceptum eſt Deo, vt homines de bonis ſuis collætentur, ac etiam diebus feſtis lautiore cibo & potu ſe ſe oblectent, & animos relaxent. *Epulabimini,* inquit Moyſes, *coram Domino* Deut. 12. *Deo veſtro, vos & filij, ac filiæ veſtræ, famuli & famulæ, atque Leuites qui manet in vrbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo.* Dauid & Salomon dicuntur in feſtiuitatibus Iſraeliticis lætati eſſe, & populis multa ad epulandum largiti. Poſt reditum è captiuitate, Eſdras pro concione dixit populo: *Dies ſanctificatus* 1. Parap 16. 3. Reg. 8. 2. Eſd. 8. *eſt Domino Deo noſtro Nolite lugere, & nolite flere (flebat enim omnis populus, cùm audiret verba legis) & dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparauerunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt.* Sequitur: *Abijt itaque omnis populus vt comederet & biberet, &* 3 Eſd. c. 9. *mitteret partes, & faceret lætitiam magnam, &c.*

Interea verò ſummopere curandum eſt præceptum charitatis in proximos, & largitatis circa egenos fratres, vt nemo in publica feſtorum lætitia gaudij ſynceri ſit exors, ob paupertatem rerumque penuriam. *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum,* ait Chriſtus, Matth. 26. *& cùm volueritis, poteritis eis benefacere.* Et iterum: *Cùm* Luc. 14. *facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione iuſtorum.* Itaque indigentibus ſunt feſto die præſertim eleemoſynæ tranſmittendæ, menſa excipiendi pauperes, conſternati conſolandi, verbis & officijs exhortandi ad fiduciam, ad virtutem, ad patientiam, &c. Interim lautius ſolito refici cum temperantia, quæ nunquam nõ exigitur à Deo, ſatis Domino placet, dum opera charitatis fratribus non negantur.

Denique, docet etiam hic locus, nos beneficiorum Dei tam communium quàm ſingularium non

debere obliuiſci: ſed ea ſubinde in mentem reuocare, liberis ac poſteris inculcare, vt ipſum magis ac magis agnoſcamus, amemus, inuocemus, ſuſpiciamus: & in omni afflictionum genere ad ipſum confugientes, opem expectatam conſequamur, & gratias ei toto pectore agamus. Damnatur acerrimè humana in Deum ingratitudo Iſa.1. Ierem.8. Matth. 11. &c.

24. *Haman enim filius Hamadathi ſtirpis Agag, hoſtis & aduerſarius Iudæorum, cogitauit contra eos malum, vt occideret eos atq; deleret: & miſit Phur, quod noſtra lingua vertitur in ſortē.*

25. *Et poſtea ingreſſa eſt Eſther ad Regem, obſecrās vt conatus eius literis Regis irriti fierent: & malum quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius.*

26. *Denique & ipſum, & filios eius affixerunt cruci, atque ex illo tempore dies iſti appellati ſunt Phurim, id eſt, ſortium, eo quòd Phur, id eſt, ſors in vrnam miſſa fuerit. Et cuncta quæ geſta ſunt, Epiſtolæ, id eſt, libri huius volumine continentur:.*

27. *Quæq; ſuſtinuerunt, & quæ deinceps immutata ſunt, ſuſceperunt Iudæi ſuper ſe & ſemen ſuum, & ſuper cunctos qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies abſq; ſolennitate tranſigere: quos ſcriptura teſtatur & cætera* (alij, & certa) *expetunt tempora, annis ſibi iugiter ſuccedentibus.*

28. *Iſti ſunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio: & per ſingulas generationes cuncta in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec eſt vlla ciuitas, in qua dies Phurim, id eſt, ſortium, non obſeruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his ceremonijs obligata eſt.*

Hic

HIC habes prioris hiſtoriæ breuem repetitionem, Hebræis conſuetam: ſimulq́; expreſſam rationem feſtiuitatis PHVRIM, id eſt, ſortium, in vniuerſa gente Iſraelitica.

Ac repetitionis quidem exempla extant plurima in libris Prophetarum, veluti cùm Moſes hiſtoriam ſubmerſi cum toto exercitu Pharaonis copioſè recitaſſet, & canticum pro eadem celebratum, tandem ſub breui epilogo ſubnectit: *Ingreſſus eſt Pharao cum curribus & equitibus ſuis in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius.* Exod.15. Deſcripta quoque omnium rerum creatione, quæ ſex dierum interſtitio peracta eſt, tandem ſubiungit: *Iſtæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creatæ ſunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram.* Gen.2. Iudith etiam breui epilogo hiſtoriam ſuam concludens, canit in cantico ſuo: *Venit Aſſur ab aquilone in multitudine fortitudinis ſuæ. Dixit ſe incenſurum fines meos. Dominus autem omnipotens tradidit eum in manus fœminæ.* Iudith.16. Eodem pacto hiſtorici libri Tobiæ, Iobi, Eſdræ, Regum, &c. compendioſa repetitione clauduntur. Quibus docemur, in ſacris concionibus, & repetitionibus rerum grauiorum, & epilogis vtendum. Hæc enim & memoriam iuuabunt, & animis tenacius inculcabunt, quæ fuſioribus verbis antea ſunt tradita.

Quod autem ad vocem PHVR attinet, obſeruant Aben-ezra & Lyranus planè Perſicam eſſe: & non Hebraicam. Quorſum enim diceret Hebræus ſcriptor, *Et iecit Phur, hoc eſt, ſortem coram Hamane, & cæt.* Eſther 3. itemq́ue, *Dies Phurim, id eſt, ſortium*, ſi Phur, & plurale eius Phurim Hebraica eſſent? Nam lingua Hebraica GORAL ſors appellatur. Dicti ſunt ergo hi dies PHVRIM, ab his ſortibus, quas ante Hamanem iecit puer aut in vrnam, aut in aliud vas, vt his inquireret felicem menſem ac diem ad trucidandos Iudæos, vt ſuperius tertio capite dictum fuit. Obſeruabant porrò illos, Iudæi, ita vt tertiadecima die menſis Adar, qui

qui partim Februario noſtro reſpondet, eſſet ieiunium Eſtheris; quartadecima, Sortium feſtum minus: quintadecima, Sortium maius. Valde autem probabile eſt aliquid poſtea fuiſſe immutatum propter
1.Mach.15. victoriam à Machabæis captam de Nicanore, eadem ipſa tertia decima die menſis Adar. Nam vel ieiunium ipſum Eſtheris tranſlatum fuit in alium diem, vel ſublatum, vt feſtum agerent de Nicanore victo: quandoquidem diei lugubri ac ieiunio conue-
Anton.Marg. nire non poſſit feſtiuitas. Notat præterea Antonius Margarita Iudæus baptizatus, profeſſor Lipſenſis, in libello quem de cæremonijs Iudæorum ſcripſit, Iudæos etiamnum hos dies feſtos agere, ſed non eo quo inſtituti ſunt modo ac fine. Illi enim epulis ac voluptatibus indulgent, & quod nonnulli etiam Chriſtianorum ſolent in bacchanalibus, habitum commutantes laruati & perſonati hinc inde per domos amicorum vagantur & ludunt. Legunt etiam illis diebus in ſynagogis ſuis hiſtoriam iſtam, atq; quoties mentio fit Hamanis, iuniores pugnis, palmis, & malleis ſcamna pulſant, ingentem edentes ſtrepitum: ſicut Chriſtiani feria quinta Paraſceues, cùm mentio fit Iudæ proditoris. Illis autem geſtibus, minantur Chriſtianis, quos pro gentibus & Hamaniſtis habent, omnem vltionem ac internecionem cùm eis licebit, ſicut quondam de Hamane ſumpſerunt. Hæc eorum gratitudo pro hoſpitijs. Hæc illorum feſtiuitas, qui procliuiores ſunt ad gaudia ventris, quàm mentis. Hæc commemoratio veterum Dei beneficiorum. Et miramur eos à pijs Regibus & magiſtratibus, Chriſtianorum finibus frequenter pulſos fuiſſe?

29. *Scripſeruntq; Eſther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam ſecundam epiſtolam, vt omni ſtudio dies iſta ſolennis ſanciretur in poſterum.*

30. *Et miſerunt ad omnes* Iud*æos, qui in centum viginti ſeptem prouincijs regis Aſſueri verſabantur, vt haberent pacem, & ſuſciperent veritatem,*

ritatem, obſeruantes dies ſortium, & ſuo tempore cum gaudio celebrarent: ſicut conſtituerant Mardochæus & Eſther, & illi obſeruanda ſuſceperunt à ſe, & à ſemine ſuo ieiunia, & clamores, & Sortium dies,

31. *Et omnia quæ libri huius, qui vocatur Eſther, hiſtoria continentur.*

EN ſecunda confirmatio feſtiuitatis dierũ PHVRIM. Primò enim hos obſeruandos eſſe conſtituerat Mardochæus ſuis literis, vt dictum eſt, verſu 20. Poſtea cùm fortè neglecti & intermiſſi fuiſſent, operæpretium viſum eſt Reginæ, cuius maxima inter Iudæos tum erat authoritas, ſuis ad eos literis eoſdem ſecundò confirmare. Notant etenim Hebræi ſecundam iſtam Epiſtolam poſt alterum annum ſcriptam fuiſſe, his ex interprete verbis: Illo tempore, anno ſequenti contigit, quod ſcriptum eſt, Scripſitque *Eſther regina filia Abihail & Mardochæus Iudæis etiam ſecundam epiſtolam, vt omni ſtudio dies iſta ſolemnis ſanciretur in poſterum.* Ita ergo pij principes ſtuduerunt vt hæc feſtorum inſtitutio tanto firmior ac conſtantior eſſet, quanto maiori authoritate comprobata per Mardochæum & reginam Eſtherem. *Seder-olam rabba, ca. 29.*

Hîc autem primùm conſidera ſummam tum Mardochæi, tum maximè Eſtheris reginæ pietatem: qua omni ſtudio ac diligentia ſatagunt, ne diuinorum beneficiorum memoria obliteretur inter ſuos, ſed in perpetuum continuetur; quando ea de re iterum atque iterum ſcribunt atq; decernunt. A conſimili pietate Abrahamum laudat angelus, *Scio* (inquiens) *quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam.* Docentur ergo Principes, magiſtratus, parenteſque, vt Dei cultum religionemque non ſinant interire, ſed pro viribus eam filijs ac nepotibus tradere; quemadmodum & ipſi à patribus ſuis eandem acceperunt. Eos enim ſubditorum ac liberorum ſuorum præceptores diuinus Spiritus inſtituit: quatenus & li- *Gen. 18.*

bere &c

L..rè & fideliter canere poſſint: *Patres noſtri narrauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum*. At verò, paucos hodie reperias qui curent quomodo poſt ſe rectè ac piè viuatur, modò ipſi in bonis ducant dies ſuos. Curant & parentes vt poſt ſe multa poſſideant filij; non curant qua religione ſint victuri.

Deinde, animaduerte iuſtum Dei iudicium, quo feſti ſolenneſque dies celebrantur in ſempiternam Hamanis ignominiam, Mardochæi verò ac Eſtheris honorem & commendationem: nimirum, quòd ille omnem operam ac induſtriam poſuerat, vt Eccleſia familiaque Dei excelſi de terra ſtirpitus deleretur, iſti vt ſeruaretur. Ergo vt impietas ſempiternam ignominiam, ſic econtrariò virtutis ac pietatis ſtudium æternum parit honorem. Ait enim Apoſtolus:
Rom.2. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Et Sapiens: *Memoria iuſti cum laudibus, nomen autem impiorum putreſcet.* Et rurſum: *Benedictio ſuper caput iuſti, os autem impiorum operit iniquitas.* *Prou. 10.*

Literarum porrò Eſtheris ſumma comprehenditur, quando refertur, qui fuerint earum Authores, nimirum *Eſther regina & Mardochæus Iudæus*: ad quos ſcriptæ fuerint, videlicet, *ad Iudæos, qui in centum viginti ſeptem prouincijs regis Aſſueri verſabantur*: exordium, quo *pacem & veritatem*; id eſt, veram religionem & fidem eis precantur: ſtatus, vt in memoriam mirabilis ac planè diuinæ liberationis, *dies PHVRIM, hoc eſt, Sortium, læti & alacres perpetuò celebrarent.* Ex quibus etiam patet, fœminas pietate & doctrina clariſſimas Iudæis non defuiſſe; ſic vt iure recteque de hac re contendere poſſint cum Romanis, Græcis, & alijs Gentibus, quæ de ſuis Muſis, & Sibyllis gloriantur. Nam præter Eſtherem, eximiam laudem inter illos conſequutæ ſunt Debbora, Maria ſoror Moſis & Aaronis, Elizabetha, Maria Deipara, quæ canticis & hymnis editis in Eccleſia claruerunt. Narrat etiam Lucas Euangeliſta, quatuor filias Philippi naſcentis Eccleſiæ cunabula ſuis Prophetijs illuſtraſſe. *Act. 21.*
Habuit & deinceps ſuas Caſſobolitas, Anaſtaſias, Catha-

Catharinas, Hypathias, Eudoxias, Probas, Valerias, Fabiolas, Marcellas, Lætas, Melanias, Demetriades ac Elpides; quæ doctrinæ vitæq́ue Chriſtianæ fuerunt decori & ornamento. Adeo Spiritus Sanctus nullum ſexum ſuis beneficijs non exornat; Eccleſiaq́ue Chriſtiana non ſuſpicit & honorat. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis*, inquit Apoſtolus, *Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina*. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Habent igitur piæ virgines ac matronæ vnde animos ſuos ſolentur, & confidentiam ſuam in Chriſto nutriant; vbi cogitauerint ſibi ſimiles fœminas Deo ac Eccleſiæ eius charas fuiſſe. *Galat. 3.*

Attende rurſus, quomodo beatæ Eſtheris virtutes, id eſt, *ieiunia, lacrymæ, ſuſpiria, feruentiſſimæ ad Deum pro ſalute populi Iſraelitici preces & vociferationes*, hoc rurſum loco à Sancto Spiritu, prædicentur, & ad eius commendationem, imitationemq́ue in ſacris referantur. Non abſurdè ergo de iſta dici poteſt, quod de alia legitur: *Vbicunque prædicatum fuerit volumen iſtud in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam & laudem eius*. Corpora Eſtheris & Mardochæi ante bis mille annos in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. Sapientiam ipſorum narrant populi, & laudem eorum nuntiat, & in finem vſque nuntiabit Eccleſia ſanctorum. Sic in memoria æterna erit iuſtus: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. *Matth. 26.* *Eccli. 44.* *Pſal. 111.*

DE FESTIS *Sanctorum memoria ſacris.*

QVID ergo Sectarij huius æui rurſum hîc moleſti ſunt Sanctorum commemorationi? Præſertim cùm ipſi vel inuiti fateantur, *horum feſta & perantiqua, & bono zelo inſtituta fuiſſe, vt annua repetitione, illorum integritas, conſtantia, fides, charitas, obitus, aliaq́ue id genus ad poſteros tranſmitterentur, &*

homines

homines ad illorum exempla inuitarentur? Enimuerò ſi olim Iudæorum Synagogæ licuit, ſuadentibus Eſthere ac Mardochæo, feſtum Sortium inſtituere; vt diuinæ liberationis ſuæ per horum ieiunia, preces, lacrymas & ſuffragia à Deo conceſſæ commemorarentur, quo modo non licebit Eccleſiæ Chriſtianæ feſta Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque ſanctorum (quorum opera, tot Dei beneficia ſumus & pridem conſequuti, & nunc quoque conſequimur) indicere, ſtatuere, atque ſeruare; cùm præſertim huius pietatis primos habeat authores Apoſtolos? Siquidem referente B. Clemente horum diſcipulo & cooperatore, Petrus & Paulus conſtitutionem iſtam tradiderunt: In diebus Apoſtolorum vacent Chriſtiani: magiſtri enim veſtri fuerunt ad docendum vos de Chriſto'b: vobiſque Spiritum Sanctum dederunt. Et ijdem rurſum: In die Stephani protomartyris item vacent: ac reliquis diebus ſanctorum martyrum, qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt.

Eſther 9. *Clem lib. 8. de conſtitut. Apoſt. ca. 38. tral. Turr.*

Refert etiam Euſebius Epiſtolam Eccleſiæ Smyrnenſis, qua diem paſſionis Polycarpi martyris quotannis celebratam fuiſſe docemur. Tertullianus inter traditiones Apoſtolicas recenſet, Annuas oblationes facere pro natalitijs. Cyprianus frequenter meminit, ſacrificij oblati in anniuerſaria die paſſionis ſanctorum martyrum. Origenes ſcribit feſtum Innocentium puerorum rectè in Eccleſia celebrari, propterea quod fuerunt primitiæ martyrum. Prætermittam Baſilium, oratione in Gordium martyrem, Nyſſenum orat. in Theodorum martyrem, Nazianzenum orat. 1. in Iulianum, Prudentium hymno de ſanctis Petro & Paulo, & alios multo plures primæ notæ authores, vt vnius Auguſtini verba ſubijciam. Scribit enim aduerſus Manichæos, cultum feſtaque martyrum calumniantes: Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſè celebrat, ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, & precibus adiuuetur, &c. Idcirco nec pij nec Chriſtiani ſunt, ſed Manichæi, Vigilantiani, Eunomiani,

Euſeb. lib. 4. hiſt. cap. 15. *Tert. lib. de coron.* *Cypr. lib. 4. ep. 5.* *Hom. 3. in diuerſos.* *Li. 20. cont. Fauſt. c. 21.*

miani, Euſtathiani, atque Eunapiani: quinimò & antecurſores filij perditionis, ac beſtiæ illius, quæ os ſuum apertura eſt in cælum, & factura bellum aduerſus ſanctos, vti Daniel, & Ioannes in Apocalypſi prę dixerunt; qui huic pietati detrahunt. *Apocal. 13.*

Feſtum porrò omnium Sanctorum in primis ſublatum cupiunt, *quòd Pontifex Romanus Pantheon falſorum deorum templum à Cæſare Phoca impetratum, Mariæ Chriſti ſeruatoris matri, reliquiſque martyribus ſanctis dedicauit*: id vitio dantes, quòd ſummopere laudare deberet. Nam Apoſtolus ſuadet, ea quæ ſeruierunt immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, exhibenda eſſe vt ſeruiant iuſtitiæ, in ſanctificationem, etiam ſi corporis noſtri membra eſſent. Quanto magis templa dæmonibus dicata, licebit in Dei, ac Sanctorum eius cultum conuertere? An non Martialis, vnus ex 70. Chriſti diſcipulis, Aram ignoti Dei apud Burdegalenſes, iuſſit reſeruari (cùm alij ſubuerterentur) ad conſecrationem? Aberrant verò toto cælo, cùm putant tunc primum vel à Bonifacio vel à Phoca illud feſtum inſtitutum fuiſſe: cum antea eius meminerit Gregorius in Antiphonario, & Sacramentario: & aliquot extent Sermones diui Auguſtini de eadem celebritate. Denique Cyprianus martyr Natalitios Martyrum dies celebrandos docuerit: & Tertullianus ſcripſerit: Pro Natalitijs annua die facimus, &c. *Rom. 6.* *Mart. epiſt. ad Burdegal. cap. 3.* *Epiſt. 34.* *Li. de coron.*

At verò, *feſtum animarum* (inquiunt) *ab Odilone Abbate Cluniacenſi excogitatum, & inſtitutum, Ioannes huius nominis X I X. Papa acceptauit, approbauit, atque confirmauit: & vt poſt feſtum omnium Sanctorum ab omnibus Eccleſijs obſeruaretur, diſtrictè præcepit.* Fallunt porro & falluntur primò in eo, quod non ſine fraude, ex Ioanne XVI. faciunt Ioannem XIX. Sed omniū turpiſſimè & flagitioſiſſimè, cùm tum primum inſtitutum exiſtimāt, vt omnium fidelium defunctorū in precibus tam priuatis quā publicis haberetur memoria: Hoc enim & Clemens Romanus, & Dionyſius Areopagita ad traditiones ſanctorum Apoſtolorum retulerunt. Tertullianus quoque vir Apoſtolicorum temporum, ſcribit: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua *Lib. de corona mil. cap. 3.*

 die fa-

die facimus Huic Apoſtolicæ traditioni nullus Græcorum ac Latinorum Patrum non ſubſcribit: & ducentis annis ante Odilonem, Amalarius Treuerenſis, huius Commemorationis meminit.

Subiungunt, *Beatis Angelis ſua quoque feſta inſtituta fuiſſe, vt diuo Michaeli: idque quòd eius ope à barbaris Chriſtiani in Apulia ſemel fuerunt liberati. Vnde Gelaſius Papa eius nominis primus, feſtum hoc quotannis celebrandum indixit.* Quid tum? Gelaſius vir ſanctiſſimus & doctiſſimus, beati Petri Cathedræ & authoritati ſucceſſit ante mille & centum plus minus annos: igitur Apoſtolica authoritate id fecit: quod ab omnibus Eccleſiis Chriſtianis receptum & probatum fuit. Quinetiam de miraculis, & diebus feſtis eiuſdem Archangeli memoriæ ſacris, copioſè & eleganter ſcripſerunt Glycas, Nicephorus, Pantaleo Cartophylax, Metaphraſtes & Chryſoſtomus, ſummæ eruditionis & pietatis authores Græci.

Rurſum, Sectarios malè habet, *quòd non Martyribus tantùm, verùm etiam Confeſſoribus, viris quidem pietate claris, ſed qui religionis nomine non eſſent trucidati, feſtà dicata ſint.* At, beatiſſima Deipara religionis nomine trucidata non fuit, nec Michael Angelus religionis nomine trucidari poteſt: quorum tamen memoriæ celebres ſemper in Eccleſia extiterunt. Ioannes Euangeliſta religionis nomine trucidatus non fuit, cuius tamen dies Græcis & Latinis ab initio & deinceps ſacer fuit ac ſolennis. Trecenti decem & octo ſacri Patres, qui in Nicenam ſynodum conuenerunt, non fuerunt religionis nomine trucidati: & tamen ex eo tempore diem feſtum eis totus Oriens dedicauit. Martinus Sabarienſis, Athanaſius Alexandrinus, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hilarius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Leo, Gregorius, aliique plurimi Chriſtianæ pietatis aſſertores, & ſi multa ab hæreticis & tyrannis ob eam rem pertulerint, ab illis tamen non ſunt trucidati: nihilominus horum memoria apud omnes in benedictione fuit, eſt, & erit in ſempiternum, rumpantur licet hæreticorum ilia.

Obganniunt denique, *Feſta à ſuis inſtituta, certum eſt idololatricum eſſe, & cum ſcripturis pugnare.* Ergo Apoſtoli, & omnes Apoſtolici viri, quos nunc laudabamus, idololatræ, & ſcripturis repugnantes fuerunt. Ergo idololatricum aliquid ſuaſit Paulus, dicens: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis lo-* Hebr. 13.
quuti ſunt verbum Dei, quorum exitum conuerſationis intuentes, imitamini fidem. Iſtud namque potiſſimum obſeruamus in Sanctorum feſtiuis diebus. Ergo hactenus idola coluit vniuerſa Orientis & Occidentis Eccleſia, quæ Deum in ſanctis ſuis coluit. Ecquid verò Pſalm. 36.
iſtud aſſerere eſſet, quam vniuerſam filiorum DEI nationem damnare atque reprobare? Sed de his hactenus.

LIBRI ESTHERIS CAPVT DECIMVM.

1. *Rex verò Aſſuerus omnem terram, & cunctas maris inſulas fecit tributarias:*

2. *Cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque ſublimitas, qua exaltauit Mardochæum, ſcripta ſunt in libris Medorum atque Perſarum.*

PRAESENTI, & ſequenti capite, primò deſcribitur amplitudo Perſici imperij, ob pietatem Aſſueri in Eſtherem, Mardochæum, & totum populum Iudaicum, qui in eo exul degebat. Deinde recitatur mirabile ac prodigioſum ſomnium Mardochæi. Subijcitur tandem mirificæ viſionis atque ſomnij poſt rerum ſuperiorum euentum, dilucida interpretatio.

Ac de imperij Perſici amplitudine, initio huius libri diximus eam planè fuiſſe maximam, quando ab India vſque ad Aethiopiam centum viginti ſeptem prouincijs ſeu ſatrapijs Aſſuerus dicitur imperaſſe.
Curt. lib. 3. & 4. Quarundam earum gentium nomina, quæ in caſtris Darij aduerſus Alexandrum dimicaturi merebantur, refert Curtius, videlicet, Perſarum, Medorum, Bactrianorum, Armeniorum, Hyrcanorum, Deruicum, Caſpiorum, Aſianorum, Arachoſiorum, Sogdianorum, Indorum, Mardorum, Bellitarum, Coſſęorum, Gortuorum, Phrygum, Cataonarum, Parthorū, Schytarum, Caduſiorum, Cappadocum, Syrorum, rubri maris accolarum, Arabum, Græcorum, &c. *Herod. lib. 3. & 7.* Copias Xerxis enumerans Herodotus, ſuperioribus connumerat Colchos, Ciſſios, Aſſyrios, Chaldęos, Sacos, Choraſmios, Gandarios, Dadicos, Sarangas, Pactyas, Vtios, Mycios, Paricanios, Aethiopes, Pœnos, Paphlagones, Lygies, Matienos, Mariandinos, Bryges, Lydios, Myſios, Thraces, Strymonios, Teucros, Cabelees, Mæones, Milyos, Moſchos, Tibarenos, Macrones, Moſynœcos, Mares, Alarodios, Saſpires. In nauali autem exercitu refert adfuiſſe Phœnices, Cyprios, Cilices, Pamphylios, Lycios, Dores, Cares, Iones, Aeoles, Helleſpontios, Abydenos, Ponticos, Sidonios. Quæ idcirco retuli, vt qui humanis hiſtorijs delectantur, videant illas hoc loco cum diuinis mirificè conuenire: huiuſque Aſſueri reuera maximum latiſſimumque fuiſſe imperium, vt initio huius capitis notatur. Quippe his omnibus gentibus imperabant Perſæ; & ex ijſdem tributa, auxiliaresque copias in bellis ſuis colligebant.

Enumeratis porrò Gentibus ac prouincijs, è quibus *Herod. lib. 3.* tributa ſumebat Darius, ſubijcitur ab Herodoto Quod ſi Babylonica pecunia ad Euboicum talentum redigatur, fiunt nouies millena quingenaque & quadraginta talenta argenti. Aurum vero ramentium ſi terdecies expendatur ad argentum, in ſumma reperietur ad rationem Euboicam eſſe 4000. talentorum ſexcentaque & octoginta. Quibus in vnum contractis ad Euboicum computum, exigebantur in ſummam annui

tributi

tributi à Dario, talentorũ quatuordecim millia quingenta & ſexaginta. Hoc tributum Dario ex Aſia obueniebat, & aliquantulum ex Africa, procedente tempore: & ab inſulis obuenit aliud tributum: & ab his qui Europam Theſſalia tenus incolunt. Aethiopes, eorũque finitimi, tertio quoque anno munera portabant: portantque ait ille, vſque ad meam memoriam binos ſemodios auri rudis, & ducenos faſces eburni, & quinos Aethiopes pueros, & vicenos grandes elephantorum dentes. Colchi quoque inter dona ferentes repoſiti erant, eorumque finitimi vſque ad Caucaſum. Ad hunc enim montem imperitatur à Perſis. Afferebant & Arabes millena quotannis talenta thuris. Hæc iſti dona, præter tributum Regi pendebant. Hactenus Herodotus: ex quibus etiam ab homine ethnico & perantiquo confirmatur & explicatur, quod præſenti ſacræ hiſtoriæ loco dicitur, *Darium Aſſuerum omnem terram*, id eſt, potiſſimas eius partes ac prouincias, *& maris inſulas, ſibi feciſſe tributarias.*

Obſeruant aũt Lyranus & Rikelius, Deum qui nullũ bonũ opus ſinit irremuneratũ, Aſſuero tantũ imperiũ, tantam proſperitatem & gloriã, tantas denique opes cõtuliſſe, pro pietate ſua erga Iſraelitas: & pro iuſtitia, quam in aduerſarios eorum exercuerat. Quod ergo bonis bene fit, nunquam perit. Habent enim bona opera, etiam ethnicorum, Deum pro ſua pietate & liberalitate remuneratorem; ſicut & delicta criminaque iuſtum vltorem. Scitè enim ac eleganter de Romanis ſcripſit Auguſtinus: Quibus non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis in ciuitate ſua cæleſti, ſi neque terrenam gloriam excellentiſſimi imperij conceſſiſſet; non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt virtutibus. De talibus enim qui aliquid boni faciunt, vt glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: *Amen dico vobis percepe- runt mercedem ſuam.* Sic & obſtetricum Aegyptiacarum humanitatem, & Raab hoſpitalitatem, & Achioris confeſſionem non contemnendis munerib. Deus compenſauit, tametſi omnes adhuc ethnicis tenebris inuoluti eſſent. Neque Centurionis, aut Chananææ

Aug. lib. 5. de ciuit. c. 15.

Matth. 6.

Matth.8.15. mulieris preces humillimæ diſplicuerunt Chriſto: *Actor.10.* neque Cornelij gentilis hominis orationes non ſunt exauditæ, aut eleemoſynæ non ſunt acceptæ, antequam in Chriſtum crediditſet. Imò & Angelum ad *Auguſt.li.1. de Bapt. c.8.* ſe mitti, ait idem Auguſtinus, & miſſum meruit intueri, per quem poſſet vtique ſine hominis alicuius acceſſu cuncta neceſſaria diſcere. Sed quoniam quicquid boni in orationibus & eleemoſynis habebat, prodeſſe illi non poterat, niſi per vinculum Chriſtianæ ſocietatis incorporaretur Eccleſiæ, iubetur mittere ad Petrum, & per illum diſcit Chriſtum, per illũ baptizatus, Chriſtiano populo coniungitur, &c. Non ſunt itaque omnia opera infidelium peccata lethalia, vt autumant Caluiniani: ſed neque eorum fidelium, qui peccati mortalis vinculo tenentur, virtutes morales damnandæ, aut benefacta reprobanda; quoniam vel his ad futuram iuſtitiam & gratiam præparantur; vel ſaltem temporaria quædam præmia, vt ſuperioribus teſtimonijs probauimus, pro eis à Domino *Eccle. 9.* conſequuntur. *Quicquid igitur poteſt manus tua, inſtanter* *Galat.6.* *operare, &c Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Bonum facientes, non deficiamus, &c.*

Quamobrem verò tam magna glorioſaque imperia & Aſſuero, & ſimilibus hominibus Deus mirabili prouidentia conceſſerit, nunc quoque non rarò concedat, ſuperius expediuimus: tantùm de tributis quædam ſubijciemus.

DE TRIBVTIS REGIBVS *ſoluendis.*

CVM Principes munus publicum ſuſtineant, quo pax publica & religio conſeruatur, patria communis defenditur, ius cuique dicitur: & ijdem vias publicas, mœnia, turres, valla, foſſas, portas, pontes, fontes, aquæductus, & quæ alia ſunt eiuſmodi inſtaurant, atque ſarta tecta ſeruant, quibus omnes promiſcuè fruuntur: ad hęc, perſonas publicas, vt ſunt paſtores animarum, prædicatores verbi diuini, Iudices, apparitores, vigiles, & ſimiles alias plures alant:

lant: æquiſſimum ſanè ac iuſtiſſimum eſt, vt publicè ab omnibus conferantur ſumptus, qui in iſtas res ſunt impendendi. Inſuper, cùm nemo ſuis ſtipendijs vnquam militet, nemo gregem paſcat qui de lacte non edat; omniſq; operarius dignus ſit mercede ſua; Principibus tantum exigere licet, quantum illis alendis, & ad tuendam magiſtratus authoritatem ſufficit. Iubet hoc communis ſenſus, & naturæ lex: quo fit vt mos iſte iam indè à prima rerum origine apud omnes probatus fuerit, vt Principibus ſubditi tributa præſtent ac ſoluant. *1. Cor. 9.*

Deinde, ſanctiſſimi Reges Dauid, Ioſaphat, Ezechias, Ioſias, quorum pietas in ſacris literis commendatur, ſuo illo iure in ſubiectos populos vſi ſunt; nec à Spiritu ſancto inde reprehenduntur. Chriſtus denique, Apoſtoli, & tota prima Eccleſia, verbo & facto iſtud approbauerunt. Nam Iuſtinus martyr ſcribit in poſteriore pro Chriſtianis apologia. Vectigalia tributaque à vobis (Imperat. Roman.) inſtituta vbique ante omnes conamur pendere, ſicut nos ipſe Chriſtus docuit. Conſentit Vrbanus Papa his verbis: Tributum in ore piſcis piſcante Petro inuentum eſt, quia de exterioribus ſuis Eccleſia tributum reddit. Et Ambroſius ait: Si tributum petit. (Imperator,) non negatur: agri Eccleſiæ ſoluunt tributum. Procul ergo abigendi ſunt Anabaptiſtæ, quibus non ſatis eſt poteſtatem ordinemque Eccleſiæ turbare, niſi etiam omnem magiſtratum de ſolijs deturbent, omnemque debitam illis obedientiam ſubmoueant. *Lucæ 2. Matth. 17. & 22. Rom. 13. 1. Cor. 9. Iuſtin. 23. q. 8. can. tributum. Orat de trad. baſilicis.*

Debent verò illa eſſe moderata & tolerabilia, nimitum iuxta vniuſcuiuſque facultates, ne populus miſerè crudeliterque exhauriatur & opprimatur: vt Principes patres ſint patriæ ac populi, non prædones. Rectè profectò Tiberius imperator ijs qui conſulebant augenda eſſe vectigalia reſpondiſſe fertur: Boni paſtoris eſt, gregem tondere, non deglubere. Et Traianus à quibuſdā notatus, quòd populo nimis familiaris eſſet, ait: Ego cupio talis eſſe imperator *Sueton. Niceph. Sueton.*

ſubditis, qualem imperatorem ego ſubditus optaſſem. Roboam à ſuis rogatus vt grauiora tributa mitigaret, nolens, decem regni ſui partes amiſit. Ideo Cyrus dicebat: Bonum principem nihil differre debere à bono patre Quis verò pater filios ſuos excoriat?

3 Reg. 12.

Xenophon.

Hac de re officia publica non debent vendere pretio, nec hominibus auaris & rapacibus committere: quoniam vt Seuerus imperator dixit: Neceſſe eſt vendat, qui emit. Sicque fiunt Principes & Magiſtratus ſocij furum, togata mancipia, lupi veſpertini, &c.

Quando autem Aſſuerus Mardochæum plurimis & maximis auget honoribus, eundemque rebus imperij ſui præficit; oſtendit, optimum maximumq́; ſeruandorum regnorum modum & artificium eſſe, optimis, ſelectis, probatiſque viris curam eorum committere. Sententia etenim diuini Platonis eſt, à Iuſtino martyre laudata: Tum beatas eſſe res publicas, cū vel Philoſophi regnant, vel Reges philoſophantur. Saluberrimum fuit hoc Iethronis ad Moyſem conſilium: *Prouide viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum.* Floruit imperium Chaldæorum adminiſtratoribus Daniele, & ſocijs eius: Græcorum præſidentibus ciuitatibus ſeptem Sapientibus: deinde, Ariſtotele & Calliſthene Alexandri præceptoribus. De Romanis rerum potientibus refert ex Catone Auguſtinus: Nolite exiſtimare maiores noſtros armis rempublicam ex parua magnam feciſſe. Alia fuêre quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis iam nulla ſunt. Domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque libidine, neq; delicto obnoxius. Et poſtea. Paucorum igitur virtus ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id eſt, virtute ipſa nitērium, etiam à Catone laudata eſt. Aliquot è contrario impurorum Neronum, Commodorum, Heliogabalorum ſcelerib. omnia turbata, conuulſa, & labefactata ſunt.

Iuſtin. Apolog. 1.

Exod. 18.

Auguſt. li. 5. de ciuit. c. 12.

Dolendum porrò, quòd non extent Libri, id eſt, Annales ſeu Chronica illa Perſarum & Medorū, quorum hic fit mentio. Poſſemus enim ex his plurima certius

tius & ſpecialius cognoſcere; quàm ex horum fragmentis collectis ab Herodoto, Diodoro, Arriano, Iuſtino,& Curtio. Veriſimile eſt ea periiſſe longo tempore, bellis, incendijs, variarum gentium irruptionibus: vt etiam inter Hebræos eſſe deſierunt Libri bellorum Domini, Libri dierum Regum Iudæ & Iſraelis: & alia plurima veterum monumenta Verum, maximæ gratiæ Deo ſunt habendæ, quòd libros ſacros tanta ſerie ſeculorum, in tantis regnorum mutationibus, inter tot bella, incendia, caſus, & rerum diſcrimina conſeruauerit, & ad nos vſque perduxerit: tot interea Antiochis, Nabuzardanis, Neronibus, Diocletianis, & Maximianis omnem operam vt omnino conflagrarent & perirent, nauantibus: Sed *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: verbum autem Domini manet in æternum. Verbum Domini non eſt alligatum.* Ex his autem euentibus & caſibus ſcitè colligit Irenæus, conſtanter credendum & adhærendum eſſe traditionibus Apoſtolorum & ſeniorum: quoniam ſi Scripturæ nullæ extarent, ad veteres Eccleſias, & traditiones in eis vigentes & ſeruari ſolitas confugiendum eſſe. Deinde, multas gentes ante Scripturas rectè ſenſiſſe & credidiſſe de ſummis religionis Chriſtianæ capitibus, pro vt eadem ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris viuæ vocis oraculis ſuſceperant. *Iſaia 40.* *2. Tim. 2.* *Iren. lib. 3.*

3. *Et quomodo Mardochæus Iudaici generis ſecundus à rege Aſſuero fuerit: & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo, & loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.*

IAM ſuperius quædam dicta ſunt de gloria Mardochæi, quæ hîc rurſum commemorantur & explicantur. *Fuit ſecundus à rege Aſſuero*, id eſt, ſecundũ imperij gradum obtinuit, fuitque ab illo, in toto terrarum orbe potentiſſimus: ſicut quondam Ioſeph in tota Aegypto; & non ita pridem Daniel in Chaldæa ſub Nabuchodonozore, & ſub Dario in Perſide. Ma- *Geneſ. 41.* *Daniel 3. 4. 6.*

gnus quoque fuit apud Iudæos, ſummaque authori-
Ioſeph. li. 11. antiq. tate polluit. Ioſephus ſcribit eum fuiſſe τῶν πρῶτον παρὰ τοῖς Ἰουδάιοις. Et certè, Eſdras eum (ſi tamen
2. Eſdræ 2. idem eſt) recenſet inter primos, qui cum Zorobabele
Aben ezra. aſcenderunt ex captiuitate Babylonica. Ex quo Aben Eſra colligit, cùm iam poſtliminio reuerſus eſſet, & videret ædificationem vrbis ac templi ex voto non ſuccedere; relicta Iudæa profectum fuiſſe vnà cum Eſthere patruele in Suſianam, ibique in aula verſatum apud Regem: nec cognitum quod Iudæus eſſet, priuſquam contigiſſent ea, quæ referuntur ſupra, capite tertio. Laudatur rurſum, *quòd quæſierit bona populo ſuo*, id eſt, non fuit contentus propria gloria & dignitate, ſuos quantumuis exules ac oppreſſos non neglexit; neque tam ſuo commodo intentus fuit, quàm ſuorum libertatem & vtilitatem ſtudioſè quæſiuit. *Locutus eſt ea quæ ad pacem ſeminis ſui*, id eſt, omne bonum ac commodum illis adferre ſtuduit: & pro viribus totius Eccleſiæ Hebraicæ ſaluti & proſperitati diu noctuque inuigilauit. Breuiter, Non Cyclopis illius inſtar, Nec viſu facilis, nec dictu affabilis vlli: ſed comis faciliſque erga ſuos fuit; pacemque vt ipſe coluit, ita alijs ſuaſit, ſummamque legis, religionis, & poſteritatis rationem habuit.

In dignitate porrò atque glorificatione Mardochæi conſpicimus, quis ſit finis crucis, id eſt, aſſumpti pro Dei nomine, ac Eccleſiæ illius ſalute, aduerſus impiorum conatus certaminis. Ille etenim vt Dei gloriam, & populares ſuos ab Hamaniſtis aſſereret, multorum odia ſubiuit; ieiunijs, orationibus, ſacco, clamoribus, & querelis ſeipſum afflixit, hominem impium conſtanter aſpernatus eſt, cruci ignominioſæ adiudicatus fuit: nunc verò ſingulari Dei munere præ cunctis hominibus (excepto vno Aſſuero) gloria & honore etiam in hoc mundo, coronatur. Sic adimpletur in eo, quod ſcriptum eſt:
1. Reg. 2. & 15. *Qui me honorificauerit, glorificabo eum: qui me contempſerint, erunt ignobiles.* Sic magnis opibus, victorijs, & honoribus glorioſos effecit Abrahamum, Ioſue,
Iudi-

Iudices, Dauidem, Machabæos. Deinceps quoque Conſtantinum, Iouinianum, Valentinianum, Theodoſium, Carolum, &c.

Quod ſi plurimi pro eius cultu ac religione pugnantes, interea periclitentur, fortunis exuantur, ac intereant: non tamen fallax eſt Deus, quandoquidem illos pro pietate morientes vita & regno cæleſti, nullis terrenis imperijs comparabili, donat & glorificat in cælis. Etenim mentiri non poteſt, qui ait: *Qui perdiderit animam ſuam in hoc mundo propter me, inueniet eam.* *Ioan.12.* *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* *Matth 5.* *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre, & Angelis eius.* *Matth.10.* Si hæc magna fide non credunt, ſi non conſtanter ſperant, non patiuntur pro pietate; ſed pro delictis ſuis. Nunquam ergo nos dimoueant à vera pietate tyrannorum odia, comminationes, pericula, ſupplicia, &c.

Diſcimus inſuper beati Mardochæi geſtis, licitum eſſe pijs & Chriſtianis viris magiſtratum gerere, regnis & prouincijs præeſſe, rempublicam adminiſtrare, imperare, & pro dignitate ſtatus cum externa pompa aliquoties incedere: quicquid è contrario garriant Anabaptiſtæ fanatici homines. Eas ſiquidem functiones Deus non ſolùm ſibi gratas eſſe verbo ſuo declarauit; verùm & à ſe pro bono generis humani, inſtitutas & ordinatas. *Per me Reges regnant,* (inquit) *& legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* *Prouerb. 8.* Hinc Dauid: *Ego conſtitutus ſum Rex ab eo. Qui ſubdit populum meum ſub me.* *Pſalm.2. & 143.* Et Apoſtolus: *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* *Rom.13.* Idem alibi iubet orationes fieri pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, *1.Tim. 2.* vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Præterea, principes ac magiſtratus honorificentiſſimis titulis exornans, horum officia commendauit, veluti cùm deorum elogijs ipſos nuncupat: *Dijs non detrahes:* *Exod.22.* *Deus ſtetit in medio deorum*, id eſt, iudicum: *in medio deos dijudicat.* *Pſalm.82.* Et Moſi dicitur: *Ego conſti-*

Exod. 7. *conſtitui te deum Pharaonis*, id eſt, vice Dei ad eum fungeris, meamq́ue perſonam atque maieſtatem referes.

Cùm verò dicitur, omnem operam ac ſtudium ſuum in eo collocaſſe, vt bene eſſet toti populo ſuo, docemur; Magiſtratus potiſſimum officium eſſe, vt gloriam ac cultum DEI inter ſubditos ſuos tueantur ac promoueant. Hinc enim omnis pax, omnia proſpera, omne bonum: vt è diuerſo, ex contemptu Dei omnis infelicitas & calamitas. Iuſſit enim Mardochæus, vt Iudæi quotannis grata memoria recolerent ingens illud beneficium, quo illos ex præſentiſſimo mortis periculo liberauit, & victoriam aduerſus hoſtes conceſſit. Dauid verbo & exemplo futuris prælucens Regibus ait: *Seruite Domino in timore. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur, &c.* Apoſtolus etiam docet, *Poteſtatem datam eſſe ad ædificationem.* Dauid, Aſa, Ezechias, Ioſias, Machabæus adminiſtrationem principatuum ſuorum ab inſtauratione cultus diuini ſunt auſpicati.

Pſalm. 2.

2. Cor. 10.

4. *Dixitq́; Mardochæus, à Deo facta ſunt iſta.*

5. *Recordatus ſum ſomnij quod videram, hæc eadem ſignificantis: nec eorum quicquam irritum fuit.*

EX CA-

EX CAPITE VNDECIMO.

2. *Anno ſecundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die menſis Niſan, vidit ſomnium Mardochæus filius Iairi filij Semei filij Cis de tribu Beniamin:*

3. *homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Suſis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.*

4. *Erat autem de eo numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieruſalem, cum Iechonia rege Iuda. Et hoc eius ſomnium fuit.*

5. *Apparuerunt voces & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbatio ſuper terram:*

6. *Et ecce duo dracones magni, paratiq; contra ſe in prælium.*

7. *Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ ſunt nationes, vt pugnarent contra gentem iuſtorum.*

8. *Fuitq; dies illa tenebrarũ & diſcriminis, tribulationis & anguſtiæ, & ingens formido ſuper terrã.*

9. *Conturbataq; eſt gens iuſtorum timentium mala ſua, & præparata eſt ad mortem.*

10. *Clamaueruntq; ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit.*

11. *Lux & ſol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos.*

12. *Quod cùm vidiſſet Mardochæus, & ſurrexiſſet de ſtratu, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum habebat in animo, ſcire cupiens quid ſignificaret ſomnium.*

ISTA eſt ſecunda pars huius capitis, quæ quia concidit cum capite vndecimo, ſeu potius, in eodem fuſiore tractatu narratur & deſcribitur, vtrunque ſimul interpretabimur.

Quod porrò ad ſomnium beati Mardochæi pertinet, notatur in primis tempus, quo id ei acciderit: deinde, quæ illius fuerit progenies: poſtea, quando ex terra Iuda captiuus abductus ſit: denique, ſomnij ratio tota deſcribitur. Contigit porrò *anno ſecundo regni Artaxerxis*, qui & Darius, & Aſſuerus cognominatur: id eſt, anno altero antequam conuiuium illud magnum, quod initio huius libri refertur, exhibuiſſet ſatrapis ſuis: & prima die menſis Niſan, qui cum lunatione Martij noſtri conuenit. Et hac ratione Græci hunc librum ab hoc loco auſpicantur, vt etiam annotat Rupertus vir perdoctus & pius.

Rupert. li. 8. de vict. ver. cap 1.

Fuit autem Mardochæus ex tribu Ben-iamin, inter Hebræos quondam regia, natus patre Iairo, auo Semei, & proauo Cis: adeo vt ipſum ſtemma regium proximè attingeret. Dicitur autem, *homo Iudæus*, tametſi fuerit de tribu Ben-iamin, eo quod (ait Elias Leuita in Thisbi) poſt captiuitatem decem tribuum, remanente ſceptro in domo Iehuda, tribus Ben-iamin annumerata fuit tribui Iudæ, & omnes Iſraelitæ cognominati Iudæi. Captiuus autem factus eſt, *quando Nabuchodonoſor abduxit Iechoniam regem Iuda*, cum parte nobilitatis, & vaſorum domus Domini in Babylonem.

Elias in voce Iehudi.

Ex quo manifeſtum eſt eum valde longæuum, id eſt, annos ſupra centum & octoginta vitæ habuiſſe, quando hæc quæ in hiſtoria iſta de eo leguntur, contigêre: quod & Philo Annianus apertè confirmat, ſcribens eum, decem & octo annis ætatem Iſaac ſuperauiſſe: Iſaac autem, vt in Geneſi ſcriptum eſt, vixit annis centum octoginta, igitur Mardochæus centum nonaginta & octo. Ecquid difficile aut im-

Philo in Chronologia.
Geneſ. 35.

impoſſibile apud Deum? Præſertim, cùm multis poſtea ſeculis dicatur quidam quadringentis annis vixiſſe: atque ideo vocatus fuerit, *Ioannes de temporibus*: Fuit enim Caroli magni Imperatoris, & Franciæ Regis armiger, & ſupererat adhuc tempore Ludouici iunioris. *Naucler. Gaguin. Martin.*

Somnij autem alteram deſcriptionem ex Ioſephi Gorionis hiſtoria Hebraica, ad maiorem rei fidem ſubijcio. Anno ſecundo regis Aſſueri (inquit) Mardochæus vidit in ſomnis, & ecce terræmotus magnus, & tonitruum validum ac vehemens, fueruntque turbæ per vniuerſam terram, formido & commotio, & tremor & conturbatio ſuper omnes habitantes in ea. Tunc prælium inierunt duo ingentes dracones, alter aduerſus alterum, & concurrerunt ad voces eorum omnes gentes terræ. Et ecce inter eas gens quædam paruula, in quam reliquæ omnes gentes inſurrexerunt ad perdendum nomen eius, & delendum memoriam eius ex vniuerſa terra: fueruntque illo die tenebræ, & caligo per vniuerſum mundum, afflictaque fuit gens illa paruula valde, itaque clamauerunt ad Dominum. Dracones autem interea pugnabant magna tum crudelitate tum iracundia, nec erat qui eos dirimeret. Iterum vidit Mardochæus in ſomnio, & ecce fons exiguus tranſibat inter duos illos dracones, & dirimebat prælium quod fuerat inter eos. Porrò fons ille exiguus creuit ſupra modum, effectusque eſt fluuius exundans, vt cùm exundat mare magnum ac ſpatioſum, & pergebat exundare omnem terram. Vidit deinde, & ecce ſol exortus eſt ſuper omnem terram, fuitque lux per totùm mundum. Poſtea euecta fuit, magnaque euaſit parua illa natio, & qui ſublimes fuerant, humiliati ſunt, fuitque deinde firma pax per totum mundum. Cæterùm, Mardocheus ab eo deinceps tempore ſeruabat apud ſe ſomnium, quod viderat. Et fuit cùm vidiſſet Mardochæus hoc ſomnium, vt narraret illud Eſtheræ, quæ tum puella paruula erat in ſinu ipſius. Cùm autem Haman ipſum oppugnaret, dixit Eſtheræ reginæ filiæ patrui ſui, quę ſequuntur: Venit *Ioſeph. li. 2. hiſt. cap. 2.*

ſom-

ſomnium quod narraui tibi in diebus pueritiæ tuæ, &c. Hactenus Ioſephus ille filius Gorionis.

Ex quibus primùm aduerte, Deum non tantùm noſſe omnia futura nobis, præſentia verò ſibi: verùm, & eadem quibus vult, quando vult, & quomodo vult frequenter aperire, & manifeſtare: vt horum reuelatione & prædicatione pij viri ſibi perſuadeant cuncta regi prouidentia, non caſu vel fortuna: indeq; in fide & ſpe proficiant, & in aduerſis animos ſuos conſolentur. Venturum Meſſiam, qui caput ſerpentis contereret, coram Adamo prædixit: futurũ aquarum diluuium Noe reuelauit: Abrahæ quoque annunciauit, In ſemine ſuo (id eſt, Chriſto) benedicendas eſſe omnes gentes. Et de Sodomæorum ſubuerſione dixit: *Num potero celare Abrahæ, quæ facturus ſum?* Et vt paucis dicam, *Non faciet Dominus Deus verbum*, inquit Amos, *niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.*

Gen 3. *Gen. 6.* *Gen. 15. et 22.* *Gen. 18.* *Amos 3.*

Solenne autem fuit tam in veteri quàm nouo teſtamento, iſtas reuelationes vt plurimum fieri varijs ſpeciebus in ſomnis occurrentibus: vt cum Ioſephus vidit nunc manipulos fratrum adorare manipulum ſuum, mox ſolem lunam & vndecim ſtellas adorare ſe. Pharaoni obiectæ ſunt ſeptem boues pingues, & totidem macie confectæ: deinde ſeptem ſpicæ plenæ, & ſeptem tenues, percuſſæque vredine. Nabuchodonoſor in ſtratu ſuo videre ſibi videbatur ſtatuam ex quatuor ſpeciebus metallorum confectam: arborem ingentis altitudinis & latitudinis: quatuor beſtias monſtrificas pugnantes in mari: & Mardochæus in ſomnis conſpicit duos dracones pugnantes, &c.

Gen. 37. & 41. *Dan. 2. & 4.* *Dan. 7.*

In nouo etiã teſtamẽto, angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, monens ne Mariam coniugem dimitteret: monuit Magos in ſomnis ne redirent ad Herodem: iterumque Ioſeph vt tollens matrem & puerum eius, fugeret in Aegyptum. Petrus & Paulus non raro viſiones in ſomnis acceperunt. Et de primis Chriſtianis prædictum à Ioele volunt: *Prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, & iuuenes ſomnia ſomniabunt, & viſiones videbunt.* Certum eſt autem huiuſmodi ſom-

Matth. 1. & 2. *Actor. 10. & 16.* *Act. 2.*

di ſomnia non fuiſſe vulgaria & communia, quæ orlti ſolent ex cogitationibus diurnis, vel ex naturę conſtitutione, vel ex corporibus malè affectis: ſed fuerūt ſupernaturalia, à Deo per bonos Angelos impreſſa, cum aliqua certitudinis nota, vt nequaquā ambigua eſſet illorum veritas, ſed diuina oracula in his requirenda. Ex his autem collige, quanta ſit erga nos diuina prouidentia; qua dormiētes, & nihil de futuris certaminibus ac periculis ſuis ſolicitos, paterna diligentia monet quid agendūm, quid cauendūm, quidque de ſe Deus inſtituerit.

Aliquandiu porrò Mardochæus *cogitauit, quid Deus facere vellet, & fixum habebat in animo, ſcire cupiens quid ſignificaret ſomnium.* Hoc etenim ſibi perſuadebat magnarum, crudelium, futurarumque rerum eſſe præſagium; quas nec prò certo conijcere, nec ab interprete diſcere poterat. Sic & Pharao & Nabuchodonoſor anxij poſt ſomnia fuiſſe leguntur, donec Ioſeph & Daniel quid per illa ſignificarentur expoſuerint. Nec ſomnia tantùm, verùm & omnis prophetia, vt ſcitè animaduertit monetque Irenęus, priuſquam ſuum ſortiatur effectum, ænigmata & ambiguitates ſunt hominibus. Cùm autem venerit tēpus, & euenerit quod prophetatum eſt, tum habent liquidam & certam expoſitionem. Hoc omnium maximè in myſtico Mardochæi ſomnio, verum apparet, quando poſt euentum rerum exclamat: *A Deo facta ſunt iſta. Recordatus ſum ſomnij quod videram, hæc eadem ſignificantis: nec ectam quicquam irritum fuit.* Nam poſt certamina ſua cum Hamane, poſt edicta crudelia, periculaque gentis ſuæ, poſt ſuſpenſum Hamanem, hoſtes Iudæorum deletos, atque popularium ſuorum glorioſam liberationem; clariſſimè intellexit, quid per duorum draconum pugnam ſibi diuinitus indicatum fuiſſet. *Iren. lib. 4. cap. 43.*

Sequitur proſecutio decimi capitis.

6. *Paruus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, ſolemq́; conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit: Eſther eſt, quam Rex accepit vxorem, & voluit eſſe Reginam.*

7. *Duo autem dracones: ego ſum, & Haman.*

8. *Gentes quæ conuenerant, hi ſunt qui conati ſunt delere nomen Iudæorum.*

9. *Gens autem mea: Iſrael eſt, quæ clamauit ad Dominum, & ſaluum fecit Dominus populum ſuum, liberauitqúe nos ab omnibus malis, & fecit ſigna magna atque portenta inter gentes:*

10. *Et duas ſortes eſſe præcepit, vnam populi Dei, & alteram cunctarum gentium.*

11. *Venitqúe vtraque ſors in ſtatutum ex illo iam tempore, diem coram Deo vniuerſis Gentibus.*

12. *Et recordatus eſt Dominus populi ſui, ac miſertus eſt hæreditatis ſuæ.*

POSTREMA iam iſtius capitis parte, præcipui ſomnij articuli ab eodem Mardochæo explicantur. *Duo*, inquit, *dracones, ego ſum, & Haman.* Draconem porrò dicunt, Serpentem antiquum, qui multa ætate in inſolitam magnitudinem excreuerit. Certè Plinius author eſt, Dracones in India in tantam excreſcere magnitudinem, vt perpetuum cum elephantis bellum gerant. Liuius & Valerius referunt quoq;, in Africa apud Bagradam flumen, tantæ magnitudinis anguem fuiſſe, vt Atilij Reguli exercitum vſu amnis prohiberet: multiſque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus eliſis, cùm telorum iactu perforari nequiret, ad vltimum baliſtarum tormentis vndique petitam, ſilicum crebris & ponderoſis verberibus procubuiſſe, omnibuſque & cohortibus & legionibus ipſa Carthagine viſam terri-

Plin. lib. 8. cap. 11.
Tit. Liuius. 2. deca. lib. 8.
Valer. lib. 1. cap. vltim.
Oroſ. lib. 4. cap. 8.

terribiliorem. Belluæ corium CXX. pedes longum, in vrbem miſſum eſt. Rectè igitur Mardochæus & Haman draconibus ſignati ſunt, quoniam vterque ſtemmate regio ortus; ille Saulis regis Hebræorum, iſte Agagi regis Amalecitarum: vterq; vir magni animi: vterq; ingenti gloria & poteſtate claruit ſub imperio Perſarum: vterque ingentem populorum turbam dicto audientem habuit: vterque vitam in multos annos protraxit: vterque magnorum rumorum in orbe cauſa fuit.

Draco Haman, ait Rupertus, propter malum illud, quod molitus eſt ex diabolo dracone antiquo, thronum ſuum habente in pectore eius. Draco Haman propter cauſam veram, propter diabolum, ſerpentem antiquum, capita ſeptem habentem, quorũ quartum fuit regnum Perſarum & Medorum: maximè propter Haman, & propter gentes illius imperij volentes eam delere gentem, de qua naſciturus erat Chriſtus, iuxta repromiſſionem quam receperat Abraham. Hæc ille: ex quibus contemplari licet miſerrimã infeliciſſimãque hominum, præſertim verò tyrannorum conditionem. Conditi quidem fuerunt ad imaginem & ſimilitudinem Dei optimi & maximi, hancque eximio pietatis & innocentiæ ſtudio ſemper & vbique referre deberent: contra verò nunc propter inſignem impietatem atque crudelitatem in conſortes ſuos; draconum, ſerpentum, feratum, belluarumque horrendis nominibus & coloribus à Spiritu ſancto depinguntur. Haman eſt draco, omnes Hamaniſtæ, omnes feri ac immanes hoſtes populi diuini perſecutores, indigni qui hominum humana appellatione vocentur, ſunt ſerpentes & dracones. Eodem modo propter ſummam ingratitudinem & malitiam Ioannes præcurſor appellat Iudæos, ſerpentes, genimina viperarum: propter varias fraudes & dolos Chriſtus Herodem, vulpem nuncupat: hæreticos propter hypocriticam ſæuitiam comparat cum lupis rapacibus: indignos verbo DEI, & ſacramentorum perceptione, porcorum nomine intelligit: ſatellites Pilati & Iudæorum, qui eum in crucem acturi erant, appel-

Rupert. li. 3. de vict. ver. cap 2.
Apocal. 12. & 13.
Geneſ. 22.
Matth. 3.
Lucæ 13.
Matth. 7.
Pſalm. 21.

appellationibus leonum rapientium & rugientium, taurorum pinguium, canum, & vnicornium à Propheta regio longè antea fuerant deſignati. Paulus ſcribens, *Liberauit me Dominus de ore leonis*, Neronem intelligit. Ad eandem peccatorum ſpurcitiam reuertentes, Petrus comparat cum canibus redeuntibus ad vomitum, & ſuibus ad volutabrum luti. Pudeat igitur nos omnes peccatorum; quibus ſic ad effigiem, & veluti ſortem ordinemque belluarum degeneramus. Vide D. Hieron. Com. in c. 14. Iſaiæ, verſ. 22.

2. Tim. 4.

2. Pet. 2.

Sed quomodo Mardochæus vir pius & ſanctus, per alterum draconem ſignificatus eſt? *Duo dracones*, inquit, *ego ſum, & Haman*. Reſpondet Rupertus: Mardochæus draco, nō reuera, ſed inimicorum, ſcilicet, eiuſdem Haman & complicum eius accuſatione falſa dicentium, quod genus eius, genus Iudaicum, genus eſſet hominum ſeditioſum, & regno inſidioſum. Nec mirum quod homo ſimplex & rectus, propter falſam opinionem per draconem malitioſum atque tortuoſum in ſomnio eſt deſignatus, cùm ipſe ſimplicium rex & rectorum Dominus Chriſtus per ſerpentem æneum fuerit præfiguratus. Nempe ſicut ille ſerpens æneus fuit abſque veneno; ſic Chriſtus cùm accuſaretur Magus, erat abſque peccato. Similiter Mardochæus propter accuſationem Hamanis per ſomnium viſus eſt draco: ſed ſecundum rei veritatem homo erat cultor Dei, malitiam non habens draconis antiqui, qui ſæuiebat in Hamane ſuperbiſſimo. Hactenus Rupertus. Quibus adijci poteſt, Mardochæum verè leonem & draconem fuiſſe hoſtibus Eccleſiæ Iſraeliticæ, quando ſuis lacrymis, ieiunijs, precibus, & pijs ſtudijs ad nihilum eos redegit. Nam eius conſilio & adhortatione Eſther Hamanem accuſauit & perdidit, decem filios eius totidem patibulis affigi fecit, & præter octingentos Suſianos, ſeptuaginta quinque Hamaniſtarum millia per totum imperium Perſicū Iudæis trucidandos ac delendos obtulit. Nec rarum eſt, nec inſolens in diuinis ſcripturis, viros bellica virtute ac fortitudine pro domo Domini præſtantes, cum leonibus comparari: quandoquidem de tribu Iuda ſcriptum

Eſther. 3.

Num. 21.

Ioan. 3.

Lucæ 11.

Matth. 9.

ſcriptum ſit: *Catulus leonis Iuda, requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum?* Et de tribu Gad dicitur: *Benedictus in latitudine Gad: quaſi leo requieuit.* Nam hæ præſertim tribus & duces bellorum Domini, & viros bellicoſos Iſraelitis præbuerunt. Dauid vita functos Saulem & Ionatham, dicit aquilis velociores fuiſſe, & leonibus fortiores. Velocitas autem in bello prodeſt ad hoſtem inſequendum, & declinanda pericula: fortitudo verò ad eum ſuperandum, & repellendum. Et de Iuda fortiſſimo Hebræorum duce ſcribitur: *Induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælijs, & protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione.* Et de militibus eius: *Leonum more impetu irruentes in hoſtes, proſtrauerunt ex ipſis vndecim millia, & equites mille ſexcentos.* Quinetiam Chriſtus ipſe tametſi verè agnus mãſuetiſſimus, appellatur *leo de tribu Iuda*, propterea quod fortiſſimo paſſionis certamine, Satanam, peccatum, mortem, inferoſque vincens, vniuerſum genus humanum ab horum liberauerit tyrannide.

Geneſ. 49. Deut. 33. 2. Reg. 1. 1. Mach. 3. 2. Mach. 11. Apoc. 5.

Pugnauerunt verò acerrimè hi duo magni dracones, omnino contrarijs & repugnantibus ſtudijs & conatibus: quando Haman diuinos ſibi honores exhiberi voluit: Mardochæus cõſtantiſſimè negauit. Haman Eunuchorum fraude conatus eſt Aſſuerum regem tollere de medio: Mardochęus verò eundem ſeruare. Haman ſeruum Dei ob negatam ſibi adorationem, ignominioſo ſupplicio afficere cogitauit: contra verò eidem ſtratoris obſequio fungi ac inſeruire compulſus eſt. Haman vniuerſum ſemen Abrahę perdere ſtuduit: Mardochæus, vt ne vnus quidem ex eis periret enixiſſimè laborauit. An non bellum acerbum, crudele, cruentum, terribile? Quanti porrò clamores, quanti motus, ac tumultus ex horum duorum draconum certamine in toto imperio Perſico ſint exorti, vel ex contrarijs mandatis regijs, vel ex mortibus tot millium hominum, ſatis conijcere licet. *Apparuerunt*, inquit, *voces, & tumultus, & tonitrua, & terræ motus, & conturbatio ſuper terram: cùm duo dracones magni apparuerunt parati contra ſe in prælium.* Conſtat enim magno-

rum virorum diſſidia, pugnaſque, pluſquam iliadas calamitatum adferre, & in orbem inuehere. Patet in Dauide & Saule, Aſſyrijs & Aegyptijs, Dario & Alexandro, Pompeio & Cæſare, Tullio & Catilina, Antonio & Auguſto, & ſexcentis alijs. Delirant Reges, plectuntur Achiui.

Cæterùm, in pugna Mardochæi & Hamanis attende, quàm verè dictum quondam fuerit ſerpenti humani generis proditori ac perditori: *Ponam inimicitias inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius.* Ex eo enim tempore perpetuũ & irreconciliabile bellum fuit inter ciuitatem Dei, & ciuitatem diaboli; inter filios Dei, & filios hominum; inter filios regni, & filios perditionis. Hinc Cain ſemen ſerpentis, inſurrexit aduerſus Abelem: gigantes aduerſus Noe, iuſtitiæ præconẽ: Nembroth aduerſus Abrahã, Iſmael aduerſus Iſaac, Eſau aduerſus Iacob; ac deinceps pſeudoprophetę aduerſus veros Prophetas, & Pſeudoapoſtoli aduerſus veros Apoſtolos & legatos Chriſti. Iure ergo conqueritur Eccleſia, *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, &c.* Et de Chriſto eiuſdem capite & paſtore, mox à natiuitate dictum eſt: *Erit in ruinam & reſurrectionem multorũ, & in ſignum cui contradicetur.* Nemo igitur frangatur animo, nemo ab Eccleſiæ Chriſti communione aut vnitate deficiat, propterea quod à multis oppugnetur: quando hæc ſors eius ſemper in terris fuerit.

Geneſ. 3. — *Geneſ. 4. 6. 12. &c.* — *Pſalm. 128.* — *Lucæ 2.*

Interea verò dum inter ſe infeſtis animis pugnant hi dracones Mardochæus & Haman, *cõturbata eſt gens iuſtorum, timentium mala ſua, & præparata ad mortem: clamaueruntque ad Deum, &c. Fuitque dies illa tenebrarum & diſcriminis, &c* Miſſis enim literis regijs de Iudæorum internecione; ſanguinibus ac prædis eorum crudelem in modum inhiabant omnes ethnici & Hamaniſtæ, nihil niſi minas & cædes in diem per Hamanis ſortes deſignatum anhelantes ac ſpirantes in populum Dei. Quantis autem lamentis & clamoribus, quibus ieiunijs & precibus omnes Iudæi confugerint ad diuinum impetrandum auxilium, vel ex vnius Mardochæi, ſimulque Eſtheris lacrymis &

orationibus facilè eſt colligere, & nos ſuperius obſeruauimus. Sic & olim Patres in Aegypto grauiter oppreſſi clamauerant ad Dominum, & exaudierat eos. *Clamor*, inquit, *filiorum Iſrael venit coram me.* Hinc Dauid *Ad te clamauerunt patres noſtri, & liberaſti eos: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Tertioque hic verſus in alio pſalmo repetitur: *Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.* Et Apoſtoli primique Chriſtiani auditis Iudæorum comminationibus, ſi de Ieſu Meſſia prædicarent, *Vnanimiter,* inquit Lucas, *leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt. Domine qui feciſti cælum & terram, &c. Reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbū tuum, &c.* Ac iſtud quidem tempore perſecutionis præſtāt pij: impij autem vt Iudas, Nicolaus, Simon, Demas, Phileus, Porphyrius, Ecebolius, viam veritatis blaſphemantes deficiunt.

Exod. 3. *Pſalm. 21.* *Pſalm. 106.* *Actor. 4.*

Sed quo iure, quove merito populus Iudaicus vocatur hîc, *Gens iuſtorum, populus, hæreditasque Domini,* cùm propter cultus idolorum, contemptum teſtamentum Domini, neci traditos Prophetas & nuncios eius, pluraque alia grauiſſima ſcelera ſua: terra ſancta extorres, & inter ethnicos exules miſerè diſperſi vagarentur? Reſpondeo. Non omnes criminibus illis erant contaminati: ſed inter impiorum turbas multi pij & veræ religionis cultores commixti erant, quales fuerunt Daniel, Ananias, Azarias, Miſaël, Tobias, Eſdras, Ezechiel, Ioachim, Suſanna, Mardochæus, Eſther, & plerique alij; quorum rationem Deus ſemper habuit. Deinde, *memor fuit Dominus teſtamenti ſui,* inquit Pſaltes, *quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac:* nimirum, futurum ſe Deum etiam ſeminis eorum poſt eos: ideoque & ſi propter propria delicta inimici, ſecundum electionem tamen chariſſimi propter patres. Denique iuſti nominantur, non tam ratione morum, quàm profeſſione legis, fidei, & religionis; quam vtcunque etiam inter Gentes profanas & idololatras, profitebantur. Ideoque etiam à Daniele Propheta vocantur populus ſanctorum: & in Pſalmis,

Pſalm. 104. *Geneſ. 12. 17. 18. 22. 26.* *Rom. 11.* *Daniel. 8.*

Pſalm. 73. oues paſcuæ Domini, congregatio quam poſſedit ab
Pſalm. 78. initio, virga hæreditatis eius, ſerui & ſancti Dei, vinea
Pſalm. 79. Domini, &c. quantuncunque acerbis exilijs ac duris ſupplicijs pro peccato ſuo premerentur. Deus namque in delicta ſuorum animaduertit, non ex odio vt perdat: ſed paterna potius pietate, vt emēdet ac ſeruet.

Clamantibus Iudæis ad Dominum, *paruus fons exortus, creuit in fluuium maximum, & pugnantes dracones dirimens, finem bello impoſuit.* Hic fons Eſtherem deſignauit, quam ex captiua, paupercula, & vtroque parente orbata, Deus effecit multarum gentium Reginam, multarumque prouinciarum dominam; vt tempore opportuno labaſcenti deficientique populo ſuo ſubueniret. *Paruus fons*, inquit, *Eſther eſt*, quoniam animo & corpore pura, caſta, modeſta: *creuit autem in fluuium maximū*, quando diuina procurante prouidentia, præ cunctis alijs puellis placuit potentiſſimo Perſarum imperatori: ab eodemque & in thori, & in ampliſſimi imperij conſortium aſſumpta fuit. Fons porrò dicitur cōuerſus in Solem ac lucem, tum propter incredibile gaudium, quo liberatus populus Iſrael affectus eſt; tum maximè propter Chriſtum ſolem iuſtitiæ vnū & ſolum, cuius genus vnde naſciturus erat, ab internecione ſeruauit, adiuuante ſui corporis gratioſa pulchri-
Rupert. li. 8. tudine, fideique & caſtæ mentis merito præeunte; vt
de vict. ver. non minus piè quàm doctè notauit Dominus Ruper-
cap. 26. tus. Sic ergo Deus humilitatem ſeruorum nouit gloria & honore coronare, vt cum Solis ſplendore atque
Iacob. 4. ſublimitate comparentur. *Superbis reſiſtit, humilibus au-*
Matth. 13. *tem dat gratiam. Qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Fulgebunt*
& 20. *iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum. Humiliamini ergo ſub po-*
1. Pet. 5. *tenti manu Dei*, ait princeps Apoſtolorum, *vt vos exaltet in tempore viſitationis.*

Deniquè, *humiles*, inquit, *exaltati ſunt, & deuorauerūt inclytos.* Id eſt, Iudæi exules, omnibus fortunis exuti, omnibus telis obiecti, ac crudeliſſima Hamanis tyrannide oppreſſi, Mardochæi ac Eſtheris auxilio & interceſſione, Dei autē ſingulari ope liberati, exaltati ſunt in imperio Perſico. *Deuorauerunt autem inclytos*, quando Aſſueri literis muniti, Mardochæique freti auxilio,

non ſolus Haman, verùm & decẽ filij eius gloria illuſtres, de infelici arbore pependerunt: multiq; alij in Suſis, & alijs prouincijs Perſicis ſuę crudelitatis in Iudæos, per Iudęos iuſtiſſimas pœnas dederũt. *Ita non relinquit Dominus virgam impiorũ ſuper ſortem iuſtorũ.* Non ſinit diuturnam eſſe tyrannidem, ne pij deſperatione fracti in caſtra ſe ſe recipiant impiorum. *Reddam*, inquit, *vltionem hoſtibus meis*, id eſt, Eccleſiæ & ſponſæ meæ, *& his qui oderunt me retribuam.* Etenim qui ſeruos Dei, quantumuis coram mundo abiectos & depreſſos, odio ac immanitate perſequitur; ipſummet Deum, & Chriſtum caput ſanctorum odio habet & inſectatur. *Saule*, inquit, *quid me perſequeris?* Et, *qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* Quomodo verò poſſent diuinæ maieſtatis oſores & hoſtes diutius conſiſtere aut florere? Aut quis reſtitit ei, & pacem habuit? Non accipit perſonas principum, nec cognoſcit tyrannos, cùm diſceptant aduerſus pauperem. Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi. Iuſti autem germinabunt ſicut lilium, & florebunt in æternum ante Dominum.

Pſalm. 124. *Deut.* 32. *Actor.* 9. *Luca* 10. *Iob.* 9. *Iob.* 34.

EX CAPITE VNDECIMO.

1. *Anno quarto regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, attulerunt Doſitheus, qui ſe ſacerdotem, & Leuitici generis ferebat, & Ptolemæus filius eius hanc epiſtolam PHVRIM, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum Ptolemæi filium in Ieruſalem.*

CVM hiſtoria Eſtheris contigerit, vt nos communiorem ſequuti opinionem initio diximus, ſub Dario filio Hyſtaſpis, circa annum Mundi 4680. iuxta Euſebij Chronicon; Ptolemæus autem Philadelphus & eius vxor Cleopatra regnare cœperunt circa annum 4910. meritò quæri poteſt, quid velit iſte verſiculus, qui initio capitis vndecim vulgatę editionis Latinæ habetur: quẽque D. Hieronymus fatetur, quòd nec in Hebræo, nec apud vllum inuenerit interpretẽ? Ego vt de re obſcura & ambigua quid conijciam paucis dicam: Non exiſtimo illa verba eſſe aut huius libri, aut ſaltem Auctoris, cuius eſt liber, ſiue ille ſit Mardochæus, ſiue Eſdras, vel quis alius: ſed potius Septuaginta interpretum, qui librum iſtum ex Hebręo interpretati ſunt. Nec ſignificant epiſtolam PHVRIM ab Artaxerxe Aſſuero ad Iudæos miſſam anno quarto regni Ptolemæi, nam inter illos Reges fluxerunt pluſquam trecenti anni: ſed cùm Ptolemæus Philadelphus vndiq; conquireret libros, quibus ſuã conſtrueret bibliothecam, & Septuaginta illi interpretes Biblia ex Hebræo Regis iuſſu Græca facerent, Doſitheum vnum ex ſacerdotibus, & Ptolemæum eius filium, Græcũ exemplar eius epiſtolæ, quæ ab Hebræo abeſt, à quodam Lyſimacho ex Chaldæo vel Perſico verſum protuliſſe & exhibuiſſe ipſis interpretibus, vt id ſuæ interprætatio-

tationi inſererent, mihi eſt veriſimillimum. Quod cùm feciſſent Septuaginta interpretes, ne quid temere addidiſſe viderentur, quod abeſſet ab Hebræo, illa velut annotatiũcula ad libri finem vnde id ſumpſerint, lectores docuiſſe. Et id certè ſignificare videtur verbum εἰσήνεγκε, quod proferre, & in medium adferre ſignificat, quo vtuntur Septuaginta; apud quos etiam ſupradictus verſiculus habetur vltimo loco, & libri coronidem efficit.

Ne quis verò putet aut nullam aut minutam eſſe propterea horum verborum authoritatem, animaduertat Sanctos Septuaginta interpretes, vt docet Augustinus, Spiritu prophetico inſtructos & præditos fuiſſe: ac idcirco quicquid eſt apud eos, in Hebræis autem codicibus non eſt, Spiritus ſanctus maluit per illos dicere, quàm per iſtos: ſic oſtendens vtroſque fuiſſe prophetas. Iſto enim modo alia per Iſaiam, alia per Ieremiam, alia per alium atque alium prophetam; vel aliter eadem per hunc, ac per illum dixit, vt voluit. Ideoque non vt prophana vel ambiguæ fidei verba illa legenda ſunt: ſed vt verè prophetica, per Spiritum ſanctum reuelata, ſcripta, & Eccleſiæ tradita. *Lib.18.ciuit. cap.43.*

Cæterùm, ex his conſpice quanta cum reuerentia & fide veteres illi Hebræi ſacras literas pertractarint, quando his nihil propria authoritate inſerere, nihil de ſuo adijcere voluerint, de quo Lectores non prius commonefecerint. Recordabantur enim ſcriptum eſſe: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Ruſumque, *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe: ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniariſque mendax.* *Deut. 4.* *Prouerb. 30.*

Attende etiam in ijſdem verbis morem propheticum, quo ſolent ſacrorum librorum Authores Regum ac principum, ſub quibus vixerunt, docuerunt, atque ſcripſerunt tempora connotare; ad maiorem rerum geſtarum, de quibus loquuntur, illuſtrationem & confirmationem. Sic enim Iſaias palam fatetur factum ſibi fuiſſe verbum Domini in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda Et

Iere-

Ierem. 1. Ieremias,in diebus Ioſiæ,Ioacim,& Sedechiæ, vſque ad tranſmigrationem Ieruſalem. Luc. 1.2. et 3. Lucas quoque Euangeliſta notat Chriſti præcurſoris conceptionem contigiſſe in diebus Herodis regis Iudææ: Domini natalem ſub imperio Cæſaris Auguſti: eiuſdem Præcurſoris conciones initium accepiſſe anno quintodecimo Tiberij Cæſaris,procurante Pontio Pilato Iudæam,tetrarcha autem Galilææ Herode,&c. Atque de his hactenus. Supereſt vt quantas poſſumus gratias habeamus Deo omnipotenti, qui operatus eſt in nobis horum Commentariorum labores & velle Philip. 2. & perficere pro bona voluntate ſua: ipſi laus,decus, & imperium in ſæcula ſæculorum.

Amen.

INDEX

1005.668

INDEX
LOCORVM
COMMVNIVM, QVI IN HIS COMMENTARIIS vberius & accuratius tractantur.

1. *DE potorijs certaminibus* 41. *& ſeq.*

2. *De Regum ſummorumq́; Principum abdicatione* 81. *& ſeq.*

3. *De tutoribus, ſeu curatorib. pupillorũ* 110 *& ſeq.*

4. *De Polygamia* 118. *& ſeq.*

5. *De Eunuchis* 121. *& ſeq.*

6. *De ritibus Chriſtianarum nuptiarum* 138. *& ſeq.*

7. *De Principum inaugurationibus, & diadematibus* 162. *& ſeq.*

8. *De Principibus Diuinos honores affectantibus* 189. *& ſeq.*

9. *De immanitate perſequutorum Eccleſiæ Catholicæ* 207. *& ſeq.*

10. *De menſibus Iudæorum* 210. *& ſeq.*

11. *De ſortibus* 214. *& ſeq.*

12. *De obſequio & miniſtris Principum crudelium* 241. *& ſeq.*

13. *De ieiunij Chriſtiani ſpeciebus, ritibus, ac effectis* 292. *& ſeq.*

14. *De his qui ab improbis oppreßi, moriendo ab eis ad Diuinum tribunal appellant* 333. *& ſeq.*

15. *De orationis ſpeciebus, cauſis, ceremonijs, effectis: Sanctorumq́; inuocatione: ac precibus pro defunctis etiam inter veteres Hebræos* 366. *& ſeq.*

16. *De quorũdam Regũ immani ſęuitia* 427 *& ſe.*

17. De

17. *De regiis Perſarum ornamentis, & largitionibus* 468. & ſeq.
18. *De perpetuo hæreſiarcharũ ambitu* 475 & ſeq.
19. *De ſtupro vindicato* 511. & ſeq.
20. *De perſecutorum Eccleſiæ ſuppliciis* 517 & ſeq.
21. *De Perſarum capitalibus decretis & pœnis* 520. & ſeq.
22. *De exauctoratione, degradationeq́, tum ſacrorum tum prophanorum principum* 532
23. *De feſtis diebus B. Deiparæ dedicatis* 613 & ſeq.
24. *De feſtis Sanctorum Angelorum, Martyrum, & confeſſorum* 623. & ſeq.
25. *De tributis exigendis atque ſoluendis* 630. & ſe.

FINIS.